

JOHANNES DE THUROCZ

CHRONICA HUNGARORUM

II. COMMENTARII

1. AB INITIIS USQUE AD ANNUM 1301

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE
AEVORUM

CONDITA A LADISLAO JUHÁSZ

SERIES NOVA

TOMUS VIII

CONSILIUM EDITORUM

ST. BORZSÁK, T. KLANICZAY, P. KULCSÁR, L. MEZEY,
G. SZÉKELY

REDIGUNT

ANTONIUS PIRNÁT ET LADISLAUS SZÖRÉNYI

INSTITUTUM LITTERARUM
ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE
SECTIO LITTERARUM RENASCENTIUM

JOHANNES DE THUROCZ

CHRONICA HUNGARORUM

II. COMMENTARII

1. AB INITIIS USQUE AD ANNUM 1301

COMPOSUIT
ELEMÉR MÁLYUSZ

ADIUVANTE
JULIO KRISTÓ



AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST 1988

507700

LATINE REDDIDIT

PAULUS PELLE

The publication of the present volume has been sponsored by the
“Research into the exploration, recording and publication of Hungarian
cultural and historical relics” programme.

MÁGYAR

AKADEMIAI KÖNYV

KÖNYVTÁRA

ISBN 963 05 4794 5 (Series)
ISBN 963 05 4795 3 (Tom. VIII)

© Akadémiai Kiadó, Budapest 1988 · Elemér Mályusz et Julius Kristó

HU ISSN 0133—6711

Printed in Hungary

M. TUD. AKADÉMIAI KÖNYV
KÖNYVLELTÁR... 1989. 19. 89. 82.

CONSPECTUS RERUM

Praefatio	7
Abbreviationes	19
Commentarii	35
Index nominum	521

PRAEFATIO

Benevole lector, scire nequis nec opinari potes hoc opus, quod in manibus tenes et cuius partes permulta haud contiguae inter se non plus cohaerent, quam vocabula lexici cuiusdam artis, opus omnium meorum operum dilectissimum esse. Ille ego, qui in hisce paginis partes nonnullas accuratissime explicaturus sum eo servato ordine, quem series fortuita explicandorum nominum proprietatum communiumque et rerum gestarum in textu *Chronicae* saeculi XV postulat, totam meam vitam longam consumebam, ut variae quaestiones historiae Hungarorum tempore et genere inter se differentes persolverentur; semper tamen operam dedi, ut eas cohaerentes et continua-
tas aspicarem et ipsas tales lectoribus proferrem. Prae viribus quidem exiguis non nisi raro mihi contigit, ut propositum hoc assequerer, tamen sperare velim fore, ut aequales hoc propositum a me non abiudicent. Quamvis parvi pretii sint libri singuli a me editi et commentationes, eorum operum vel minimum, quod ad novum cogitandi genus et emolumentum historiae cognoscendae et quod ad methodum scientificam adhibitam pervestigandi attinet, ex mea sententia longe praecedit huic operi. Pretium scientificum huius libri ut operis rerum scriptoris et conatus affectionesque meae tantum inter se discrepant, ut discrepancia mihi explicanda videatur.

Chronicae cognitionem in pueritia cepi. Prius nomen scriptoris *Chronicae* regionemque, unde familia eius orta est, mox ipsam *Chronicam* cognovi. Ante omnia dulcedo quaedam nominis familiae animum meum vi quasi magica commovit. Hoc nomen memoriam nominis unius ex minimis regionibus administrandis Hungariae historicae mille annorum: comitatus de Thurocz, posteritati commendavit. Indicatque familiam chronographi saeculo XV iam non in domicilio vetere, in valle fluvii parvi Thurocz vitam egisse, sed inde iam emigravisse. Quae ex eadem valle emigravit, ubi proavi chronographi et proavi matris meae carissimae alii prope alias saeculo XIII conserderant. Illi proavi inter se propinquitate sanguinis coniuncti non erant, tamen in numero membrorum eiusdem ordinis, immo quidem eiusdem partis humilioris huius ordinis referebantur. Memoria primae pueritiae me cum comitatatu Thurocz coniungit. E Planicie Magna Hungariae,

ubi natus eram, parentes tempore aestivo me una cum germanis in domum avitam secum ducebant, quae domus quasi symbolum erat, quam artis vinculis familia mea materna cum loco natali — per aetatem sex saeculis longiorem — coniuncta esset. Thurocz mihi omnia significabat, quae pulchra sunt, omnia, quae attrahunt, omnia, quae solacium placiditatemque praebent, id est symbolum matris carissimae.

Cum mihi intellectus aetate scholari sensim se aperiebat et ad historiam medii aevi Hungarorum cognoscendam agressus sum, si potestas eligendi dabatur, librum illius *Chronicae* libentius versabam, cuius auctor se e Thurocz ortum esse dixit, quam eos, qui *Chronicon Pictum* vel *Chronicon Budense* nominabantur. Haec distinctio illi fiduciae puerili est imputanda, quae mihi persuasit librum, cuius scriptor cum Thurocz coniunctionem habet, sine dubio fide magis dignum esse et plus valere, quam alia opera huiuscmodi. Nec tamen fiducia mea me fefellit, neque fallere quidem potuit, nam — ut posterius mihi compertum est — opus Johannis de Thurocz textus eosdem conservavit, qui in ceteris variantibus chronicis quoque conservantur. Animus meus tanta affectione regionem Thurocz complectebatur, ut cum mihi iuveni studiorum universitati addicto discep-tandum fuit, quodnam propositum disserendorum thematum promotionis eligere mallem, quaestionem solvendam mihi proponerem, quo modo comitatus de Thurocz frequens incolis factus esset et quo modo ordines sociales in comitatu formati essent. Quoniam autem me quaestionem soluturum esse sperare non potui nisi eo modo, ut diplomata quam plurima de praeterito tempore comitatus, quae aetate quoque nostra supersunt, conquirerem, id est, ut magnam copiam diplomatum in archivis perscrutarer; eodem tempore labore suscepi etiam diplomatum, quae ad familiam de Thurocz attinent, si prae manibus essent, perlegendorum. Hoc modo non solum familia chronographi, sed etiam vita ipsius lineis magis magisque certis descripta ante oculos meos gradatim aperta est. Iam mihi diplomata vetera conquirenti res, quod familia de Thurocz origine et lingua Hungarica fuerat, ea visa est, de qua ambigi non posset. Testimonio erant diplomata, in quibus villa, ubi familia vitam agebat et de qua nomen tulit, de patrono ecclesiae in eadem villa aedificatae Hungarice Szentmihály ('Sanctus Michael'), immo prisorum more Szentmihályur ('Dominus Sanctus Michael') quoque nominabatur (anno 1420).

Argumenta de chronographo Iohanne de Thurocz quindecim fere annos a me colligebantur, quae omnia adiumento fuerunt, ut res et tempora vitae eius cognoscere possem. Ut *Chronicam* — sicut monumentum litterarum — inspicerem, munere docendi adductus sum. In exercitationibus universitariis, quas in serie annorum iuvenibus ad mediaevisticam colendam informandis destinabam, officium necessarium erat explicare, quid valerent fontes narrativi. In his exercitationibus seminarii non semel iuvenibus textum *Chronicae* legendum et pertractandum proposui. Anno 1944 tempus advenisse putavi, ut omnia, quae e textibus explicatis concluseram, breviter

conscriberem. Opusculum meum amplitudine lectiones in academia usu receptas non excessit. Hoc typis descriptum paginas 63 continet et sufficere apparuit, ut lector Hungaricus quidam plus minusve instructus cognosceret, quas partes *Chronica* in historiographia Hungarica excolenda explevisset. Academia Scientiarum Hungarica suadente secretario Sectionis Historiae exemplum manu scriptum lectionis iam aestate illa imprimendum curavit atque etiam tempus recitationis (diem 16 mensis Octobris anni 1944) constitutum inscribi iussit. Hungaria tunc iam a die 19 mensis Martii anni 1944 a Hitler occupata erat, itaque intellegi potest me voluntatibus hominum ductum recitationem inchoavisse reprehendendo opinionem illam populo Hungarico inimicam, quae tempora et res falso interpretari prompta fuit et iam saeculo XIX nonnullorum historicorum in imperio Germanico propria erat. In principio dicendi refutaturus eam opinionem his verbis expressi sententiam meam: "Opus magnum Ottocari Lorenz,¹ ex quo historici externi fontes Hungaricos narrativos saeculi XV cognoscere possunt, et de vita et de opere Iohannis de Thurocz mirum quam pauca argumenta contineat, nec ea quidem recta sunt. Unus ex erroribus notandis est, quibus Lorenz tenetur, quod ipse chronographum non Hungarum, sed progeniem gentis cuiusdam Slavicae debellatae fuisse arbitratur, quae secundum sententiam eius posterius quoque vice Hungarorum rebus litterariis inertium plerumque functa sit."²

Postquam, ut mihi visum est, omnia, quae de vita et opere chronographi medii aevi e fontibus historicis colligi possunt, ad auditores rettuli, et postquam ab iniuria populo nostro illata famam patriae defendi, quaestionem *Chronicae* Iohannis de Thurocz bono animo deposui, ut qui operam certe confecit. At non sic fata tulerunt. Tempore duobus lustris vix longiore peracto aestate anni 1956 magisterium Instituti Historiae Academiae Scientiarum Hungaricae, in quo Instituto tunc munere officii fungebar, mandata mihi dedit, ut adiumento essem academico M. N. Tichomirov in edendo tomo Hungarico operis ab ipso redigendi, quod fontes historicos diversarum nationum contenturum erat. Series Памятники средневековой Истории народов Центральной и Восточной Европы (= *Fontes Historici* medii aevi populorum Europae Mediae et Orientalis), ut comperi, fontes maxime proprios horum populorum in translatione Russica cognoscendos lectoribus propositura erat; imprimis opera litteraria, nihil tamen obstabat, quin leges vel collectanea qualiumlibet diplomatum in lucem proferentur. Redactore percontante, quinam fontium Hungaricorum aptus esset, cuius cognitio lingua Russica vulgaretur, magisterio Instituti Historiae libera electio data est, utrum typum seriei eligere mallet. Aut eum, qui adiumento

¹ Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter seit der Mitte des XIII. Jahrhunderts. Berlin, 1886. I³. p. 342.

² Auch Thurócz war kein Magyare, sondern gehörte dem geknechteten slawischen Stämme des nordwestlichen Ungarns an, welcher auch später vorzugsweise den Mangel eigener litterarischer Tätigkeit der Magyaren ersetzte.

est iuvenibus historiae discendae deditis in academiis et in universitatibus, ut generaliter laborem eorum minuat, et qui modum in explicationibus necessariis dandis non excedit, aut eum, qui textum genuinum fontis critice constituturus est commentariis copiosis particulatim additis, qui etiam quaestiones textui ipsi annexas aperiunt et quibus historici periti certe niti possunt ad quaestiones reliquias pvestigandas. Historici Poloniae, Bohemiae et Iugoslaviae Tichomirov sententiam roganti opera typi prioris edenda censuerant, quae redactor cuncta officiose accepit. Sic deinceps edita sunt Chronicon Polonorum a Gallo scriptum, Chronicon Bohemorum a Cosma scriptum, Chronicon quoddam Hussianum et liber decretorum imperatoris Serbiae Dušan nominati. Huic seriei nimirum inseri potuissent Gesta Hungarorum, opus Hungarici Anonymi, notarii regis Belae. Quoniam exemplar manu scriptum huius operis in editione phototypice impressa iam diu in manu omnium erat, translatio Hungarica iterum atque iterum edita erat, persona autem auctoris Gestorum in operibus tam multis, quae paene bibliothecam totam explerent, tractabatur et quaestiones ei annexae multipliciter illustrabantur ita, ut historicus tiro quoque prototypum fontis narrativi medii aevi facile et clare describere posset.

Magisterium Instituti Historiae de opere alterius typi edendo decrevit. Causa consilii fuit, quod *Chronica Iohannis de Thurocz* a saeculo XVIII typis non edita erat et editiones illius temporis haud rarissimae quidem difficiles tamen ad reperiendum sunt, simul hoc opus est fons completus, plenior ceteris historiae Hungaricae medii aevi, quoniam non solum omnes litterae "Gestorum", sed etiam biographia regis Ludovici I. a Johanne de Kikullew conscripta et historia saeculi XV in propria conscriptione enarrata in hoc fonte continentur. Conglomeratum ex tribus partibus separatis compositum per se non postulavit, ut id accurate explicatum enodatumque tractaretur, sed cum generalibus commentariis edi posset interpretationibus specialibus raro adhibitis. Difficultatem maximam structura composita Gestorum attulit. Textus Gestorum a saeculo XI per annos trecentos formabatur partibus quibusdam nonnunquam additis et omissis, immutatis et rescriptis. Proprietates rationis scribendi chronographorum uniuscuiusque aetatis chronicis inhaeserunt, quae tamen haud facile perspiciuntur et quas pvestigatores gestarum rerum Hungararum cuncti una mente accipere non possunt. Perscrutatio particularis, voluntas, ut origo et proprietates partium singularium *Chronicae* non solum accurate, sed etiam accuratius, quam ex sententiis pvestigatorum antecedentium constitui possent, disputationem artis criticae amplam protulerunt. Coniecturae variae et disceptatio, quamnam formam haberet conclusio, quae definita dici posset, postulaverunt, ut lectores aetatis nostrae argumenta inter se repugnantia cognoscere possent itaque suo iudicio usi ipsi opinionem propriam conciperent. Quoniam constabat textum Gestorum propter superius dicta explicationum accuratiorum indigere, a primo evidens erat *Chronicam Iohannis de Thurocz* interpretationibus non nisi accuratissimis adhibitis edendam esse.

Cum in commentariis conscribendis ad eam partem perveni, quae e Gestis sumpta erat, et percontatus sum, qua amplitudine problemata ab aliis historicis iam tractata explicarem, Tichomirov me haud ambigue adhortatus est simulque mihi potestatem unaquaeque exponendi dedit. Commentarios enim componendo ordinem chronologicum non servavi, sed primum — ut partem minus incertam, et quam egomet bene notam habui — capita ab ipso Iohanne de Thurocz conscripta retractabam, et cum his finitis ad Gesta pervenirem, anno 1960 tomus ille seriei editus est, quo redactor maxime laetus est. Hic tomus est editio Geticorum Iordanis ab E. Č. Skržinskaja sub prelum missa. Hic fons magni momenti aetatis gentium migrationis e tomo quinto seriei “Monumenta Germaniae Historica. Auctores Antiquissimi” toto orbe terrarum notus est, ex quo tempore in hac serie curante Th. Mommsen anno 1882 editus est et cuivis novam editionem huius operis publicaturo haud parva fiducia opus erat. Ingenium editricis eventus prosper editionis novae testatur. Hic eventus praesertim illi rei debetur, quod editrix nulla restrictione adhibita studiis suis immergere potuit, usa potestate exponendi data problemata, locos textus singulos, qui sibi magni momenti esse videbantur, libere exquisivit. Opus a Skržinskaja editum rationem operae meae in eo quoque probavit, quod ipse commentarios conscribens licentia interpretandi non abusus sum, itaque suspicio in me non incidit, ex qua non nisi ideo in elementis minimi momenti explicandis morarer, ut amplitudinem libri mei augerem. Stabat mihi commentarios conscribenti sententia me licentia scriptoris non in maiorem modum uti, quam necessarium putabam, usque ad operam finitam tamen exspectare cogebat, dum haec ratio scribendi argumentis prolatis comprobaretur. Tunc amplitudinem commentariorum meorum comparando cum commentariis ad librum Iordanis compositis cura solutus vidi commentarios Geticorum, quae 52 paginas typis garmond nominatis impressas habent, 192 paginas typis petit nominatis impressas, commentarios autem textus *Chronicae* Iohannis de Thurocz machina scripti et 318 paginas habentis 1363 paginas similes complecti. Id est, dum singulis paginis Geticorum 3,69 paginae interpretationum obveniunt, proportio paginarum apud *Chronicam* 4,28 est ea magna differentia interposita, quod una pagina commentariorum typis petit nominatis compositorum dimidio maior est, quam pagina machina scripta.

Dum in partibus *Chronicae* ab ipso Iohanne de Thurocz conscriptis explicandis occupatus eram, partem eam, quae in Gestis et apud Johannem de Kikullew adnotata est, me rogante Erik Fügedi, discipulus quandam meus animum ad aspectum specialem advertens perscrutabatur. Hunc virum operi confiendo adiungere ideo necesse est visum, quoniam non erat mihi clarum, quantum et quo modo in descriptione rerum aetatis Arpadianae et aetatis Andegavensium ultimis annis saeculi XIX prodita opinio communis historicorum usque ad nostram aetatem mutata esset, et monographiae Julii Paurer atque Antonii Pór quantum et quo modo a

historicis generaliter acceptae essent. Opus meum inspicioendo et per vestigationes suas conscribendo Erik Fügedi praeter cetera sua munera duos fere annos consumpsit. Constitutiones eius operam meam mirum in modum allevaverunt, praecipue quia liberatus sum a labore documenta bibliographica conquirendi, qui me avocavisset a studio meo summo, id est ut gesta retracta, strata variorum chronicorum alia ab aliis seiungerem.

Ineunte anno 1961 potui ad collegas, imprimis in Instituto Historiae, praeterea ad coetus doctorum quoque de progressu operis mei referre. Colloquia huiusmodi utilia fieri solent, nam studium doctorum auctores semper iuvat, immo cohortatur, quia se id excitavisse et opera sua in aliquo honore haberi sibi videtur. Quod ad operam meam pertinet, maximo mihi usui fuit comitas et liberalitas Instituti Historiae. Nam Institutum praestitudo diem dipsutationi non solum potestatem constituit quaestiones per tractandas exemplaribus propalam collocatis ante diem dictam cognoscendi, sed etiam textum totum opusculi, quod introductioni operis mei destinavi, multiplicandum et exemplaria singula preferenda curavit non solum ad historicos, sed etiam ad cunctos doctos, qui studia propinqua, praecipue historiam litterarum coientes credi poterant sibi quodam modo quaestiones tractandas curae fore. His rebus omnibus maxima cum cura praeparatis — pro quibus gratias magnas Instituto debo — die 5 mensis Iunii anno 1961 multi historiae et litterarum periti convenerunt sententiamque suam professi sunt, alii autem adnotaciones suas descriptas mihi miserunt. Participes disceptationis se tam intentos et ad adiuvandum paratos praestiterunt, ut ullus auctor satis magnam gratiam eis referre non possit; atque sincere et aperte reprehensiones exponendo occasionem mihi praebuerunt, ut nonnullas conclusiones, quae ad probandum haud satis certae videbantur, iterum animo reputarem et sententiam argumentis accuratioribus confirmarem.³

Conscriptio ultima introductionis duplice fine composita — quae partim curriculum vitae Gestorum per saecula prope quattuor in brevi conspectu retraxit, partim industriam Johannis de Thurocz ut scriptoris res vel minimas, quantum potest, accuratissime persequens descripsit — re vera partem operis mei finivit, quae eo, quod artem a me quandam scribendi postulabat, iucunda dici poterat. Cum commentarios textui *Chronicae* adiungendos componere coepi, ad eam partem operis adveni, quae pars laboris multo maioris esse, quam pars prior monstrabatur. Tunc ratio perscrutandi, quae proprietas erat plerisque investigatoribus Gestorum, iam derelinqua fuit, ex qua ipsi in quaestione quadam particulari explicanda defixi erant et non nisi huic uni parti, problemata huius partis persolvendo operam dederunt. Mihi propositum est, ut textum *Chronicae* totum animo pariter intento perscrutando, nulli labori parcens, a nulla difficultate conterritus quasque res vel minimas persequerer et tum quoque

³ De disceptatione Valentinus Surányi in TSz 4 (1961) pp. 514—518 relationem rettulit, continenter autem in paginis 519—524 ipse quoque responsum ad adnotaciones criticas datum exposui.

eas explicare conarer, cum mihi iam pro certo videatur minimum tantum emolumentum ex mea explicatione scientiae oriturum esse. Opportune plerumque singuli commentarii conscribendi mihi vim stimulandi ad studia continuenda necessariam non adimebant, nec tamen negare possum celeritatem operae retardatam esse. At M. N. Tichomirov inter dies 12 et 28 mensis Augusti anno 1962, cum ipse Budapestini commorabatur, ut cognosceret, quo modo opus inceptum progrederetur, id satis provectum esse constituere potuit. Mihi voluptatem ineffabilem attulit virum ingenii humanissimi et in disceptionibus et tunc, cum expositiones magnificas in museis et in pinacothecis admirabamur, cognoscere. Memoria temporis, quod cum eo colloquens consumere potui, nulla unquam oblivione delebitur. M. N. Tichomirov profecturus directori Instituti Historiae, Erik Molnár rem maximi momenti declaravit: promisit in serie sua non solum textum Latinum Johannis de Thurocz et translationem in lingua Russica nec non textum Russice redditum introductionis et commentariorum a me compositorum se editurum, sed haec omnia etiam in lingua Hungarica publicaturum esse. Sicut quondam in circulis litterariis dictum erat, cum similia consilia more Maecenatis enuntiata audiebantur: hoc promissum principe dignum fuit, dignum Academia Scientiarum Sovietica et potestate ubertateque Civitatum Foederatarum Sovieticarum, quam academiam Tichomirov sodalis et vicepraeses reprezentabat.

Consilium a Tichomirov propositum animum meum vehementer movit, quod ad effectum adductum iri nullum dubium reliquerunt communicaciones, quae auctoritatem quasi publicam habebant. Communicationes enim de hoc consilio et in periodico historicorum Hungaricorum Századok inscripto, et in periodico historico Academiae Scientiarum Hungaricae, in Actis Historicis editae sunt. Cooperatio historicorum Sovieticorum et Hungaricorum sic se demonstratura me fiduciae plenum reddidit et in memorata communicatione magno cum gudio legi: "Fons quidam historiae Hungariae medii aevi totus in linguam modernam multis notam translatus una cum commentariis primum edetur, itaque viri mediaevisticae universali periti unum ex operibus illustrissimis historicorum Hungaricorum medii aevi cognoscent auxilio commentariorum criticorum et commentariorum res historicas spectantium, qui conclusiones novissimas historicorum marxistarum in se continent."⁴ Inde operi meo magnam gravitatem attribui, altera parte quod proprietates unius fontis praecipue historiae Hungaricae multis modis describendo progressum historiographiae nostrae in conspectum producit, altera autem parte quod — referendo de pervestigatione nostra ad medium aevum pertinenti — aperit, quae sint problemata nostra historica. Immo quidem pro certo censebam omnes, qui praeter linguam maternam etiam periti sunt linguae Russicae, cuius auxilio in latiore campo artium litterarumque erudiri possunt, maiore intentione animi opus meum

⁴ Száz. 96 (1962) p. 939, Acta Historica 9 (1963) pp. 249—254.

lecturos esse, quam eos, quos praeter ceteros ipse quoque aetate vitae non tam provecta in lingua aliqua Europae Occidentalis ad studium rerum praeteritarum Hungaricarum excitare conabar. Illo tempore spe saepe destitutus intellexi non difficultates linguarum impedimento esse, quominus historia Hungarorum simulque per hanc populus Hungaricus cognosci possent, sed inertiam studiorum et imprimis neglegentiam. Nam id quoque exempli causa proferri potest, quod investigator quidam medii aevi Austriaeus talem editionem fontium Budapestini impressam ignoravit, quae in lingua Latina prodidit notitias, quibus ad fontem quendam Austriacum aestimandum uti potuisse. Hac experientia rerum tristi commotum me iuvabat cogitare eos, qui animo ingenuo et sine opinione praesumpta *Chronicam* in manum sumant, non dubitatuos esse, quin hic liber speculum rerum gestarum verarum esset, quae animos lectorum ad aetatem veterem non neglegendam convertunt.

Autumno anni 1966, cum ipse Moscoviae exemplum manu scriptum commentariorum praefectae Sectionis Byzantinologicae Instituti Historiae, nomine Z. V. Udaltsova tradidi, etiam tunc mihi visum est etsi dilatatione quadam, tamen librum editum iri. At mors redactoris seriei, Tichomirov, qui paulo ante a vita excesserat, quod ad opus meum edendum attinet, res gravissimi momenti fuit. Introductio operis "A Thuróczy-krónika és forrásai" (= *Chronica* Johannis de Thurocz fontesque eius) inscripta Budapestini in lingua Hungarica edita quidem est⁵ ut volumen quintum seriei Tudománytörténeti tanulmányok (= *Studia ex historia scientiarum*), tamen consilium *Chronicae* in lingua Russica edendae ad effectum adduci non possibile videbatur.

Quamquam ipse animum submisi, spes tamen editionis non evanuit. Homines iuniores pertinacioresque, quam egomet, in locum meum successerunt in certamen descensuri. Postquam Institutum Litterarum Academiae Scientiarum Hungaricae una cum Aedibus Librariis Academiae seriem Bibliothecae Scriptorum Medii Recentisque Aevorum olim a Ladislao Juhász inceptam curandam accepit, — auctoribus Tiburtio Klaniczay eo tempore vicedirectore Instituti et Antonio Pirnát redactore seriei — anno 1972 collegium moderatorum seriei decrevit, ut *Chronica* et commentarii in Hungaria ederentur. Mihi autem potestas socii assumendi data est, qui auxilio esset ad operam perficiendam. Magnum mihi gaudium attulit professor doctus universitatis Szegediensis, Julius Kristó, cum curam *Chronicam* edendi in se recepit, nec operam suam ad commentarios, qui anno 1965 intermissi sunt, usque ad annum 1975 continuandos denegavit, neque operam translationis attento animo observare recusavit. Haec tria officia suscepta ipse maxima cum diligentia — propria sua — et labore admirando exsecutus est. Textum cum introductione una cum Elisabeth Galántai perfecit, ex commentariis autem ipse Julius Kristó eos conscripsit,

⁵ Magnitudine paginas 207 continet.

qui operibus post annum 1965 editis nituntur. Sententiae nostrae, quae ad quaestiones Gestorum pertinent, non omnino congruentes sunt. Nimirum doleo professorem Kristó opiniones nonnullas meas probare non potuisse, magnum mihi gaudium attulisset, si ei persuasissem meam rationem rectam esse, tamen magni aestimo eum in sententia sua perseverare. Sic agere debeo ideo quoque, quoniam nec ipse moleste fert me in opinione mea permanere. Id, quod sententiae nostrae hoc modo inter se differunt, venia dignum puto, quia utrique iudicio pariter integro lecturos edocere conabamur.

Auxilii eius — praeter merita supra dicta — aliam ob causam quoque nunquam immemor ero. Quod Julius Kristó socius operaे meae fieri voluit, argumentum mihi affert opus meum, cui conscribendo tam multum temporis contuli, non inutile nec indignum esse, quo vir ingenio maximo praeditus subolis iunioris occupetur. Tempus consumpsi, quod irreparabile fugit, et vires, quas ad aliud fortasse munus impendere rectius fuisset. Quod si tamen eveniat, ut commentarios periti historiae Hungaricae ad suam utilitatem conferre possint, idcirco Julio Kristó gratias habere debeo, qui me spem deponere non sinebat, vires autem meas deficientes assiduitate sua supplevit.

Postremo gratum officium habeo gratias agere pro diligentia adhibita omnibus, qui in textu Hungarico commentariorum Latine reddendo partes suscepérunt. Hanc operam difficultem periculique plenam et interpres textus, Paulus Pelle, et Stephanus Petrovics, qui in textu sub prelum mittendo adiuvit, animis promptis paratisque exsecuti sunt. Per attentionem eorum indefessam assecutus sum, ut opus, in quo tam longum tempus inhaerebam, interitum effugeret. Profecto omnes intellegunt, quantam gratiam eis, sed praecipue dominae professori Mariae Révész debeam, quae munus recensendi textus totius translati animo libenti suscepit. In abbreviationibus componēndis Zoltán Kordé adiuvit.

Numeri in margine textus adnotati paragraphos, id est sententias editionis *Chronicae Johannis de Thurocz* significant, quam Elisabeth Galántai et Julius Kristó confecerunt.

Budapestini, die 26 mensis Iulii anno 1981.

Elemér Mályusz

ABBREVIATIONES

a. = annus, anni

A = Codex Acephalus, qui textum Chronicu Hungarorum continet (asservatur Budapestini in tabulario Bibliothecae Nationalis de Széchényi nominatae)

a = Johannes de Thwrocz: Chronica Hungarorum. Auguste 1488.

Abt. = Abteilung

a. Ch. n. = ante Christum natum

Acta Antiqua Acad. Scient. Hung. = Acta Antiqua Academiae Scientiarum Hungaricae. Bp. 1951—.

Acta Linguistica Acad. Scient. Hung. = Acta Linguistica Academiae Scientiarum Hungaricae. Bp. 1951/52—.

Acta Orient. Acad. Scient. Hung. = Acta Orientalia Academiae Scientiarum Hungaricae. Bp. 1950/51—.

Acta Sanctorum Boll. = Acta Sanctorum Bollandiana. Antverpiae—Bruxellis. 1643—.

adnot. = adnotatio

AÉ = Archaeologai Értesítő (= Acta Archaeologica). Pest (= Pestini)—Bp. 1869—.

AECO = Archivum Europae Centro-Orientalis. Bp. 1935—1944.

Aeneas Silvius = Ae. Sylvius: Opera omnia. Basileae 1551.

aep. = archiepiscopus

aepatus = archiepiscopatus

A Magyar Tört. tud. Int. Évkönyve = A Magyar Történettudományi Intézet Évkönyve (= Annales Instituti Scientiarum Historiae Hungarici). Bp. 1942.

Anjou = Anjoukori okmánytár, Codex diplom. Hungaricus Andegavensis. Szerk. (= Red.) Nagy I.—Nagy Gy. I.—VII. Bp. 1878—1920.

Annales = Annales Universitatis Scientiarum Budapestinensis de Rolando Eötvös nominatae. Sectio Historica. Bp. 1957—.

AÖG = Archiv für Österreichische Geschichte. Wien 1865—.

apost. = apostolicus

ASz = Agrártörténeti Szemle (= Historia rerum rusticarum). Gödöllő 1957—.

AU Szeged. AH = Acta Universitatis Szegediensis de Attila József nominatae. Acta Historica. Szeged 1957—.

b = Johannes de Thwrocz: Chronica Hungarorum. In ... civitate Brunensi 1488.

B = Chronicum Budense. Chronica Hungarorum. Finita Bude. Anno Domini 1473 in vigilia pentecostes per Andream Hess. Ed. phototypica. Bp. 1973.

Balics = Balics L.: A római katholikus egyház története Magyarországon (= Historia catholicae ecclesiae Romanae in Hungaria). I—II. Bp. 1885—1890.

Bárczi = Bárczi G.: Magyar szófejtő szótár (= Lexicon etymologicum Hungaricum). Bp. 1941.

Bartoniek = Bartoniek E.: *A magyar királykoronázások története (= Historia coronationis regum Hungariae)*. A Magyar Történelmi Társulat Könyvei (= Libri Societatis Historicorum Hungaricorum). IV. Sine a. et loco [1939].

Békefi = Békefi R.: *A káptalanai iskolák története Magyarországon 1540-ig (= Historia scholarum capitulorum in Hungaria usque ad annum 1540)*. Bp. 1910.

Békefi Ekv = Dolgozatok Békefi Remig egyetemi tanár működésének emlékére (= Dissertationes in memoriam muneris in universitate expleti Remigii Békefi). Bp. 1912.

Bonfini = A. de Bonfinis: *Rerum Ungaricarum decades*. Ed. I. Fógel—B. Iványi—L. Juhász—M. Kulcsár—P. Kulcsár. I—IV/2. Lipsiae—Bp. 1936—1976.

Bp. = Budapest (= Budapestinum)

Bresslau = H. Bresslau: *Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und Italien*. Zweite Auflage. I—II. Leipzig—Berlin 1912—1960.

Bretholz = B. Bretholz: *Geschichte Böhmens und Mährens*. I—IV. Reichenberg 1924—1925.

BSz = Budapesti Szemle (= Acta Budapestinensis). Pest (= Pestini) 1857—1869. Bp. 1873—1944.

Budapest okl. I. = Budapest történetének okleveles emlékei. *Monumenta diplomatica civitatis Budapest*. Csánky D. gyűjtését kiegészítette és sajtó alá rendezte Gárdonyi A. Collectionem D. Csánky auxit typoque paravit A. Gárdonyi. I. 1148—1301. Bp. 1936.

Bud. Rég. = Budapest Régiségei (= Antiquitates Budapestini). A Budapesti Történeti Múzeum Évkönyve (= Annales Musei Historici Budapestini). Bp. 1889—.

Bunyitay = Bunyitay V.: *A váradi püspökség története alapításától a jelenkorig (= Historia episcopatus Varadiensis a principiis usque ad nostra tempora)*. I—III. Nagyvárad (= Varadini) 1883—1884.

Byz. = Byzantium, Byzantinus

c. = circa

cap. = caput

card. = cardinalis

Cartellieri = A. Cartellieri: *Die Weltstellung des deutschen Reiches 911—1047. Weltgeschichte als Machtgeschichte* 2. München—Berlin 1932.

cf. = confer

cit. = citatus

CNH = Réthy L.: *Magyar egyetemes éremtárv. Corpus nummorum Hungariae*. I—II. Bp. 1899—1907.

Cod. = Codex

Cod. Mor. = *Codex diplomaticus et epistolaris Moraviae*. Ed. A. Boczek et alii. I—XV. 1836—1903.

col. = columna

coll. = columnae

com. = comitatus

comm. = commentarii

comp. = composit

Cornides = D. Cornides: *Vindiciae Anonymi Belae regis notarii*. Budae 1802.

Corona = Corona regni. *Studien über die Krone als Symbol des Staates im späteren Mittelalter*. Ausgewählt, mit einem Nachwort versehen und hrsg. von M. Hellmann. Weimar 1961.

Corp. iur. Hung. = Magyar Törvénytár. *Corpus juris Hungarici*. Szerk. Red. Márkus D. I. 1000—1526. évi törvénycikkek (=Articula annorum 1000—1526). Bp. 1899.

Csánki = Csánki D.: *Magyarország történelmi földrajza a Hunyadiak korában (= Geographia historica Hungariae aetate familiae de Hunyad)*. I—III., V. Hunyadiak kora Magyarországon (= Aetas familiae de Hunyad in Hungaria). Bp. 1890—1913.

CSHB = *Corpus Scriptorum Historiae Byzantinae*. Bonnae 1828—1897.

Csóka = Csóka J. L.: *A latin nyelvű történeti irodalom kialakulása Magyarországon a*

XI—XIV. században (= De litteratura historica in lingua Latina saeculis XI—XIV in Hungaria explicata). Irodalomtörténeti Könyvtár (= Bibliotheca Historiae Litterarum) 20. Bp. 1967.

Csoma = Csoma J.: A magyar heraldika korszakai (= Epochae heraldicae Hungaricae). Bp. 1913.

ČSSR = Československá Socialistická Republica (= Cechoslovacica Socialistica Res Publica)

Curschmann = Fr. Curschmann: Hungersnöte im Mittelalter. Ein Beitrag zur deutschen Wirtschaftsgeschichte des 8. bis 13. Jahrhunderts. Leipziger Studien aus dem Gebiet der Geschichte. VI. 1. Heft. Leipzig 1900.

Curtius = E. R. Curtius: Europäische Literatur und lateinisches Mittelalter. Bern 1948.

D = Chronicon Dubnicense, quod textum Chronicorum Hungarorum continet (asservatur Budapestini in tabulario Bibliothecae Nationalis de Széchenyi nominatae)

Deér = Deér J.: A magyar törzsszövetség és patromoniális királyság külpolitikája (= De rebus externis foederatarum tribuum Hungaricarum et regni patrimonialis). Kaposvár 1928.

Deér, Heidniches = J. Deér: Heidniches und Christliches in der altungarischen Monarchie. Acta Litterarum ac Scientiarum Universitatis Hung. Francisco-Josephinae. Sectio Geographiczo-Historica. Tom. I. Fasc. 2. Szeged 1934.

Delbrück = H. Delbrück: Geschichte der Kriegskunst im Rahmen der politischen Geschichte. III. Zweite, neu durchgearbeitete Auflage. Berlin 1923.

Dercsényi, Bazilika = Dercsényi D.: A székesfehérvári királyi bazilika (= De basilica regia Albensi). Bp. 1943.

Dercsényi, Visegrád = Dercsényi D.: Visegrád műemlékei (= De monumentis artis in Visegrad). Bp. 1951.

Dindorf—Müller = Diodori Siculi bibliothecae historicae quae supersunt. Ex nova recens. Ludov. Dindorffii. Gr. et Lat. Perditorum libr. excerpta et Fragmenta ad integri operis seriem accommodare studuit, rerum indicem locuplet. adiecit Carolus Müllerus. Accedit varietas codicis Peiresciani denuo excussi. Lex.-8. I—II. Parisiis 1842—1844.

Diod. Sic. = Diidorus Siculus. With an English Translation by C. H. Oldfather—R. U. Geer—F. R. Walton. I—XII. London 1946—1957.

Diószegi = Diószegi V.: A sámánhit emlékei a magyar népi műveltségen (= De reliquiis cultus samanismi in arte populari Hungarorum). Bp. 1958.

Domanovszky = Domanovszky S.: Kézai Simon mester krónikája (= Chronicon magistri Simonis de Kéza). Bp. 1906.

Domanovszky Ekv = Emlékkönyv Domanovszky Sándor születése hatvanadik fordulójának ünnepére (= Liber memorialis ad festum diei anniversarii sexagesimi nativitatis Alexandri Domanovszky). Bp. 1937.

DRTA = Deutsche Reichstagsakten. Hrsg. von J. Weizsäcker—D. Kerler—H. Herre—G. Beckmann—H. Weigel. I—XIV. München—Gotha 1867—1935.

Dt. Chron. = Die Kreuzfahrt des Landgrafen Ludwigs des Frommen von Thüringen. Hrsg. von H. Naumann. M. G. H. Scriptores qui vernacula lingua usi sunt. IV/2. Berlin 1923.

Du Cange = Glossarium mediae et infimae latinitatis. Conditum a Carolo Du Fresne domino Du Cange ... digessit G. A. L. Henschel. Ed. nova ... a L. Favre. I—X. Niort 1883—1887.

Duchesne, Hist. Franc. script. = Historiae Francorum scriptores coetani ... Ed. A. Duchesne—F. Duchesne. I—V. Lutetiae Parisiorum 1636—1649.

Dümmler = E. Dümmler: Geschichte des ostfränkischen Reiches (Jahrbücher der deutschen Geschichte). III. Die letzten Karolinger. Konrad I. Zweite Auflage. Leipzig 1888.

Eckhardt = Eckhardt S.: A pannóniai hún történet keletkezése (= De historia Hunnorum in Pannonia orta). Száz. 1927—1928. 465—491, 605—632.

Eckhart = Eckhart F.: *Magyar állam- és jogtörténet (= Historia regni Hungariae et iuris Hungarici)*. Bp. 1947.

ed. = editio, edidit, ediderunt

Elekes = Elekes L.: *A középkori magyar állam története megalapításától mohácsi bukásáig (= Historia regni Hungariae medii aevi a principiis usque ad interitum ad Mohács factum)*. Bp. 1964.

Elekes—Lederer—Székely = Elekes L.—Lederer E.—Székely Gy.: *Magyarország története az őskortól 1526-ig (= Historia Hungariae a temporibus veterrimis usque ad annum 1526)*. Bp. 1961.

Emler = *Fontes rerum Bohemicarum*. Ed. J. Emler et alii. I—VII. Praha (= Pragae) 1873—1932.

ep. = episcopus

epatus = episcopatus

EPHK = *Egyetemes Philologai Közlöny (= Acta Philologica Universalia)*. Bp. 1877—1948.

Erben = W. Erben: *Kriegsgeschichte des Mittelalters*. Beihefte der Historischen Zeitschrift 16. München—Berlin 1929.

Erdélyi = Erdélyi L.: *Magyarország társadalma XI. századi törvényeiben (= De societate Hungariae in legibus saeculi XI)*. Bp. 1907.

Erdélyi, Kézai = Erdélyi L.: *Krónikáink atya Kézai (= Simon de Kéza pater chronicorum Hungaricorum)*. Szeged (= Szegedini) 1933.

Erdélyi, Krónikáink = Erdélyi L.: *Krónikáink magyarul (= Chronica nostra in lingua Hungarica)*. Szeged (= Szegedini) 1943.

Erdélyi, Legkritikusabb = Erdélyi L.: *A tizenkét legkritikusabb kérdés (= De duodecim quaestionibus maxime dubiis)*. Kolozsvár (= Claudiopolis) 1917.

Erdélyi, Ötven historicus = Erdélyi L.: *Ötven historikus szentistváni emlékművei (= De operibus quinquaginta historicorum in memoriam Sancti Stephani conscriptis)*. Szeged (= Szegedini) 1941.

Erg. band = Ergänzungsband

Ért. nyelvtud. = Értekezések a nyelv- és széptudományi osztály köréből (= Dissertationes sectionis glottologiae artiumque elegantiorum). 1—26. Bp. 1867—1948.

Ért. tört. tud. = Értekezések a történeti tudományok köréből (= Dissertationes de scientiis historiae). 1—26. Bp. 1867—1947.

Ért. tört. tud. N. S. = Értekezések a történeti tudományok köréből (= Dissertationes de scientiis historiae). Új sorozat (= N. S.). Bp. 1957—.

Ethn. = Ethnographia. Bp. 1890—.

Etym. Szótár = Gombocz Z.—Melich J.: *Magyar etymologiai szótár (= Lexicon etymologicum Hungaricum)*. I—II. Bp. 1914—1944.

Eubel = C. Eubel: *Hierarchia catholica medii aevi*. I—III. Monasterii (Münster) 1898—1910. Editio secunda 1913—1923.

f. = filia, filius

fam. = familia

fasc. = fasciculus

Fejér = G. Fejér: *Codex diplomaticvs Hvngariae ecclesiasticvs ac civilis*. I—XI. Budae 1829—1844.

Fejérpataky = Fejérpataky L.: *A királyi kancellária az Árpádok korában (= Cancellaria regia aetate Arpadiana)*. Bp. 1885.

Fejérpataky, II. István = Fejérpataky L.: *Oklevelek II. István király korából (= Diplomata ex aetate Stephani II. regis Hung.)*. Ért. tört. tud. XVI. 4. Bp. 1895.

Fejérpataky, Kálmán = Fejérpataky L.: *Kálmán király oklevelei (= Diplomata Colomani regis)*. Ért. tört. tud. XV. 5. Bp. 1892.

Fekete Nagy = Fekete Nagy A.: *A Szepesség területi és társadalmi kialakulása (= Quo modo regio et societas Scapusii conformatae sint?)*. Bp. 1934.

Fekete Nagy, Trencsén = Fekete Nagy A.: *Magyarország történelmi földrajza a Hunyadiak korában (= Geographia historica Hungariae aetate familiae de Hunyad)*. IV. Trencsén vármegye (= Comitatus Trenchen). Hunyadiak kora Magyarországon (= Aetas familiae de Hunyad in Hungaria). Szerk. (= Red.) Lukinich I. IX. Bp. 1941.

FK = Filológiai Közlöny (= Acta Philologica). Bp. 1955—.

fl. = flumen, fluvius

Font. dom. = M. Florianus: *Historiae Hungaricae fontes domestici*. Pars I.: *Scriptores 1—4. Quinque-ecclesiis—Lipsiae—Budapestini* 1881—1885.

fr. = frater.

Fraknói = Fraknói V.: *Magyarország egyházi és politikai összeköttetései a római szentszékkel (= Ecclesiasticae et politicae coniunctiones Hungariae cum Sede Apostolica Romana)*. 1000—1526. I—II. Bp. 1901—1902.

g. = gens, populus etc.

Gams = P. B. Gams: *Series episcoporum Ecclesie catholicae, quotquot innotuerunt a Beato Petro apostolo*. I—II. Ratisbonae—München 1879—1880. Suppl. ed. 1879—1886.

Gárdonyi = Gárdonyi A.: *Buda és Pest a tatárjárás előtt (= Buda et Pestinum ante incursionem Tartarorum)*. Tallázás Budapest és környéke múltjából (= Pervestigatio in historia Budapestini et regionis eius). I. Bp. 1941.

geogr. = geographicus

Gerevich = Gerevich T.: *Magyarország románkori emlékei (= Monumenta aetatis Romanensis in Hungaria)*. Magyarország művészeti emlékei (= Monumenta artis Hungariae). I. Bp. 1938.

Gerics = Gerics J.: *Legkorábbi gesta-szerkesztések keletkezésrendjének problémái (= De quaestionibus ortus et seriei veterrimorum gestorum compositorum Hungaricorum)*. Ért. tört. tud. N. S. 22. Bp. 1961.

Giesebricht = W. Giesebricht: *Geschichte der deutschen Kaiserzeit*. I—VI. Braunschweig—Leipzig 1855—1895.

Gombocz = Gombocz Z.: *A magyar őshaza és a nemzeti hagyomány (= De sede veterima memoriaque patria Hungarorum)*. NyK 1917—1920. 129—194; 1923—1927. 1—33, 168—193.

Gombocz 1938 = Gombocz Zoltán összegyűjtött művei (= Opera collectanea Zoltán Gombocz) I. Ed. Zsirai M. Bp. 1938.

Gombos = A. F. Gombos: *Catalogus fontium historiae Hungaricae aevo ducum et regum ex stirpe Arpad descendantium ab anno Christi 800 usque ad annum 1301*. I—III. Bp. 1937—1938. IV.: Index. Composuit Cs. Csapodi. Bp. 1943.

Górka v. O. Górká

Graesse = J. G. Th. Graesse: *Orbis latinus oder Verzeichnis der wichtigsten lateinischen Orts- und Ländernamen*. Zweite Auflage von Fr. Benedict. Berlin 1909.

Gragger = Philologai dolgozatok a magyar—német érintkezésekéről (= Dissertationes philologicae de consuetudinibus Hungaro—Germanicis). Szerk. (= Red.) Gragger R. Bp. 1912.

Griffin = Guido de Columnis: *Historia destructionis Troiae*. Ed. by N. L. Griffin. (The Mediaeval Academy of America. Publication No. 26) Cambridge 1936.

Gyárfás = Gyárfás I.: *A jász-kunok története (= Historia Jazonum-Cumanorum)*. I—IV. Kecskemét—Szolnok—Bp. 1870—1885.

Györffy = Györffy Gy.: *Krónikáink és a magyar őstörténet (= Chronica Hungarica et praehistoria Hungarorum)*. Bp. 1948.

Györffy, Besenyők = Györffy Gy.: *Besenyők és magyarok (= Bisseni et Hungari)*. Bp. 1940.

Györffy, Budapest = Györffy Gy.: *Budapest története az Árpád-korban (= Historia*

Budapestini aetate Arpadiana). Budapest története az óskortól az Árpád-kor végéig (= *Historia Budapestini a temporibus veterimis usque ad finem aetatis Arpadianae*). Szerk. (= Red.) Gerevich L. Bp. 1973. 217—294.

Györffy, Tanulm. = Györffy Gy.: *Tanulmányok a magyar állam eredetéről*. A nemzetstól a vármegyéig, a törzstől az országig. Kurszán és Kurszán vára (= *Studio de ortu regni Hungariae*. A generibus usque ad comitatus, a tribubus usque ad regnum. Curzan et castrum Curzan). A Magyar Néprajzi Társaság könyvtára (= *Bibliotheca Societatis Ethnographicae Hungaricae*). Bp. 1959.

Györffy, Tört. földr. = Györffy Gy.: *Az Árpád-kori Magyarország történeti földrajza*. *Geographia historica Hungariae tempore stirpis Arpadianae*. I. Bp. 1963.

Györy = Györy J.: *Gesta regum — Gesta nobilium*. Tanulmány Anonymus krónikájáról (= *Dissertatio de chronicis Anonymi*). Bp. 1948.

h. = *hodie*

hab. = *habitatores, incolae*

Hain = L. Hain: *Repertorium bibliographiarum in quo libri omnes ab arte typographica inventa usque ad annum 1500...* Indices uberrimi opera C. Burger. Lipsiae 1891.

Hajnik = Hajnik I.: *A magyar bírósági szervezet és perjog az Árpád- és a vegyes-házi királyok alatt* (= *Structura iudiciorum et ius litigionarium in Hungaria temporibus regum stirpis Arpadianae et regum e diversis stirpibus ortorum*). Bp. 1899.

Hauck = A. Hauck: *Kirchengeschichte Deutschlands*. Neunte Auflage. I—V. Berlin 1958.

Hauck, Realenc. = *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*. Hrsg. von A. Hauck. Dritte Auflage. I—XXIV. Leipzig 1896—1913.

Hazai Okmt. = Hazai Okmánytár. *Codex diplomaticus patrius*. Szerk. (= Red.): Nagy I. et alii. I—VIII. Győr (= Jaurini)—Bp. 1865—1891.

Hebr. Quaest. = Hieronymus: *Liber hebraicarum quaestionum in Genesim*. Migne, PL 23.

Heckenast = Heckenast G.: *Fejedelmi (királyi) szolgálónépek a korai Árpád-korban* (= *Servi ducales [regales] prima aetate Arpadiana*). Ért. tört. tud. N.S. 53. Bp. 1970.

hist. = *historicus*

HK = Hadtörténelmi Közlemények (= *Acta Historiae Rei Militaris*). Bp. 1888—1944. N. S. 1954—.

Hodinka = Hodinka A.: *Az orosz évkönyvek magyar vonatkozásai* (= *Relationes Hungariæ in Annalibus Russicis*). Bp. 1916.

Holzapfel = H. Holzapfel: *Handbuch der Geschichte des Franziskanerordens*. Freiburg im Breisgau 1909.

Hóman = Hóman B.: *A Szent László-kori Gesta Ungarorum és XII—XIII. századi leszármazói* (= *Gesta Ungarorum aetatis Sancti Ladislai et derivata saeculorum XII—XIII*). Bp. 1925.

Hóman, Hún-hagyomány = Hóman B.: *A magyar hún-hagyomány és hún-monda* (= *Memoria Hunnorum et fabula Hunnisca apud Hungaros*). Bp. 1925.

Hóman, Károly Róbert = Hóman B.: *A magyar királyság pénzügyei és gazdaságpolitikája Károly Róbert korában* (= *Res nummariae et oeconomiae regni Hungariae aetate Caroli Roberti*). Bp. 1921.

Hóman, M. tört. = Hóman B.—Szekfű Gy.: *Magyar történet* (= *Historia Hungarica*). I—VIII. Bp. é. n. (= sine a.).

Hóman, Pénztört. = Hóman B.: *Magyar pénztörténet 1000—1325* (= *Historia nummorum in Hungaria annis 1000—1325*). Bp. 1916.

Horváth = Horváth J.: *Árpád-kori latinnyelvű irodalmunk stílusproblémái* (= *De quaestitionibus generis scribendi in litteratura Hungarica aetatis Arpadianae Latine conscripta*). Bp. 1954.

Horváth, Hun-tört. = Horváth J.: *A hun-történet és szerzője* (= *De historia Hunnorum auctore eius*). ItK 1963. 446—476.

Horváth, Kezdetei = Horváth J.: A magyar irodalmi műveltség kezdetei (= De primordiis culturae litterariae in Hungaria). Bp. 1944.

Horváth—Székely = Középkori kútfőink kritikus kérdései (= De quaestionibus criticis fontium Hungaricorum medii aevi). Szerk. (= Red.) Horváth J.—Székely Gy. Memoria saeculorum Hungariae I. Bp. 1974.

hrsg. = herausgegeben

Huber = Huber A.: Ausztria története (= Historia Austriae). I—III. Bp. 1899—1901.

Hung. = Hungaria, Hungarice, Hungar(ic)us, Hungarorum etc.

Hurter, Nomenclator = H. Hurter: Nomenclator literarius theologiae catholicae. Editio tertia emendata et aucta. I—VI. Oeniponte 1903—1913.

ibid. = ibidem

imp. = imperator, caesar

ins. = insula

Inst. = Institutiones seu Elementa Iustiniani

Iord., Getica = Iordanis Romana et Getica. Recensuit Th. Mommsen. M. G. H. AA V/1. Berolini 1882.

Isid. = Isidorus Hispalensis: Origines sive Etymologiae. Migne, PL 82.

ItK = Irodalomtörténeti Közlemények (= Communicationes de historia litterarum). Bp. 1891—.

Iust. Cod. = Codex Iustinianus repetitiae paelectionis

Jakó = Jakó Zs.: Bihar megye a török pusztítás előtt (= Comitatus Bihoriensis ante depopulationem Turcicam). Bp. 1940.

Jan. = Januarius

Jancsó Benedek Ekv = Jancsó Benedek emlékkönyv (= Liber memorialis in honorem Benedicti Jancsó). Szerk. (= Red.) Asztalos M. Második kiadás (= Editio secunda). Bp. 1931.

Jireček = K. Jireček: Geschichte der Serben. I—II/1. Gotha 1911—1918.

Jireček, Bolgárok = K. Jireček: A bolgárok története (= De historia Bulgarorum). Nagy-Becskerek 1889.

Kal. = Kalendae

Kan. Abt. = Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte. Kanonistische Abteilung. Weimar—Köln—Wien—Graz 1880—.

Karácsonyi = Karácsonyi J.: A magyar nemzetiségek a XIV. század közepéig (= Genera Hungarica usque ad medium saeculum XIV.). I—III/2. Bp. 1900—1904.

Karácsonyi—Borovszky = J. Karácsonyi—S. Borovszky: Regestrum Varadinense examinum ferri candardis ordine chronologico digestum, descripta effigie editionis a. 1550 illustratum. Bp. 1903.

Karácsonyi, Ferenc rend = Karácsonyi J.: Szt. Ferencz rendjének története Magyarországon 1711-ig (= Historia ordinis Sancti Francisci in Hungaria usque ad annum 1711). I—II. Bp. 1922—1924.

Karácsonyi, Gellért = Karácsonyi J.: Szent-Gellért csanádi püspök élete és művei (= De vita et operibus Sancti Gerardi episcopi Chanadiensis). Bp. 1887.

Karácsonyi, Okl. jegyz. = Karácsonyi J.: A hamis, hibáskeltű és keltezetlen oklevelek jegyzéke 1400-ig (= Index diplomatum falsorum, mendose datorum et dato omissio editorum usque ad annum 1400). Bp. 1902.

Karácsonyi, Szent István = Karácsonyi J.: Szent István király oklevelei és a Szilveszter-bulla (= De diplomaticis Sancti Stephani regis et de bulla Silvestri papae). Bp. 1891.

Károlyi Ekv = Emlékkönyv Károlyi Árpád születése nyolcvanadik fordulójának ünnepére (= Liber memorialis ad festum diei anniversarii octogesimi nativitatis Arpad Károlyi). Bp. 1933.

Klebelsberg Ekv = Emlékkönyv Dr. gróf Klebelsberg Kuno negyedszázados kultúrpolitikai működésének emlékére születésének ötvenedik évfordulóján (= *Liber memorialis operae comitis Kuno Klebelsberg in rebus politicis cultus humanitatisque viginti quinque annos expleatae die anniversario quinquagesimo nativitatis editus*). Bp. 1925.

Kliutschewskij = W. Kliutschewskij: *Geschichte Russlands*. Hrsg. von Fr. Braun und R. von Walter. I—IV. Leipzig—Berlin 1925—1926.

Knauz = Knauz N.: *Kortan. Hazai történetünkhez alkalmazva* (= *Chronologia. Ad historiam Hungariae accommodata*). Bp. 1876.

Kohn = Kohn I.: *A zsidók története Magyarországon* (= *Historia Judaeorum in Hungaria*). I. Bp. 1884.

Konstantín = Bíborbanszületett Konstantín, A birodalom kormányzása (= *Constantinus Porphyrogenitus, De administrando imperio*). A görög szöveget kiadta és magyarra fordította (= *Textum Graecum edidit et Hungarice reddidit*) Gy. Moravcsik. Bp. 1950.

Kosáry = Kosáry D.: *Bevezetés a magyar történelem forrásainba és irodalmába* (= *Introductio ad fontes et litteraturam historiae Hungarorum*). I. Bp. 1951.

Kovachich, Sylloge = J. N. Kovachich: *Sylloge decretorum comitzialium...regni Hungariae. I—II. Pesthini* 1818.

Kovács, Index = Kovács N.: *Betürendes névmutató Wenzel Gusztáv Árpádkori Új Okmánytárához. Index alphabeticus Codicis Diplomatici Arpadiani Continuati per Gustavum Wenzel editi*. Bp. 1889.

Kretschmayr = H. Kretschmayr: *Geschichte von Venedig. I—III*. Gotha 1905—1934.

Kristó 1965 = Kristó Gy.: *Megjegyzések az ún. "pogánylázadások" kora történetéhez* [= *Adnotaciones ad historiam aetatis "rebellionum pàganorum" nominatarum*]. AU Szeged. AH XVIII. 1965.

Kristó 1966 = Kristó Gy.: *Korai levéltári és elbeszélő forrásaink kapcsolatához* (= *Ad coniunctionem fontium chartariorum veterum et fontium narrativorum Hungaricorum*). AU Szeged. AH XXI. 1966.

Kristó 1967 = Kristó Gy.: *Anjou-kori krónikáink* (= *Chronica Hungarica aetatis Andegavensis*). Száz. 1967. 457—504.

Kristó 1968 = Kristó Gy.: *A történeti és politikai gondolkodás elemeinek fejlődése krónikairodalmunkban* (= *Evolutio elementorum cogitationis de rebus historicis et politicis in litteratura chronicorum Hungaricorum*). Kandidátusi értekezés tézisei (= *Praecepta dissertationis candidature*). Bp. 1968.

Kristó 1970 = Kristó Gy.: *Ósi epikánk és az Árpád-kori írashagyomány* (= *Vetus poesis epica Hungarica et litterarum monumenta aetatis Arpadianae*). Ethn. 1970. 113—135.

Kristó 1970, FK = Kristó Gy.: *Az Exordia Scythica, Regino és a magyar krónikák* (= *Exordia Scythica, Regino et chronica Hungarica*). FK 1970. 106—115.

Kristó 1972 = Kristó Gy.: *Kézai Simon és a XIII. század vég köznemesi ideológia néhány vonása* (= *Simon de Kéza et notae aliquot rationis nobilium regni exeuntis saeculi XIII*). ItK 1972. 1—22.

Kristó 1972, Ethn. = Kristó Gy.: *XI—XIII. századi epikánk és az Árpád-kori írásos hagyomány* (= *Poesis epica Hungarica saeculorum XI—XIII et litterarum monumenta aetatis Arpadianae*). Ethn. 1972. 53—73.

Kristó 1972, MKSz = Kristó Gy.: *Anonymus magyarországi írott forrásainak kérdéséhez* (= *Ad quaestionem scriptorum fontium Hungaricorum Anonymi*). MKSz 1972. 166—174.

Kristó 1974 = Kristó Gy.: *Legitimitás és idoneitás (Adalékok Árpád-kori eszmetörténetükhez)* (= *Legitimitas et idoneitas. Additamenta ad historiam idealium Hungarorum aetatis Arpadianae*). Száz. 1974. 586—621.

Kristó, Hercegség = Kristó Gy.: *A XI. századi hercegség története Magyarországon* (= *Historia ducatus saeculi XI in Hungaria*). Bp. 1974.

Kristó—Makk = Kristó Gy.—Makk F.: *Krónikáink keletkezéstörténetéhez* (= *Ad historiam ortus chronicorum Hungaricorum*). TSz 1972. 198—203.

Kristó—Makk—Szegfű = Kristó Gy.—Makk F.—Szegfű L.: *Adatok "korai" helyneveink*

ismeretéhez (= Additamenta ad cognitionem "veterum" vocabulorum locorum Hungariae). I—II. AU Szeged. AH XLIV, XLVIII. 1973—1974.

Krones = F. Krones: Die Freien von Saneck und ihre Chronik als Grafen von Cilli. I—II. Graz 1883.

Kuun = G. Kuun: Relationum Hungarorum cum oriente gentibusque orientalis originis historia antiquissima. I—II. Claudiopoli 1892—1895.

Künstle = K. Künstle: Ikonographie der christlichen Kunst. I—II. (II.: Ikonographie der Heiligen). Freiburg im Breisgau 1926—1928.

László = László Gy.: A honfoglaló magyar nép élete (= De vita Hungarorum patriam occupantium). Bp. 1944.

Lex. f. Theol. = Lexikon für Theologie und Kirche. Begründet von M. Buchberger. Zweite, völlig neu bearbeitete Auflage. Hrsg. von I. Höfer und K. Rahner. I—VII. Freiburg im Breisgau 1957—1962. Zweite, neubearbeitete Auflage des Kirchlichen Handlexikons. Hrsg. von M. Buchberger. VIII—X. Freiburg im Breisgau 1936—1938.

Lhotsky = A. Lhotsky: Quellenkunde zur mittelalterlichen Geschichte Österreichs. Mitteilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung. Erg. band XIX. Graz—Köln 1963.

lib. = liber

LK = Levéltári Közlemények (= Communicationes ad archivisticam spectantes). Bp. 1923—.

l. (loc.) cit. = locus citatus

m. = mons, montes, sive meter

Magary-Kossa = Magary-Kossa Gy.: Magyar orvosi emlékek (= Monumenta artis medicinae Hungarica). I. Bp. 1929.

Mályusz = Mályusz E.: A Thuróczy-krónika és forrásai (= Chronica Johannis de Thurocz fontesque eius). Tudománytörténeti tanulmányok (= Studia ex historia scientiarum) 5. Bp. 1967.

Mályusz 1966 = Mályusz E.: Krónika-problémák (= Quaestiones de chronicis). Száz. 1966. 713—762.

Mályusz 1967 = Mályusz E.: A Thuróczy-krónika XV. századi kiadásai (= Editiones Chronicæ Johannis de Thurocz saeculo XV). MKSz 1967. 1—11.

Mályusz 1971 = Mályusz E.: Az V. István-kori gesta (= Gestæ aetatis Stephani V.). Ért. tört. tud. N. S. 58. Bp. 1971.

Mályusz, Egyházi társadalom = Mályusz E.: Egyházi társadalom a középkori Magyarországon (= Societas ecclesiastica in Hungaria medii aevi). Bp. 1971.

Mályusz, Rendi állam = Mályusz E.: A magyar rendi állam Hunyadi korában (= Regnum ordinum Hungariae aetate Johannis de Hunyad). Száz. 1957. 46—123, 529—602.

Manitius = M. Manitius: Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters. I—III. (Handbuch der Altertumswissenschaft. IX. Abt., 2. Teil, 1—3.) München 1911—1931.

Marczali = Marczali H.: A magyar történet kútföi az Árpádok korában (= Fontes historiae Hungarorum aetate Arpadiana). Bp. 1880.

Marczali, Dalmácia = Marczali H.: Az Árpádok és Dalmácia (= Familia Arpadiana et Dalmatia). Ért. tört. tud. XVII. 5. Bp. 1898.

Marczali, Enchiridion = A magyar történet kútfőinek kézikönyve. Enchiridion fontium historiae Hungarorum. Szerk. Red. H. Marczali. Bp. 1901.

Mart. Pol. = Martini Oppaviensis Chronicon pontificum et imperatorum. Ed. L. Weiland. M. G. H. SS XXII.

Mátyás, Chronol. = Mátyás F.: Chronologai megállapítások hazánk XI. és XII. századi történetéhez (= Definitiones chronologicae ad historiam Hungariae saeculorum XI et XII). Ért. tört. tud. XVIII. 5. Bp. 1899.

Mátyás, Hadjárat = Mátyás F.: Egy honfoglalás előtti magyar hadjáratról Németországban

és I. Endre, Kálmán királyaink halála évéről (= *De bello Hungarorum ante occupationem patriae in Teutonia gesto et de annis obitus Andree I. et Colomani regum Hungariae*). Ért. tört. tud. XVII. 8. Bp. 1898.

Mátyás, Végnapjai = Mátyás F.: Szt. László és Imre királyok végnapjai (= *Dies ultimi regum Sancti Ladislai et Emerici*). Ért. tört. tud. XIX. 1. Bp. 1900.

MÉ = Művészettörténeti Értesítő (= *Acta Historiae Artium*). Bp. 1952—.

Mela Pomponius = Pomponii Melae *De chorographia libri tres, una cum indice verborum. Studia Graeca et Latina Gothoburgensis* 28. Ed. G. Ranstrand. Göteborg 1971.

Melich = Melich J.: *A honfoglaláskori Magyarország* (= *Hungaria aetate occupationis patriae*). A magyar nyelvtudomány kézikönyve (= *Enchiridion glottologiae Hungaricae*). I. 6. Bp. 1929.

M. G. H. AA = *Monumenta Germaniae Historica. Scriptores. Auctores Antiquissimi. I—XV.* 1877—1919.

M. G. H. Necr. = *Monumenta Germaniae Historica. Antiquitates. Necrologia Germaniae. I—V. Supplementband.* 1884—1920.

M. G. H. Script. rer. Germ. = *Monumenta Germaniae Historica. Scriptores rerum Germanicarum in usum scholarum separatim editi. I—LXII.* 1841—1965.

M. G. H. Script. rer. Mer. = *Monumenta Germaniae Historica. Scriptores rerum Merovingiarum. I—VII.* 1885—1951.

M. G. H. SS = *Monumenta Germaniae Historica. Scriptores. I—XXXII.* 1826—1934.

Migne, PL = *Patrologiae cursus completus. Patrologia Latina. I—CCXXI.* Ed. J. P. Migne. Parisiis 1844—1864.

MIÖG = *Mitteilungen des Instituts für österreichische Geschichtsforschung.* Innsbruck—Graz—Köln 1880—.

MKSz = *Magyar Könývszemle* (= *Conspectus librorum Hungaricus*). Bp. 1876—.

MNy = *Magyar Nyelv* (= *Lingua Hungarica*). Bp. 1905—.

MNyTK = *Magyar Nyelvtudományi Társaság Kiadványai* (= *Editiones Societatis Glottologorum Hungaricorum*). Bp.

Molnár = Molnár E.: *A magyar társadalom története az öskortól az Árpádkorig* (= *Historia societatis Hungarorum a principiis usque ad aetatem Arpadianam*). Második kiadás (= *Editio secunda*). Bp. 1949.

Mommsen, Solinus v. Sol.

Mon. Car. = *Monumenta historica ducatus Carinthiae. Geschichtliche Denkmäler des Herzogtums Kärnten. I—IV.* Klagenfurt 1896—1906.

Mon. Strig. = *Monumenta ecclesiae Strigoniensis. I—III.* Ed. F. Knauz—L. Cr. Dedek. Strigonii 1874—1924.

Mon. Vat. = *Vatikáni magyar okirattár. Monumenta Vaticana historiam regni Hungariae illustrantia. Első sorozat. Series prima. 1—6.* Bp. 1885—1891.

Mon. Vespr. = *Monumenta Romana episcopatus Vesprimiensis. A vesprémi püspökség római oklevélétára.* Ed. J. Lukcsics. I—IV. Bp. 1896—1907.

Monumenta Graphica Medii Aevi = *Monumenta Graphica Medii Aevi.* Ed. Th. Sickel. Fasc. 1—10. Vindobonae 1858—1882.

Moravcsik = Gy. Moravcsik: *Byzantinoturcica. Zweite durchgearbeitete Auflage. I—II.* Berliner byzantinistische Arbeiten. 10, 11. Berlin 1958.

Moravcsik, Byzantium = Gy. Moravcsik: *Byzantium and the Magyars.* Bp.—Amsterdam 1970.

Moravcsik, Forrásai = Moravcsik Gy.: *A magyar történet bizánci forrásai* (= *De fontibus Byzantinis historiae Hungarorum*). Bp. 1934.

Moravcsik, Magyarság = Moravcsik Gy.: *Bizánc és a magyarság* (= *Byzantium et Hungaria*). Bp. 1953.

MTT = *Magyar Történelmi Tár* (= *Collectio Historica Hungarica*). I—XXV. Pest (= Pestini) — Bp. 1855—1877.

Muratorii R. I. S. = *Rerum Italicarum scriptores ab anno aerae Christianae quingentesimo*

ad millesimum quingentesimum. Ed. Muratorius. I—XXV. Mediolani 1723—1751. Nuova edizione con la direzione di G. Carducci ecc. Città di Castello—Bologna 1900—.

Nat. hist. = Plinius: *Naturalis historia*. Pline l'Ancien: *Histoire naturelle*. Texte établi, traduit et commenté par J. Beaujeu. I—. Paris 1947—.

Németh = Németh Gy.: *A honfoglaló magyarság kialakulása (= De conformatio Hungarorum patriam occupantium)*. Bp. 1930.

Németh, Attila = Attila és hunjai (= *Attila et sui Hunni*). Szerk. (= Red.) Németh Gy. Bp. 1940.

Nr. = Nummer

N. S. = Nova Series

num. = numerus

Nyelvtud. Ért. = Nyelvtudományi Értekezések (= *Dissertationes Glottologicae*). Bp. 1953—.

NyK = Nyelvtudományi Közlemények (= *Communicationes glottologicae*). Bp. 1862—.

Oesterley = H. Oesterley: *Historisch-geographisches Wörterbuch des deutschen Mittelalters*. Gotha 1883.

O. Górká = O. Górká: *Anonymi Descriptio Europae Orientalis*. Cracoviae 1916.

O. L. Dl. = Magyar Országos Levéltár. Diplomatikai levéltár (= *Archivum Nationale Hungaricum. Collectio Antemohacsiana*). Bp.

op. = oppidum, civitas

op. cit. = opus citatum

Orosius = Pauli Orosii *Historiarum adversum paganos libri VII*. Ed. C. Zangemeister. Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum. V. Vindobonae 1882.

Ortvay, Temes = Oklevelek Temesvármegye és Temesvárváros történetéhez (= *Diploma-ta ad historiam comitatus Temesiensis et civitatis Temesvarini*). I. Szerk. (= Red.) Ortvay T. Temesvármegye és Temesvárváros története a legrégebb időktől a jelenkorig (= *Historia comitatus Temesiensis et civitatis Temesvarini a temporibus veterrimis usque ad aetatem nostram*). IV. Pozsony (= Posonii) 1896.

Ostrogorsky = G. Ostrogorsky: *Geschichte des byzantinischen Staates*. Dritte Auflage. München 1963.

I. Oszt. Közl. = A Magyar Tudományos Akadémia (Első) Nyelv- és Irodalomtudományi Osztályának Közleményei (= *Acta [Primae] Sectionis Glottologicae Litterariaeque Academiae Scientiarum Hungaricae*). Bp. 1951—.

II. Oszt. Közl. = A Magyar Tudományos Akadémia (Második) Társadalmi-Történeti Tudományok Osztályának Közleményei (= *Acta [Secundae] Sectionis ad Scientias Sociales et Historicas Spectantis Academiae Scientiarum Hungaricae*). Bp. 1950—.

p. = pagina

paenins. = paeninsula

Pais = Pais D.: A magyar ósvallás nyelvi emlékeiből (= *E monumentis idiomatum in religione prima Hungarorum*). Bp. 1975.

Pais, Anonymus = Pais D.: Magyar Anonymus. Béla király jegyzőjének könyve a magyarok cselekedeteiről (= *Anonymus Hungaricus. Liber notarii Belae regis de gestis Hungarorum*). Bp. 1926.

Palacky = Fr. Palacky: *Geschichte von Böhmen*. Grösstenteils nach Urkunden und Handschriften. I—V. Prag 1836—1867.

Pannonh. = A pannonhalmi Szent-Benedek-rend története (= *Historia ordinis Sancti Benedicti in Monte Sacro Pannoniae*). Szerk. (= Red.) Erdélyi L.—Sörös P. I—XII/B. Bp. 1902—1916.

Pauler = Pauler Gy.: A magyar nemzet története az Árpád-házi királyok alatt (= *Historia*

gentis Hungaricae temporibus regum stirpis Arpadianae). Második kiadás (= Editio secunda). I—II. Bp. 1899.

Pauler, Szt. István = Pauler Gy.: A magyar nemzet története Szent Istvánig (= Historia gentis Hungaricae usque ad tempus Sancti Stephani). Bp. 1900.

Pauler—Szilágyi = Pauler Gy.—Szilágyi S.: A magyar honfoglalás kútföi (= Fontes Hungarorum patriam occupantium). Bp. 1900.

Pauly—Wissowa = Paulys Realencyclopädie der classischen Altertumswissenschaft. Neue Bearbeitung begonnen von G. Wissowa. I—XXIV., I.a.—X.a., Supplementum. Stuttgart—München 1894—.

p. Ch. n. = post Christum natum

Pecz = Ókori lexikon (= Lexicon antiquae aetatis). Szerk. (= Red.) Pecz V. I—II. Bp. 1902—1904.

Pesty = Pesty Fr.: Az eltűnt régi vármegyék (= Comitatus veteres deleti). I—II. Bp. 1880.

Pirchegger = H. Pirchegger: Geschichte der Steiermark. I. Gotha 1920.

Potthast = A. Potthast: Bibliotheca historica medii aevi. Wegweiser durch die Geschichtswerke des europäischen Mittelalters bis 1500. I—II. Berlin 1896.

pp. = paginae

R = Codex Vaticanus, qui textum Chronicus Hungarorum continet (asservatur Romae in Bibliotheca Vaticana)

red. = redigit, redegit, redegerunt

Reg. Arpad. = Az Árpádházi királyok okleveleinek kritikai jegyzéke. Regesta regum stirpis Arpadianae critico—diplomatica. Szerk. Red. Szenthéry I.—Borsa I. I—II. Bp. 1923—1961.

Riezler = S. Riezler: Geschichte Baierns. I—III. Gotha—Aalen 1878—1964.

Rom. = Romanus (-a, -um), Romani, Romanorum

RSR = Republica Socialistă România (Rumanica Socialistica Res Publica)

S. = Sanctus (-a)

S = Codex Sambuci, qui textum Chronicus Hungarorum continet (asservatur Budapestini in tabulario Bibliothecae Nationalis de Széchenyi nominatae)

saec. = saeculum, saecula

sc. = scilicet

Schiller = Schiller B.: Az örökö főrendiség eredete Magyarországon (= De ortu comitatus perpetui in Hungaria). Bp. 1900.

Schmidinger = H. Schmidinger: Patriarch und Landesherr. Die weltliche Herrschaft der Patriarchen von Aquileja bis zum Ende der Staufer. Publikationen des österreichischen Kulturstifts in Rom. I. Abt. I. Graz—Köln 1954.

Schramm = P. E. Schramm: Der König von Frankreich. Das Wesen der Monarchie vom 9. zum 16. Jahrhundert. I—II. Zweite Auflage. Weimar 1960.

Schramm, Herrschaftszeichen = P. E. Schramm: Herrschaftszeichen und Staatssymbolik. Beiträge zu ihrer Geschichte vom dritten bis zum sechzehnten Jahrhundert. I—III. Schriften der M. G. H. Deutsches Institut für Erforschung des Mittelalters. 13/I—III. Stuttgart 1954—1956.

Schwandtner, SS rer. Hung. = I. G. Schwandtner: Scriptores rerum Hungaricarum veteres ac genvini. I—III. Vindobonae 1746—1748.

scr. = scriptor

Sebestyén, Mondái = Sebestyén Gy.: A magyar honfoglalás mondái (= De fabulis occupationis patriae Hungarorum). I—II. Bp. 1904—1905.

Sectio Ethn. et Ling. = Acta Universitatis Szegediensis de Attila József nominatae. Sectio Ethnographica et Linguistica. Néprajz és nyelvtudomány. Szeged 1963—.

sent. = sententia, paragraphus

Šišić = F. Šišić: Geschichte der Kroaten. Zagreb 1917.

- Slatarski = W. N. Slatarski: *Geschichte der Bulgaren*. I. Leipzig 1918.
- Smičiklas = *Codex diplomaticus regni Croatiae, Dalmatiae ac Slavoniae*. Red. M. Kostrenčić—T. Smičiklas. I—XVI. Zagrabiae 1904—1976.
- Sol. = C. Iulii Solini *Collectanea rerum memorabilium*. Iterum recensuit Th. Mommsen. Berolini 1895.
- Sopron vm. = Nagy I.: *Sopron vármegye története*. Oklevél-tárt (= *Historia comitatus Sopruniensis. Codex diplomaticus*) I—II. Sopron (= Soprunii) 1889—1891.
- sq. = sequens
- sqq. = sequentes
- SRH = *Scriptores rerum Hungaricarum tempore ducum regumque stirpis Arpadianae gestarum*. Edendo operi praefuit E. Szentpétery. I—II. Bp. 1937—1938.
- Studia Slavica Acad. Scient. Hung. = *Studia Slavica Academiae Scientiarum Hungaricae*. Bp. 1955—.
- Szamota—Zolnai = Szamota I.—Zolnai Gy.: *Magyar oklevél-szótár*. Régi oklevelekben és egyéb iratokban előforduló magyar szók gyűjteménye. *Lexicon vocabulorum Hungaricorum in diplomaticis aliisque scriptis quae reperi possunt vetustorum*. Bp. 1902—1906.
- Száz. = Századok (= *Saecula*). Bp. 1867—.
- Székely, Tanulm. = *Tanulmányok a parasztság történetéhez Magyarországon a 14. században* (= *Studia ad historiam rusticorum in Hungaria saeculo XIV*). Szerk. (= Red.) Székely Gy. Bp. 1953.
- Székesfehérvár = Székesfehérvár évszázadai (= *De saeculis Albae Regiae*). Szerk. (= Red.) Kralovánszky A. I—II. Székesfehérvár (= *Albae Regiae*) 1967—1972.
- Szent István Ekv = *Emlékkönyv Szent István király halálának kilencszázadik évfordulóján* (= *Liber memorialis die anniversario obitus Sancti Stephani regis nongentesimo*). Szerk. (= Red.) Serédi J. I—III. Bp. 1938.
- Szentpétery = Szentpétery I.: *Magyar oklevél-tárt (= Diplomatica Hungarica)*. Bp. 1930.
- Szentpétery, Borsmonostor = Szentpétery I.: *A borsmonostori apátság árpádkori oklevelei (= Diplomata abbatiae in Monte Sanctae Mariae [Borsmonostor] aetate Arpadiana*. Bp. 1916.
- Szentpétery Ekv = *Emlékkönyv Szentpétery Imre születése hatvanadik évfordulójának ünnepére (= Liber memorialis ad festum diei anniversarii nativitatis Emerici Szentpétery sexagesimi)*. Bp. 1938.
- Szilágyi = A magyar nemzet története (= *Historia gentis Hungaricae*). Szerk. (= Red.) Szilágyi S. I—X. Bp. 1895—1898.
- Szűcs = Szűcs J.: *Társadalomelmélet, politikai teória és történetszemlélet Kézai Gesta Hungarorumában* (= *Idea societatis, ratio politica et doctrina historiae in Gestis Hungarorum Simonis de Kéza*). Száz. 1973. 563—643, 823—878.
- tab. = tabula
- Tanulm. = *Tanulmányok Budapest múltjából* (= *Studia e tempore praeterito Budapestini*). Bp. 1932—.
- Teleki = Teleki J.: *Hunyadiak kora Magyarországon* (= *Aetas familiae de Hunyad in Hungaria*). I—XII. Pest (= Pestini) 1852—1857.
- TESZ = A magyar nyelv történeti-etimológiai szótára (= *Lexicon historicoo-eticmologicum linguae Hungaricae*). Szerk. (= Red.) Benkő L.—Kiss L.—Papp L. I—III. Bp. 1967—1976.
- Th. = Johannes de Thurocz
- Theiner = A. Theiner: *Vetera monumenta historica Hungariam sacram illustrantia*. I—II. Romae 1859—1860.
- Thienemann = Thienemann T.: *Irodalomtörténeti alapfogalmak* (= *Principia historiae litterarum*). Második kiadás (= *Editio secunda*). Pécs (= *Quinqueecclesiis*) 1931.
- tit. = titulus
- tom. = tomus
- Tóth = Z. Tóth: "Attila's Schwert." Studien über die Herkunft des sogenannten Säbels Karls des Grossen in Wien. Bp. 1930.

Tört. Sz. = Történeti Szemle (= *Acta Historica*). Bp. 1912—1930.
 TSz = Történelmi Szemle (= *Acta Historica*). Bp. 1958—.

Uhlirz = K. Uhlirz—M. Uhlirz: *Jahrbücher des deutschen Reiches unter Otto II. und Otto III.* *Jahrbücher der deutschen Geschichte*. Bd. I. Otto II. 973—983. Bd. II. Otto III. 983—1002. Leipzig 1902—1954.

Uhlirz I. = *Handbuch der Geschichte Österreichs und seiner Nachbarländer Böhmen und Ungarn*. Begonnen von K. Uhlirz. Bearbeitet von M. Uhlirz. I. Graz—Wien—Leipzig 1927.

Ung. Jahrb. = *Ungarische Jahrbücher*. Berlin 1921—1943.

Urkb. Siebenb. = *Urkundenbuch zur Geschichte der Deutschen in Siebenbürgen*, von Fr. Zimmermann—C. Werner—G. Müller—G. Gündisch. I—V. Hermannstadt—Köln—Wien 1892—1975.

v. = vide

V₁—V₅ = Codices, qui textum Chronicorum Hungarorum ad familiam Chronicorum Picti pertinentem continent

V₁ vel *V* = Codex Chronicorum Picti, qui textum Chronicorum Hungarorum continet (asservatur Budapestini in tabulario Bibliothecae Nationalis de Széchényi nominatae)

V₂ = Codex Telekianus, qui textum Chronicorum Hungarorum continet (asservatur Budapestini in Biblioteca Academiae Scientiarum Hungaricae)

V₃ = Codex Csepregianus, qui textum Chronicorum Hungarorum continet (asservatur in oppido Tîrgu Mureş — Hungarice Marosvásárhely — in Biblioteca Telekiana)

V₄ = Codex Beldianus, qui textum Chronicorum Hungarorum continet (asservatur Agriæ in Biblioteca Archiepiscopali)

V₅ = Codex Thuroczianus, qui textum Chronicorum Hungarorum continet (asservatur Budapestini in tabulario Bibliothecae Nationalis de Széchényi nominatae)

Venezia e Ungheria = Venezia e Ungheria nel Rinascimento. A cura di V. Branca. Firenze 1973.

Voigt = G. Voigt: *Die Wiederbelebung des classischen Altertums oder das erste Jahrhundert des Humanismus*. Vierte unveränderte Auflage. I—II. Berlin 1960.

Walther = H. Walther: *Initia carminum ac versuum medii aevi posterioris latinorum. Alphabetisches Verzeichnis der Versanfänge mittellateinischer Dichtungen*. Göttingen 1959.

Wattenbach = W. Wattenbach: *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter bis zur Mitte des dreizehnten Jahrhunderts*. Sechste umgearbeitete Auflage. I—II. Berlin 1893—1894.

Wenzel = Wenzel G.: *Árpádkori Új Okmánytár. Codex Diplom. Arpadianus Continuatus*. I—XII. Pest (Pestini) — Bp. 1860—1874.

Wenzel, Bányászat = Wenzel G.: *Magyarország bányászatának kritikai története* (= *Historia critica culturae fodinalis in Hungaria*). Bp. 1880.

Werbőczy = Werbőczy István hármaskönyve (= *Tripartitum opus juris consuetudinarii regni Hungariae Stephani de Werbewicz*). Magyar törvénytár. Corpus Juris Hungarici. 1000—1895. Bp. 1897.

Wertner = Wertner M.: *Az Árpádok családi története* (= *Historia familiae Arpadianae*). Nagy-Becskerek 1892.

Wertner, Délszláv = Wertner M.: *A középkori délszláv uralkodók genealogiai története* (= *Historia genealogiae principum Slavicorum meridionalium medii aevi*). Temesvár (= Temesvarini) 1891.

Wertner, Nemzetiségek = Wertner M.: *A magyar nemzetiségek a XIV. század közepéig* (= *Genera Hungarica usque ad medium saeculum XIV*). I—II. Temesvár (= Temesvarini) 1892.

Wetzer—Welte = Wetzer und Welte's Kirchenlexikon oder Encyklopädie der katholischen

Theologie und ihrer Hilfswissenschaften. Zweite Auflage. I—XII. Freiburg im Breisgau 1882—1903.

Zala = Zala vármegye története. Oklevéltař (= Historia comitatus Zaladiensis. Codex diplomaticus). I—II. Bp. 1886—1890.

Závodszy = Závodszy L.: A Szent István, Szent László és Kálmán korabeli törvények és zsinati határozatok forrásai (= Fontes legum decretaliumque synodialium temporibus Sancti Stephani, Sancti Ladislai et Colomani). Bp. 1904.

Zichy = A zichi és vásorkeői gróf Zichy-család idősb ágának okmánytára. Codex diplomaticus domvs senioris comitvm Zichy de Zich et Vasonkeő. I—XII. Pest (= Pestini)—Bp. 1871—1931.

Zs. O. = Zsigmondkori Oklevéltař. (= Codex diplomaticus aetatis Sigismundi). Szerk. (= Red.) Mályusz E. I—. Bp. 1951—.

† = obiit

COMMENTARI

⟨1.⟩

Thomam de Drag — Thomas de Drag in comitatu Doboka est natus in 1 familia Hungarica possidenti (Kis B., Erdélyi családtörténelmi adalékok [= Additamenta historiae familiarum Transylvaniae], Turul 15 [1897] 30; Fraknói V., Mátyás király magyar diplomatái [= Legati Matthiae regis Hungariae], Száz. 33 [1899] 783). Anno 1450 in curia regis apparuit tirocinium iudicarium faciens, sed cursum honorum iuridicialium aetatis illius solitum non percurrit. In regionem meridiale Hungariae delatus ministerium banorum de Macho iniit. Anno 1461 se pristinum vicebanum de Macho appellavit. Anno 1463 ministerium suscepit apud archiepiscopum Colocensem, quod totum vicennium peragebat. Archiepiscopi singuli unus post alterum insequentes eum familiarem honoratum retinebant. Ipse autem titulis praeditus procuratoris (anno 1469. Cf. O. L. Dl. 50 307), iudicis curiae, vicecomitis causas eorum agebat et res oeconomicas tractabat, muneribus administrativis fungebatur vicem archiepiscoporum gerens, necessitate autem urgente etiam contra Turcos pugnavit. Annis 1480—1482 ut provisor Belgradensis fines regni meridionales defendendos cum aliis ipse quoque curabat. Veri est simillimum eum cum archiepiscopo Petro Váradi Budam rediisse. Hic annis 1483—1484 magister iudicii personalis praesentiae regiae erat, et tum Thomae de Drag, ut videtur, munus vicarii detulit cum titulo iudicis provincialis. Anno 1486 rex Matthias Thomam de Drag iudicio personali praefecit, postquam — teste Antonio de Bonfinis — exquisierat consilium eius ad decretum magnum elaborandum, quo ordinem socialem reformare conatus erat. Anno 1489, sicut iam antea, mandatu regis legatus Romam venit. Anno, ut videtur, 1490 est mortuus (Bónis Gy., A jogtudó értelmisége a Mohács előtti Magyarországon [= De iuris peritis in Hungaria ante Mohács], Bp. 1971, pp. 256 sqq.). (Pro argumentis biographicis, quae in diplomatis leguntur, Georgio Bónis gratias ago.)

Ad egregium ... cancellarium — Personalis praesentiae regiae in iudiciis locum tenens iuxta palatinum et iudicem curiae eo tempore, quo Th. opus historicum conscripsit, tertius iudex magnus regiae curiae fuit. Personalis,

ita etiam Thomas de Drag, saepe “cancellarium personalem praesentiae regiae” sese appellavit (Hajnik p. 41).

- ³ *Iugi otio ... ordines cum inter* — Litterae initiales verborum primorum nomen Th. reddunt. In b textus ita incipit: “*Iugi otio his annis nobis eque simul torpentibus variis rerum ordines cum inter*”. Litterae initiales collectae hoc acrostichon reddunt: “Iohanes Tvroci”. In a nomen omisso vocabulo “inter” mutilatum apparet (Karsai G., Névtelenség, névrejtés és szerzőnév középkori krónikáinkban [= Absentia nominis, abdita nomina et nomen auctoris in chronicis medii aevi], Száz. 97 [1963] 668).
- ⁴ *Hungaros* — Nomine “Hungarus” Latinitas medii aevi solum populum, qui hodie a se “magyar” nominatur, denotabat. Cum igitur Hungari nonnunquam etiam Hunni, Avari Turcique nominarentur, nomen “Hungarus” semper non nisi Hungaros significavit. Vocabulum “Hungarus”, sicut plurimi viri docti opinantur, a nomine populi Turcici “onogur” (on-ogur: ‘decem ogur’, ‘decem sagittae’, ‘decem gentes’) derivatum est. In sermone Palaeoslavorum Onogur in *Og(ъ)r est transformatum. Inde duxerunt originem vocabula varia: Graecum “Οὐγγροί”, exeunte saeculo IX Latinum “Ungri”, postea Germanicum “Ungar”, initio saeculi XI Francogallicum “Hongrois” littera initiali “h” auctum (Németh pp. 91, 181; Hóman B., A magyar nép neve a középkori latinságban [= Nomen populi Hungarici in Latinitate medii aevi], Tört. Sz. 6 [1917] 150). Nomen “Οὐγγροί” idem esse ac vangar, hoc quidem nihil aliud nisi kangar mendose scriptum putat H. Grégoire, Le nom et l’origine des Hongrois, Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft 91 (1937) 640. Quod ad nomen populi wangar et ad commentationes novissime de vocabulo “Hungarus” conscriptas pertinet, v. T. Olajos, Adalék a (H)UNG(A)RI(I) népnév és a késői avarkori etnikum történetéhez (= Additamentum ad historiam nominis populi [H]UNG[A]RI[I] et ethnici in aetate Avarorum inferiore), Antik Tanulmányok (= Studia Antiqua) 16 (1969) 87.

Pannonia — Quondam provincia Romana erat inter Daciam, Noricum Illyriamque sita; partes Hungariae medii aevi Transdanubianas et inter Dravum Savumque iacentes complectebatur una cum regionibus orientalibus hodiernae Austriae Inferioris, Stiriae, Carinthiae, Carniolaeque. Nominata est de gente Pannonicorum, qui ibi habitabant et nomen etiam post ruinam imperii Romani permansit (A. Mócsy, Pannonia, Pauly—Wissowa, Suppl. IX, 519 sqq.). Temporibus dominationis Francorum et Slavorum Ljudevit, Braslav et Pribina principes Pannoniae dicti sunt. Fontes occidentales saeculis X et XI Latine conscripti etiam sedem Hungarorum, qui tamen semper Ungri appellati sunt, Pannionam nominaverunt. Hungari nomen Pannoniae e lingua ecclesiastica Christiana receperunt. Benedictini enim monasterium primum in Hungaria conditum episcopo Turonensi Martino e Pannonia orto consecraverunt, locumque, ubi monasterium aedificatum est, his verbis memoraverunt: “mons supra Pannionam” aut “supra montem Pannonie” aut “Sanctus Mons Pannonie”. Id quoque

sermoni ecclesiastico tribuendum est, quod reges Hungarorum saeculo XI saepe etiam titulo "rex Pannionorum" usi sunt. Vocabulum "Pannonia" apud auctores saeculorum XI et XII, etiam apud Anonymum modo angustius modo latius valuit: nunc regionem Transdanubianam nunc totum regnum Hungariae significavit (Hóman op. cit. Tört. Sz. 6 [1917] 153 sqq., 7 [1918] 5, 18, 21 sqq.; Váczy P., *Anonymus és kora* [= *Anonymus et aetas eius*], in Horváth—Székely pp. 13 sqq.).

parte mundi Scitica — Populi in Europa Orientali et in parte occidentali 5 Asiae viventes comprehensive Scythae nominabantur. De regione ab iis occupata Th. in capite (7.) copiosius disserit.

regis Atile — Th. de duce Hunnorum Attila (434—453) inferius a capite (15.) copiose disserit.

Transsiluanis ... in horis — Interpretationem nominis Transylvaniae 6 significantis regionem orientalem Hungariae medii aevi v. caput (26.), sent. 194.

Nam et hoc ... adinstar vivit — De scriptura incisa v. caput (26.), sent. 195.

Paulus Orosius — Operis socius Augustini, post annum 418 mortuus est. 7 Opus maximum eius, "Historiarum adversus paganos libri VII" medio aevo multitudine exemplariorum manu scriptorum testificante ubique divulgatum erat, quod magistri quasi ducem historiae universalis sequebantur (Hauck, Realenc. XIV, p. 494.).

imperii Valentis — Imperator Valens (364—378), imperii socius Valentiani I. erat.

Tredecimo ... frutices germinavit — "Tertio decimo autem anno imperii Valentis ... radix illa miseriarum nostrarum copiosissimas simul frutices germinavit" (VII, 33, § 9).

Anthoninus Florentinus archiepiscopus — Nomen familiae eius Antonio 8 Pierozzi (1389—1459) est, ordini Sancti Dominici ascriptus, ab anno 1446 archiepiscopus Florentinus erat, anno 1523 in sanctorum numerum est relatus (Hauck, Realenc. I, p. 604). De vi, quam eius opus ad opus Th. attulit — quod sub titulis "Summa historialis" et "Chronicon ab orbe condito bipartitum" notum est — v. Mályusz 110 sqq., 119 sqq.

Ipsa ... loqui cogeret — Praefationis II, 11, 8. Antoninus citatam partem ex opere "Chronica" Sigeberti Gemblacensis exceptit.

Ninus ... peperit — "omnes historiae antiquae a Nino incipiunt" (Orosius II, 2, § 4). Th. verba quidem Orosii transcrit, re ipsa autem ei adversatur. Nam id approbat, quod Orosius recusat: doctrinam scriptorum Graecorum atque Romanorum ("apud Graecos quam apud Latinos studiosi ad scribendum viri ... initium scribendi a Nino ... fecere, qui cum ... originem ... hominum sine initio credi velint, coepisse tamen ab hoc regna bellaque definiunt". I, 1, § 1—3). Non est igitur in eadem sententia cum Orosio, quod vita generis humani a peccato parentum generis humani initium dicit (I, 1, § 4). De Nino v. inferius caput (3.), sent. 27. Ut conditor primi imperii

omnium gentium reperitur in compendiis historiae universalis (Mart. Pol. p. 398; Fasciculus temporum [Hain 6924] p. 5). Bella occupationesque eius apud Orosium sicut exempla condendorum imperiorum leguntur (I, 4, § 1, II, 2, § 1–3).

Agamemnon Grecorum imperator — Rex Mycenensium, dux exercitus Graeci ad Troiam obsidendarum missi erat. Dares Phrygius eum semper regem nominat, item Guido de Columna. Hic autem nonnunquam etiam imperatorem dicit, hoc quidem vocabulo summum imperium eius illustrat. Lib. XV: “rex ipse Agamenon, utpote tocius exercitus imperator” (Griffin p. 133). Lib. XXIII: in locum Agamemnonis imperatorem “Palamidem eorum elegerunt in ducem, regendi totum exercitum sibi potestate concessa”, in indice huius capituli “de Palamide in imperatorem Grecorum assumpto” agitur (Griffin pp. 175, 181). Lib. XXXII: Iterum de Palamide: “Hunc Palamidem Greci in imperatorem tocius exercitus statuerunt, Agamenone ab eius cura principatus amoto” (Griffin p. 245). Etsi ergo Th. vocabulum “imperator” apud Columnam invenit, ad id certe ideo animum advertit, quia ideam ipsam “imperator” elementum fundamentale rebus scribendis esse habuit.

Magnus ... Alexander — Alexander Magnus rex Macedonum (a. Chr. n. 336–323).

- 11 *nullum sua acceptat patria* — Luc. 4, 24: “nemo propheta acceptus est in patria sua”.
- 12 *divorum Hungarie regum* — Ladislao I. anno 1192 in numerum sanctorum relato Anonymus stirpem regiam Arpadianam iure stirpem sanctorum regum esse habuit, ex qua ad id tempus duo sancti reges unusque sanctus dux nati sunt (Kristó Gy., I. István és családja Árpád-kori történetírásunkban [= Stephanus I. et familia eius in historia aetatis Arpadianae], AU Szeged, AH 40, Szeged 1972, p. 65): “ideo vocatus est Almus, id est sanctus, quia ex progenie eius sancti reges et duces erant nascituri” (SRH I, 38), quamquam numerus pluralis vocabuli “duces” apud Anonymum interpretari non potest. Fieri potest, ut attributum “sanctus” in significazione Christiana sententiam paganam conservaverit, quae stirpem origine divinam electam esse perseveravit (Deér, Heidnisches p. 72). Saeculo XIII cancellaria iterum ac saepius proavos regum sanctos dicere voluit. (Bela IV.: 1253, Ladislaus IV.: 1279, Marczali, Enchiridion pp. 166, 176, cf. Deér l. cit., v. interpretationem contrariam E. Bartoniek, A magyar királyválasztási jog a középkorban [= Ius reges creandi Hungaricum medio aevo], Száz. 70 [1936] 361 sqq.) Adhuc incertum est, quo tempore usus vocabuli “divus” mentionem faciendo regum Hungariae sive eos nominando incepit. Hic mos initio saeculi XVI iam vulgatus dici potest. Etiam decretum in Rákos anno 1505 eodem modo atque Th. vocabulo utitur (Marczali, Enchiridion p. 318).

Karoli ... interfecti — De rege Carolo II. Parvo (1385–1386) Th. in capitibus (186–194.) copiose loquitur.

Tu quoque ... Vale — Ornamenta praefationis, id est mentio patroni 13 stimulantis, vel quod auctor laudem suam imminuit, iam medio aevo nota sunt, dedicatio saeculo XV elementum quoddam fundamentale negotii scriptoris est (Thienemann pp. 103 sqq., 226).

⟨2.⟩

Duo enim volumina ... fundaverunt origines — A Th. illa exemplaria 14 familiae duarum variationum Gestorum, id est Chronicus Picti atque Chronicus Budensis intelleguntur, quae ipse in manu habuit. Ille temporibus Caroli Roberti ortum esse Chronicum Budense putat, cuius textus originalis res usque ad 1332 aut 1333 gestas describit, temporibus autem Ludovici I. scriptum esse Chronicum Pictum credit, quod primum forsitan usque ad 1349 res historiae Hungarorum descriptis, et varians V₅ familiae Chronicus Picti etiam in forma praesenti initium regni Ludovici I. commemorat (Kristó 1967, 485, 460; Kristó–Makk TSz 15 [1972] 198). Praefatio Chronicus Picti genealogiam in capite 10 Genesis descriptam — etsi non in extenso — continet (SRH I, 243 sq.), Chronicum autem Budense narrationem reapse ab educenda turri “Babel” incipit, de qua Genesis in capite 11 loquitur (SRH I, 247). Igitur distinctio Th. probanda est.

post diluvii ... eius filiis — S: “per cladem diluvii preter Noe et tres filios 15 eius deleta esset omnis caro” (SRH I, 243).

⟨3.⟩

Caput imprimis proprietatem rationis scribendi Th. p[ro]ae se fert, id est duas variationes Gestorum — Chronicum Budense atque Chronicum Pictum — nonnullis litterariis amplificationibus additis connectit, partim studium auctorum Hungaricorum “Gesta” saeculis XI–XIV scribentium imitatur, qui eodem modo populum suum ac scriptores chronicorum medii aevi cum genealogia in libris divinis descripta coniungere nitebantur.

Exordium ... Hungarorum — Index penitus differt ab indicibus capitum 16 Chronicus Budensis et Chronicus Picti. Vel maxime codici S similis est: “Incipit prima cronica Hungarorum” (SRH I, 243).

He sunt ... processisse perhibentur — Fons Th., Chronicum Pictum eam partem genealogiae coniunctae cum narratione librorum divinorum (I. Mos. 10.), quae numerum generationum tractat, ex “Historia Scolastica” Petri Comestoris transcripsit (Mályusz 1966, 747 sqq.). Duo textus ad

verbum consentiunt: "septuaginta duae generationes, quindecim de Japhet, triginta de Cham, viginti septem de Sem" (Liber Genesis, cap. 37, Migne, PL 198, col. 1087).

secundum quosdam — Hoc vocabulo inserto Th. textum Chronicus Picti clariorem fecit, cuius enim e compositione ("nam secundum Iosephum", SRH I, 243) Flavius Iosephus videtur argumentum ad propagationem filiorum Japhet in Europa afferre. Th. diversitatem esse inter vulgatam opinionem et enarrationem Iosephi recte illustrat.

He generations ... sortiti sunt — Fons Th., Chronicon Pictum etiam haec vocabula a Petro Comestore sumpsit: "Hi tres disseminati sunt in tribus partibus orbis secundum Alcuinum. Sem Asiam, Cham Africam, Japheth Europam sortitus est" (Migne, PL 198, col. 1087).

Secundum vero ... Hebraicis questionibus — Chronicon Pictum non directe ex opere Hieronymi (obii anno 420) "Quaestiones Hebraicae in Genesim" (Migne, PL 23) materiam sumpsit, sed citando interpretationem librorum sanctorum a Nicolao de Lyra scriptam, testimonia operis Hieronymi protulit: "dicit beatus Hieronymus [in] lib[ro] de hebrai[cis] questiōni[bus]" (Tarnai A., A Képes Krónika forrásaihoz [= Ad fontes Chronicus Picti], in Horváth-Székely p. 206).

Iosephum — Chronicon Pictum opere Flavii Iosephi (obii post annum 95) "Antiquitatum Iudaicarum libri XX" non directe usus est (cf. Dománovszky, SRH I, 244, adnot. 1), sed Petrum Comestorem sequens Iosephum citat: "secundum Iosephum" (Migne, PL 198, col. 1088).

Thauro — Mons Taurus in Asia Minore a mari Aegaeo usque ad Euphratrem porrigitur.

Imao — Nomen in hac forma (Imao) tantum in *V₃* (SRH I, 244) invenitur, in reliquis codicibus formae Amano, Amatto leguntur. Amanus est pars Tauri porrigens ab Euphrate in confiniis Syriae Ciliciaeque.

Scitie — Sic tantum in *V₄*; in *V₁* et in *V₃* Sycilie Sicilieve invenitur (SRH I, 244). In fonte Chronicus Picti, apud Petrum Comestorem Ciliciae legitur; Cilicia in antiquitate in austro-orientali parte Asiae Minoris sita erat, quam a Syria mons Amanus disiunxit. Quod nomen Siciliae in textu chronicus Hungarici invenitur, eo explicari potest, quod ad Hungaros tempore domus Andegavensis res Neapolitanae nonnihil attinebant (Mályusz 1966, 749).

Thanaim — Fluvius Don Latine Tanais nominatur.

fili Iaphet ... median scindit — Fons Th., Chronicon Pictum argumentum huius enuntiationis a duobus locis sumpsit, partim a Petro Comestore ("Filii Japhet tenuerunt septentrionalem regionem, a Tauro et Amano montibus Ciliciae et Syriae, usque ad flumen Tanaim", Migne, PL 198, col. 1088), partim a Nicolao de Lyra ("Filij iaphet posseserunt in asia terram ab amano et thauro montibus vsque ad tanai fluum", Tarnai l. cit. p. 206), et auctor Chronicus Picti fontium amborum textum unum post alterum descriptis. Th. hanc iterationem evitavit, duas enuntiationes eiusdem argumenti in unum contrahens. Fons igitur suus materiam e duabus auctoribus sumpsit, sed hoc

apud Th. non nisi ex eo eminet, quod ipse quoque et Hieronymum et Iosephum commemorat.

Galatee — Id est Galatae. Nomen Celtarum, qui in Galatia Asiae Minoris 17 conserderunt, apud Graecos usitatum est.

Gomer... Galici — Primam partem enuntiationis fons Th., Chronicon Pictum a Nicolao de Lyra sumpsit: »Gomer«, a quo nominate sunt galathe, et postea Gallici». Figuram vocabuli »Gallici«, quae in Chronico Picto, in fonte Th. legitur, *a* in formam »Galli« mutavit (Tarnai l. cit. p. 206).

postea Galici ... Francos vocat — Textus corruptus Gestorum, qui compositioni Th. suberat, hic est: »et postea Gallici, qui sunt Francigene a quodam Francione dicti, filio Paridis, filii Priamidis, primi regis Troye«. (SRH I, 244. In textu originali »Paridis filii Priami regis Troye« esse potuit.) A Th. igitur nomen »Priamis« emendatur in »Priamus«, qui — recte — ab ipso ultimus rex Troiae nominatur, pro nominibus autem »Francio«, »Francigene«, ut tempus ipsum poposcit, nomen »Franci« et ad hoc apte nomen »Franco« scribuntur.

Pannoniam V. caput ⟨1.⟩, sent. 4.

18

Pannoniam ... Grecia vocabatur — Regio Pannoniae extra fines imperii Alexandri Magni sita erat.

monte Sycan — Nomen montis probabiliter cum nomine regis facti Sicani coniunctum est. Quoniam secundum Isidorum nomen Siciliae (»Sicilia a Sicano rege Sicania cognominata est«, Etym. XIV, 6, 32; »Italus quoque et Sabinus et Sicanus fratres fuerunt«, IX, 2, 85), a rege Sicano, a fratre Itali et Sabini oritur, mons Sycan probabiliter idem est ac mons Aetna (hodie Etna). Interpretatio nominis, ut existimari potest, cum regno domus Andegavensis in Sicilia coniuncta est (Eckhardt S., Sicambria, Minerva 6 [1927] 188).

fluvium Ister, qui et Danubius dicitur — Th. textum corruptum fontis sui, Gestorum (»circa fluvium Hyst [Hystri, Istri, Ister], qui Alamanice Dun [Don] nominatur«, SRH I, 244 sq.) recte emendavit.

Hic Franco ... Sycambriam imposuisse — Iam saeculo VI Francos antea in Pannonia habitavisse nonnullis venit in mentem. Fons autem quidam saeculi VIII urbem a Troianis-Francis in Pannonia conditam Sicambriam nominat. De situ Sicambriæ in Hungaria monachi Cistercienses aut Praemonstratenses Francogallici in Hungariam saeculis XII—XIII immigrati famam afferre potuerunt (Gárdonyi A., Buda és Pest a tatárjárás előtt [= Buda et Pest ante incursionem Tartarorum], Bp. 1941, p. 7). Hanc urbem fabulosam Francorum in Hungaria saeculi XIII in regione hodiernae Budæ Veteris esse voluerunt, ubi ruinae Aquinci antiquae urbis Romanae sitae sunt, et quae ab Hungaris — uti ex Anonymo (SRH I, 35, 94) appareat — reliquiae urbis Attilae putabatur. »Identitas« Sicambriæ et Budæ Veteris e fabula Francica saeculis XIV—XV divulgata est. Nomen »Sicambria«, Budam Veterem significans, saeculo XIV in opere »Descriptio Europæ Orientalis« apparebat. Anno 1346 etiam in diplomate quodam Buda

Vetus sic nominatur. (Eckhardt, Sicambria 157, 158; Györffy, Budapest p. 250. V. caput (13.), sent. 106, et caput (19.), sent. 161.)

Sycana — In fonte Th.: Sakana, Zakana (SRH I, 245). Idem est cum Sequana, hodierno fluvio Seine.

Hic Franco ... Paris denominasse traditur — Chronicon Pictum, quod fons Th. est, repetat opinionem divulgatam, Francos Troia ortos esse, item quo modo Parisii conditi sint. Ab ineunte saeculo VIII inveteratum est in libris chronicis medii aevi Francos, ut posteros Troianorum urbem, quae Sicambria nominata est, condidisse. Opinio, qua creditur Francos iter facientes praeter Sequanam urbem condidisse atque eam de Paride, patre regis Franco nominavisse, primum in opere inscripto “De gestis Philippi Augusti” Guillermi Armorici (obiit anno 1225) legitur. Elementa fabulosa fortasse ab auctore Chronicus Picti inserta sunt, qui gratiam regis sui, Ludovici I. stirpe Gallica nati quaerens relationibus Francogallicis locum dare potuit (Eckhardt, Sicambria 189; Kardos T., A magyarság antik hagyományai [= Monumenta antiqua Hungarica], 1942, pp. 16 sqq.; Győry pp. 75 sqq.; Tarnai, l. cit. p. 208).

19 *Secundus filius ... genuit Assenes* — Fons Th., Chronicon Pictum materiam non directe a Hieronymo sumpsit, sed longos continuos textus a Nicolao de Lyra transcripsit, ita etiam vocabula, quae ad ipsum Hieronymum pertinent: “Et »magog«, a quo descenderunt scyhte [!] secundum Hieronymum. »Et madai«, a quo dicti sunt medi. »Et ianan«, a quo greci, vnde in hebreo Grecia nominatur ianan” (vocabula “vnde in hebreo — Chronicon Pictum hic inserit: adhuc — Grecia nominatur ianan” Th. ex fonte non transcripsit) “... »Et tubal«, a quo descenderunt hispani. »Et mosoch«, a quo capadoces descenderunt, vnde et apud eos adhuc mazocab ciuitas nominatur. »Et thyras«, a quo nominati sunt thraces. »Porro filij gomer asseneth»” (Tarnai l. cit. p. 206).

Masechab — Mazaca (Caesarea, hodie Kayseri dicitur) urbs in Asia Minore in regione ab Ancyra austro-orientali sita est.

Gomer ... Troyani — In hac genealogia fons Th., Chronicon Pictum amplificavit Nicolaum de Lyra, et fabulam Troianam Francorum se fovere iterum demonstravit (Tarnai l. cit. p. 208). Eo, quod Chronicon Pictum — sic etiam Th. — nomina duorum aliorum filiorum Gomer (I. Mos. 10, 4) omnino omittit, Troiani magnam vim habere magis extolluntur.

20 *Iauan ... XXI* — Post breve insertum, quod Troianos a Japhet ortos esse dicit, fons Th., Chronicon Pictum ad textum Nicolai de Lyra reddit: “»Filij autem ianan [elisa]«, a quo dicti sunt elizei primo, et post eolides ... »Et tharsis«, a quo descenderunt cilices, vnde et ciuitas metropolis eorum vocata est tharsis, vnde natus fuit Paulus apostolus vt habetur in Actibus apostolorum XII [!]” (Tarnai l. cit. p. 206).

Eolides — Aeoles, gens Graeca in litore occidentali-septentrionali Asiae Minoris habitabant.

Cilices — Incolae Ciliciae, quae in regione meridionali-orientali Asiae Minoris iacet.

Tharsis — In codicibus V_1 et V_2 nomina Tharsus vel Thorsus servabantur, Tarsis solum in codice V_4 legitur (SRH I, 246). Urbs in parte meridionali-orientali Asiae Minoris prope Adanam sita est.

in Actibus ... XXI — Act. 21, 39. 22, 3.

Et subdit beatus Hieronymus — Vis verborum, quae Th. a Hieronymo sumit (Et subdens — nationibus suis), e Sacra Scriptura affertur (I. Mos. 10, 5) et etiam apud Nicolaum de Lyra inter horum verba legitur (Tarnai l. cit. p. 206). Sententia sine dubio a Lyra transcripta est, sed dum Chronicon Pictum eam non totam adfert, Th. etiam verba a Chronico Picto omissa transcritbit, id est Th. scivit se e Sacra Scriptura verba attulisse, auctorem tamen Hieronymum nominavit.

Quod dictum ... anticipasse invenitur — Verba — contra id, quod Th. affert — non a Hieronymo, sed a Nicolao de Lyra excepta sunt: “Hoc dicitur hic per anticipationem, quia factum fuit postea tempore diuisionis linguarum” (Tarnai l. cit. p. 206). Et in Chronico Picto et — in mutata forma grammatica — apud Th. servata est interpretatio “per anticipationem” (igitur quae ad Sacram Scripturam glossam scribentis Lyrae propria est), Tarnai l. cit. p. 208.

Fili autem Cham ... Sabatheni — Fons Th., Chronicon Pictum partes longas a Nicolao de Lyra transcripsit: »Filij autem cham chus« a quo dicti sunt ethiopes, vnde et in hebreo ethiopia chus nominatur. »Et mesraim«, a quo egyptij, vnde et in hebreo egyptus mesraim dicitur. »Phuth«, a quo libyes, qui tamen primo vocati sunt” (vocabula “libyes — in Chronico Picto: Sibies —, qui tamen primo vocati sunt” Th. ex fonte non transcripsit) “phutei, vnde ibidem ... est fluuius qui vsque nunc phuth dicitur. »Et chanaan«, a quo dicti sunt hananei, quorum terra postea filiis israel data est. »Filij autem chus saba«, a quo dicti sunt sabei ... »Euila«, a quo dicti sunt getuli. »Et sabatha«, a quo sabatheni” (Tarnai l. cit. p. 207).

Euila — In hac forma in codicibus V_2 et V_3 , in codice V_4 autem: Awila legitur (SRH I, 247).

Gentiles — In omnibus libris manu scriptis Chronicis Pictis haec corrupta forma nominis populi invenitur, quod apud Nicolaum de Lyra “Getuli” scriptum est.

Gentiles ... Sabatheni — Secundum Isidorum (Etym. IX. 2, 15–16), qui cum Hieronymo ad verbum consentit (Hebr. Quaest. cap. X, vers. 7), Getuli “in parte remotioris Africæ eremo cohaerentes”, Sabatheni autem “nunc Astabari nominantur”. Sabei in litore Rubri maris vitam agebant (P. Mela III, 8).

Ex his postea ... aut propinquo permanserunt — Th. hanc sententiam — a Hieronymo repetitam — a loco Gestorum, cui in narratione priore quadam inserta erat, recte hic, ad extremum narrationis suae posuit (SRH I, 244).

Et iterum ... contra dominum — Quamquam Th. hoc loco quoque

Hieronymum nominat, re vera Chronici Picti verba sumpta a Nicolao de Lyra adfert: »Porro chus genuit nemroth«, iste fuit qui induxit posteritatem noe ad faciendum ciuitatem et turrim contra dominum” (Tarnai l. cit. p. 207).

contra dominum — Usque ad haec verba Th. Chronicon Pictum est secutus. Post haec vocabula autem — quamquam Chronicon Pictum secundum Nicolaum de Lyra (Tarnai l. cit. p. 207) fabulam Nemroth copiose narrat — Th. ad textum Chronici Budensis transit.

- 24 *Iosephus in libro ... uterentur lingua* — Haec verba, quae allata esse videntur, Th. e Chronicō Budensi sumit, sed loco eventui congruo apud Iosephum Flavium (Hain 9451. Lib. I, cap. VIII) de lingua universalī Hebraeorū aut de anno 201 nulla mentio est: “Filii autem Noe tres erant: Sem, Cam et Japhet, qui ante centum annos diluvii fuerant generati ... Nemroth filius Cham filii Noe, qui cum esset audacior et manu fortissimus ... cognatos generis sui ad causam tirannidis adduxit, solus ipse presumens homines a dei timore revocare et spem suam in propria virtute reponere ulciscique se dementes in deum putabant, interminantem ferre diluvium terre. Ob quam causam turrim altiorem edificandam suadebat, ubi aqua non posset ascendere.”

Nemroth gigas — Th. hoc loco e textu Chronicī Budensis haec vocabula: “filius Thana ex semine Yaphet oriundus” (SRH I, 247) omittit. Haec enim cum enarratione Th., qui textu Chronicī Picti innititur atque etiam Nemroth ex semine Chus natum esse affirmat, discrepant. Notandum est Nemroth secundum Sacram Scripturam non ex Japhet, sed ex Cham, et quidem huius ex filio Chus ortum esse (I. Mos. 10, 9). Gesta in hac re incerta sunt: modo ex Japhet, modo ex Cham stirpem Hungarorum derivatam esse dicunt. Nam partes Gestorum, quae diversis temporibus descriptae sunt, modo ex Cham, modo ex Japhet Hungaros originem duxisse tradunt (Mályusz 1966, 719 sqq.; Kristó 1967, 484 sqq.).

divini tamen iudicii — Th. vocabulum ministerii (*S*) aut misterii (*B*) (SRH I, 248) permutavit vocabulo iudicii, quod rationem enuntiationis rectius significat.

- 25 *Nubiam* — Nubia nominatur regio ad Nilum inter Aegyptum et Aethiopiam adiacens.

Memphis in Alexandriam — Urbes, quae etiam hodie sic nominantur, sunt ad cursum inferiorem ostiumve Nili.

Hanc grandem ... usque hodie cerni — Fons Th., Chronicō Budense hoc loco evidenter pyramides in animo habuit.

alii vero in Caldea — Th. ad hunc locum textum Chronicī Picti transcripsit, inde autem per complures enuntiationes textus differt a vocabulis Gestorum.

Caldea — Chaldaea est regio, quam fluvii Tigris et Euphrates inundant.

ad flumen Ewfraten — Th. haec infixa vocabula e Diodoro Siculo transcripsit: “iuxta Euphraten in planicie” (II, 7).

Semiramis — Semiramis est coniunx regis Nini, regina fabulosa Assyriae, cuius cum nomine memoria multarum aedificationum coniuncta est.

primi imperii genitricem — Ut rerum scriptores medii aevi putabant, acta superiorum aetatum in vita regnum unum post alterum insequentium repetuntur. Vocabulum “regnum” significabat imperium (Mart. Pol. p. 398: “Reperiuntur autem inter alia regna 4 fuisse maiora secundum 4 climata mundi: videlicet Babilonicum ab oriente, quod incepit a Nino ..., Carthaginense a meridie ..., Macedonicum a septentrione, quod incepit ab Alexandro ..., Romanum ab occidente, quod incepit a Romulo”), non vocabulum “imperium”, sicut apud Th. legitur. Primum regnum erat Assyrium—Babylonium.

Semiramis ... condidit — Diod. Sic. II, 4: “Semiramidem ... omnium feminarum clarissimam”; II, 7: “Semiramis ... ingentem tumulum ... ut Ctesias auctor est, construxit”; II, 8: “Semiramis ... urbi in Babyloniam condendae animum adiecit”.

a Babel turri ... denominata — Th. interpretationem ab Isidoro (Etym. XV, 1, 4) sumpsit: “Nemrod gigas Babylonem ... fundavit ... Vocabulum autem sumpsit a confusione, eo quod ibi confusae sint atque permixtae linguae aedificantium turrim.” Isidorus autem interpretationem Hieronymi repetit (Questiones Gen. X, 10): “in Babylone, quae ab eo, quod ibi confusae sunt linguae turim aedificantium, Babel appellata est. Babel enim interpretatur confusio” (Migne, PL 23, col. 955).

non tantum ... Babilonis nomen accepisse — Isid. (Etym. XIV, 3, 14): “Babyloniae regionis caput Babylon urbs est, a qua nuncupata, tam nobilis, ut Chaldaea et Assyria et Mesopotamia in eius nomen aliquando transierint.” — Isidorus Solino nititur (p. 56), sed Th. ad Isidorum propius accedit. Sol.: “Chaldaeae gentis caput Babylonie est, tam nobilis, ut propter eam et Assyria et Mesopotamia in Babyloniae nomen transierint.”

Ctesius — Ctesias erat medicus in aula regis Persarum circa annum 400 a. 26 Chr. n. In suo opere elementis fabulosis colorato, cuius tantum fragmenta supersunt, historiam regnum Assyriorum, Medorum et Persarum tractat.

Clitharcus — Clitarchus Graecus rerum scriptor, qui historiam Alexandri Magni circa annum 300 a. Chr. n. cum ambitione litteraria narrabat. Ex opere eius tantum fragmenta nota sunt (Pauly—Wissowa, XI, 622).

Erodotus — Herodotus (a. Chr. n. saec. V) I, 178—183 tractat de Babylonie.

Dyodoros Siculus — Graecus rerum scriptor erat (circa Chr. n.), qui in opere suo de historia totius orbis terrarum scripto de Babylone (II, 7—11) tractat et Ctesium atque Clitarchum (II, 7, 8 etc.) memorat (edd. Dindorf—Müller, Parisiis 1842).

Multa et ... appropriata invenientur — Th. igitur omnia, quae quattuor rerum scriptores aetatis antiquae produnt atque ipse de Babylone condita apud eos legit, vere facta esse putat, et eventus laboris humani tantum posterius turri Nemproth additos esse videt. Sicut etiam e iudicio suo

posteriore appareat, non litteris librorum divinorum, sed historiae assentitur.

In uno enim dictorum duorum voluminum — Scilicet in codicibus manu scriptorum familiae Chronic Budensis (SRH I, 248). Ab his verbis Th. denuo Chronicon Budense transcritbit.

In uno enim ... referre posuerunt — Chronicon Budense (SRH I, 248), fons Th. descriptionem sequentem a Iosepho Flavio ortam esse falso putat, de qua enim in Antiquitatibus (I, 9) nulla fit mentio (R. F. Kaindl, Studien zu den ungarischen Geschichtsquellen, AÖG 88 [1900] 411). Manifestum est Th. textum ipsius Iosephi non perscrutatum, et ideo in errorem ductum esse. Fons descriptionis nobis non est cognitus, qui partim memoriam Chronic Isidori (Migne, PL 83, col. 1023) revocat: “Desribunt ibi templa marmorea, lapidibus pretiosis auroque distincta et multa alia, quae videntur incredibilia”.

- 27 *Nam post non ... templa edificari debuissent — Vocabula ad arbitrium Th. scripta esse videntur.*

Ninus ... patre suo — Ninus, uti fertur, filius erat Beli (Baal), constituit Assyriam, conditor fuit urbis Ninive (Graece: “Ninos”), maritus reginae Semiramidis.

Nam post non ... multe doceant scripture — Th. summatim ab Antonino comperit de initio idolatriae: “ab isto Nino orta sunt ydola et ydolatria ... cetera traxerunt originem ... Mortuo Belo Ninus in solarium doloris imaginem patris voluit fieri sculptam, cui ... exhibuit reverentiam ... homines illius regni divinos honores ceperunt illi imagini impendere” (I, 1, 3, § 7). Narrationem secundum fontem alterum, hoc est secundum opus Guidonis de Columna: “Historia destructionis Troiae” composuit: “Ydolatrie vero principium a Bello Assyriorum rege primo dicitur processisse. Nam iste Bellus rex fuit pater Nini regis, qui morte preoccupatus per Ninum filium eius preciose est traditus sepulture. In cuius memoriam Ninus filius eius mirabiliter simulachrum quasi simile patri suo configere mandavit ex auro, ut in consolacionem suam et memoriam patris sui viso simulachro videre fingeret patrem suum. Hoc ergo simulachrum rex Ninus coluit tamquam deum et coli mandavit a suis et in celum esse deificatum omnibus Assiriis tradidit esse credendum. Et sic non multo postmodum tempore procedente spiritus immundus in hoc ydolum Belli regis ingressus responsa petentibus exhibebat” (Griffin p. 94).

- 28 *Tandem sequitur — Sine intermissione usque ad vocabula “fundamenti levius sustineret” Chronicon Budense sequitur.*

turris ipsa ... latitudinis totidem — Forsitan fons Th., Chronicon Budense Herodotum (I, 178, 181) secutus sit, qui autem non turris, sed totius urbis singula latera 120 stadia, id est 12 000 passuum longa esse dicit, latera templi bina stadia longa, fundamenta turris autem singula stadia longa esse putat (SRH I, 249). Passuum 1015 nullo modo iidem esse possunt ac stadia 120, passuum 15 000 autem, qui in textu Simonis de Kéza leguntur, tantum proprius

ad id accedunt, quod Herodotus tradit. Commentarii Domanovszky: "120 stadiorum id est 1500 passuum" (SRH I, 143 et 249) errati sunt.

paulatim quidem ... levius sustineret — Isidorus, Chronicon: "paulatim a latioribus in angustias coarctata, ut pondus imminens facilis sustentaretur" (Migne, PL 83, col. 1022).

Et rursus ... regni eius Babilon — Th. Chronicon Pictum sequitur (SRH I, 29 247).

in Genesi capitulo, ubi supra — I. Mos. 10, 8—9.

Ipse videlicet Nemroth ... regni eius Babilon — Fons Th., Chronicon Pictum Nicolaum de Lyra sequitur historiam Nemroth copiose narrans: "Ideo dicitur: »Ipse cepit potens esse in terra«, quia per potentiam alios sibi submittebat et nolentes ad opus predictum compellebat. Ideo sequitur: »Et erat robustus venator«, id est oppressor hominum. »Coram domino«, quia nihil latet eius aspectum. »Ab hoc exiuit prouerbium«, id est verbum commune vel vulgatum: »Quasi nemroth robustus ve[nator]« etc. Quando enim postea videbatur aliquis oppressor hominum, vocabatur alter nemroth, vel similis ipsi nemroth. »Fuit autem principium regni eius babylon«" (Tarnai I. cit. p. 207).

secundum sanctum Hieronimum — Ex supra dictis non est dubium, quin Th. non ipsum Hieronymum sibi adhibuerit, sed textum Chronicorum Pictorum redeuntem ad Nicolaum de Lyra. Sententia autem, cui nomen Hieronymi intextum est, e Sacra Scriptura sumpta est (I, Mos. 10, 10).

et in terra Sennar — Haec verba Sacrae Scripturae (I, Mos. 10, 10) in fonte Th. non inveniuntur (SRH I, 248), illis igitur verba e Sacra Scriptura allata ipse Th. complevit.

⟨4.⟩

Caput lectiones duas variantes Gestorum amplectitur, quae pretiosas reliquias consuetudinum famaeque populi Hungarorum servaverunt.

De generationis ... origine — Index aliquo modo memoriam indicis capitinis 30 Chronicorum Pictorum repetit: "Prima origo dilatationis Hungarorum in oriente Scythie" (SRH I, 250).

Hunc Nemroth ... prothoparentem — Veri simillimum est omnes notas proprias Nemroth, quae non in Sacra Scriptura leguntur, e sermone populari Hungarorum ortas esse (bibliographiam quaestionis v. Györffy p. 17). Fama popularis Hungarorum — teste Simone de Kéza (SRH I, 143 sq.) — proavum gentis Hungarorum Menroth nominavit, et Simon de Kéza personam, qui in Sacra Scriptura Nemroth nominata est, hoc nomine, id est Menroth nominavit. Chronicon autem Budense traditum proavum, qui Menroth nominatus est, quoque Nemroth nominavit, similiter atque ipse Th. Quod autem in Sacra Scriptura dictus Nemroth et ex fabula Hungaro-

rum notus Menroth idem esse dicebantur, praeter similitudinem nominum etiam ex circumstantiis historicis explicari potest. Apud Simonem de Kéza Menroth unam solam rem commemoratione dignam fecit, quae in Sacra Scriptura invenitur, id est turrim extruxit, quod factum nefarium (I. Mos. 11, 5–9), seditio contra deum erat. Nemroth, qui contra deum seditionem movit, proavus Hungarorum putari tantum per breve tempus historiae Hungariae, scilicet Ladislao IV. regnante potuit, qui Christianae ecclesiae graviter adversabatur. Quia Simon de Kéza in curia Ladislai IV. fidelis clericus erat, conici potest ipsum Simonem de Kéza Nemroth et Menroth identificandum exeunte saeculo XIII curavisse (adnotationes novissimas v. Kristó 1972, 2 sqq.).

in uno dictorum voluminum — Scilicet in codice familiae Chronicorum Budensis. Textus huius codicis ab enarratione Th. non dissentiens invenitur: SRH I, 249.

EUILATH — In Sacra Scriptura (I. Mos. 2, 11 et 25, 18) nomine Hevilath dicta regio est. Fons Th. Persiam apud Isidorum repartam recte Hevilath esse dixit (Thúry J., A magyaroknak „szavarti-aszfali” neve [= Nomen “savarti-asphali” Hungarorum], Száz. 31. [1897] 400 sqq.).

NEMROTH GIGAS ... INTRASSET — Fons Th. haec vocabula secundum Isidorum formavit: “in Persia ... Nemroth gigas post confusionem linguarum ... Persas ignem colere docuit” (Etym. XIV, 3, 12).

ENECH — Ex antiqua forma vocabuli Hungarici enech ortum est nomen ünő (‘vitula’) (Melich J., Adatok a magyar nyelv és helyesírás történetéhez [= Additamenta ad historiam linguae et orthographiae Hungaricae], NyK 34 [1904] 142; Pais D., Régi személyneveink jelentéstana [= Semantica nominum antiquorum Hungaricorum], MNy 17 [1921] 162). Etiam Jakubovich formam vocabuli Eneth falso lectam esse putat (MNy 18 [1922] 164). Hoc vocabulum significat: ‘vacca’. Identificatio proaviae Hungarorum cum animali quodam totem cultus habetur (de bibliographia huius rei v. Sebestyén, Mondái I, pp. 309 sqq., II. p. 73; Roheim G., A kazár nagyfejedelem és a Turulmonda [= Magnus princeps Kazarorum et fabula avis Hungarice “turul” id est ‘aquila’ dictae], Ethn. 28 [1917] 85; Pais D., Totemhalmozás Álmos vezér származása körül? [= Accumulatio totum figurarum circum genus ducis Almi?], MNy 55 [1959] 80), atque monumen-tum intervalli matriarchalis vitae Hungarorum dici potest (Molnár p. 67). Huiusmodi similitudines etiam in mysteriis populorum Altaicorum nonnullae inveniuntur. Stirps Mongolorum, unde chanus Dsingis ortus est, proaviam suam albam cervam fuisse putabat, item Burjati stirpis Mongolicae proaviam, sicut fabula de origine stirpis narrat, vaccam fuisse arbitrabantur, proavia cuiusdam stirpis autem Jacutorum, sicut traditur, vacca maculosa erat (Györffy p. 12).

DUOS GENERASSET ... VERO MAGOR — Nomina personarum fictarum, proavorum populorum Hunnisci et Hungarici sunt. In memoria Hungarorum pro certo habebatur opinio stirpem Hungarorum ex proavo eiusdem nominis

ortam esse. Simili modo cogitabat innumerabilis aliarum gentium multitudo de origine sua. Derivatio ex fratribus ad illustrandam consanguinitatem duorum populorum apta est. At dum nomina Magor et magyar inter se recte congruunt, idem de nominibus Hunor et hun dici non potest. Logice enim iuxta nomen Magor eponymos Hun reperiri deberet. Magna pars virorum doctissimorum huic rei convenienter nomen et personam Hunor secundum analogiam nominis Magor conjecturam chronographorum esse arbitrantur, itaque minime est demonstratum popularem sermonem antiquum Hungarorum memoriam coniunctionis Hunnorum atque Hungarorum servavisse. In eis, qui aliam, contrariam opinionem probant, non neglegenda est sententia Németh (p. 219), qui nomen Hunor e vocabulo Bulgaro “hun-eri” id est ‘homo Hunniscus’ derivatum esse putat, et sententia Györffy (p. 28, cum bibliographia quaestionalis), qui tamen in nomine “Hunor” nomen populi “onogur” latere dicit. Studia novissime scripta opinionem Györffy usque ad J. Marquart redeuntem probant (Horváth, Hun-tört. 463 sq.; Szűcs J., “Gentilizmus”. A barbár etnikai tudat kérdése. Tézisek és vita [= “Gentilismus”. Quaestio conscientiae ethnicae barbarorum. Quaestiones propositae et disputatio], TSz 14 [1971] 199; Kristó 1972, 3).

Dicitur ... uxores habuisset — Fabella a Simone de Kéza primum ³¹ conscripta, in qua narratur Menroth plures coniuges habuisse, e sermone temporum antiquissimorum emanat. *Anonymous* ineunte saeculo XIII polygamiae aperte adversatur, at Menroth plures uxores simul habens, Ladislao IV. regnante “publica auctoritate” quoque proavus Hungarorum esse potuit, nam ipse rex Ladislaus IV. iterum ac saepius crimine plurium uxorum accusatus est, quia pulchras feminas Cumanorum nimium diligebat (Kristó 1972, 3).

predictam inhabitarent — Nomen Persiae variis atque compluribus modis in Chronico Simonis de Kéza notari potuit. Partim: originem accipere potuit e fama Hungarorum. Constantinus Porphyrogenitus innitens in notitiis Hungarorum saeculi X describit “bello inter Turcos [= prae-Hungaros] et tunc Kangaros dictos Bissenos orto exercitum Turcorum cladem accepisse et stirpem Turcorum in duas partes divisam esse, partem eorum ad orientem in regione, ubi Persia sita est, consedit et nomine antiquo Turcorum ad hoc tempus sabartoi asphaloi ($\Sigma\alpha\beta\alpha\gamma\tau\omega\iota\alpha\sigma\varphi\alpha\lambda\omega\iota$) nominari” (Konstantín p. 170). Bellum inter Kangaros Sabardosque saeculis VI aut VII, sed certe multis annis ante annum 750 alicubi a flumine Volga ad occidentem atque a Tanaide ad orientem factum est (Czeglédy K., IV–IX. századi népmozgal-mak a steppén [= Migrationes gentium saeculorum IV–IX in campis patentibus], Bp. 1954, p. 44). Nomen $\Sigma\alpha\beta\alpha\gamma\tau\omega\iota\alpha\sigma\varphi\alpha\lambda\omega\iota$ idem est ac nomen “sabir” stirpis Turcorum, quod nomen Hungari cum ea stirpe una habitantes tertio quadrante millenarii primi p. Chr. n. — propius indefinito tempore — acceperunt (Németh pp. 183, 316; Moravcsik I, pp. 67 sq.). Hungari in regione Carpathum sedem ac domicilium constituentes adhuc medio saeculo X coniuncti erant cum Sabartis-Hungaris habitantibus in Persia

(Konstantín p. 174). In historia Zuard Anonymi commemoratio transmigrationis Sabartorum ad orientem servata est. Partim: haec fama a medio saeculo XIII recreari potuit patefactis regionibus Europae Orientalis et Orientis Propinqui ante populos et peregrinantes Europae Occidentalis Mediaeque. Anno 1253 Dominicanus quidam Hungaricus in Caucaso iter fecit in regione olim a Sabardis inculta, anno 1329 autem in bulla pontificia quadam Ungari Asiatici nominati sunt homines, qui prognati ex Sabardis-Hungaris essent in Caucaso (Györffy, pp. 86 sqq.). Postremo: sedes antiquissima in regione Persiae quondam existens tantum coniectura litteraria dici potest, quae usque ad Isidorum redit (Thúry op. cit. Száz. 31 [1897] 399 sqq.). (Quod ad recapitulationem bibliographiae quaestionis patriae Persicae Hungarorum pertinet, v. Kristó 1972, 3.)

in loquela ... modicum differentes — Simon de Kéza a certis auctoribus cognoscere potuit linguam Sabardorum-Hungarorum orientalium (Horváth, Hun-tört. 461). Idem etiam linguae Germanicae peritus erat, nam Thuringos et Saxones diversis dialectis linguae Germanicae usos esse commemorat (Szűcs 579). His verbis pars textus Th. ad Chronicon Budense rediens finitur, quam ipse in initio capitinis his verbis: “in uno dictorum voluminum” ostendit.

- 32 *In altero autem voluminum predictorum* — Th. dehinc ad textum Chronicorum Picti transit. Sicut Chronicon Budense innitens scriptis Simonis de Kéza tradit, Hungari a Nemroth oriuntur. Auctor Chronicorum Picti huic derivationi repugnat. Sententiam suam res variae interpretantur. Dignitatem suam laesam putare potuit, quod Hungari originem ex Cham, filio detestato Noe duxissent. Simulque excogitavit derivationem Hungarorum e Scythis originem e Cham excludere. Nam omnes auctores theoretici medii aevi (exempli causa Isid. Etym. IX, 2, 27) Scythas ex Japhet, eius filio Magog deduxerunt (Kristó 1970, FK, 115). Sed Chronicon Pictum in disceptatione cum Chronicorum Budensium verbum *non* in ordine verborum male disposuit, ita textui ademit rationem, quam ille exprimere voluit (“dictum illorum [recte: *non*] esse verum, qui dicunt, quod Hunor et Magor, patres Hungarorum, fuerunt filii Nemproth ... Tum quia non [!] essent Hungari de genere Japhet”). Mirum in modum omnes descriptiones Chronicorum Picti textum non perspicuum ac secum discrepantem conservabant (varias lectiones textus v. SRH I, 248 sq. Hic mirum in modum in annotationibus criticis nulla mentio contradictionis facta est) et ipse Th. primus rationem rectam verborum statuisse videtur.

a Magog filio Iaphet descendissent Scite — Chronicon Pictum apte ad derivationem Scythicam, omittens originem ex Cham, Hungaros ex Japhet, et quidem huius ex filio Magog prognatos esse putabat, sicut fontes eius insignes medii aevi fecerunt, exempli causa Exordia Scythica: “primus eam regionem [scilicet Scythiam] Magog filius Iafeth eam incoluit” (M. G. H., AA XI/2, 319); Isidorus: “Magog, a quo arbitrantur Scythas et Gothos traxisse originem” (Etym. IX, 2, 27). Antequam Chronicon Pictum de hac

re disputabat, in eadem erat sententia etiam Hungaricus Anonymus: “Et primus rex Scithie fuit Magog filius Iaphet et gens illa a Magog rege vocata est Moger” (SRH I, 35). Chronicon Pictum (codex V₁) formam verbi Magor scribit adversus variationem Magog aliorum codicum acceptam e Sacra Scriptura (SRH I, 249). Ita certe decerni non potest, utrum in archaetypo familiae Chronicus Picti Magog, qui in Sacra Scriptura sic nominatur, an Magor, eponymos Hungarorum et frater Hunoris factus, scriptus esset ut filius Japhet et proavus Hungarorum (Horváth, Hun-tört. 457 sq.; v. etiam Heller B., Góg és Magóg [= Gog et Magog], Ethn. 46 [1935] 28).

quinquagesimo VIII — In codice V₄: LXIII^o scriptum est. Hac varia ³³ lectione igitur Th. haud facile uti potuit.

sanctus Sigibertus ... nationum referit — Sigibertus nec sanctus, nec episcopus Antiochenus, nec rerum scriptor est cognitus. Secundum Fr. Riedl (A magyar húmmondák [= Fabulae Hunniscae Hungarorum], BSz 27 [1881] 331, 334) opus Sigiberti idem esse potest atque Chronicon Paschale saeculi VII (ed. L. Dindorf, CSHB), quod etiam Chronicon Antiochenum nominatum est (Repertorium fontium historiae medii aevi, III. Romae 1970, pp. 405 sq.), sed in hoc non invenitur ea pars, quam fons Th., Chronicon Pictum indicat. L. Mezey (Képes Krónika [= Chronicon Pictum], Bp. 1964, p. 187) putat hoc opus idem esse atque Orientalis et occidentalis historia episcopi Jacobi de Vitriaco et ambiguitatem aut errorem nominis intervenisse arbitratur. (Ad Jacobum v. Tusculum-Lexicon, München 1963, p. 238.)

⟨5.⟩

Caput ex operibus Antonini, Aeneae Silvii, Herodoti et Trogi Pompei compilatum est. Indicium est, Th. qua licentia quaelibet sibi non idonea operum collatorum omittat.

Aliud ... tractatu — Indicem capitinis similiter ad capita ⟨6–12.⟩ per se Th. ³⁴ scribit.

de quo superius ... fecisse recolo — V. caput ⟨1.⟩, sent. 8.

Sigibertum — Auctor, cuius testimonium hic Th. profert, ab Antonino — qui Vincentium revocat — Sigisbertus nominatur (“De regno Hunorum ait Vincentius post Sigisbertum” II, 11, 8. Apud Vincentium nomen Sigibertus scribitur). Hic Sigebertus Gemblacensis (obiit anno 1112), nomen a monasterio ordinis Sancti Benedicti in Belgica civitate Gemblacensi (hodie Gembloux) traxit, ubi partem maiorem vitae peragebat. Opus eius, quo Vincentius usus est, Chronica nominatur, editum est: M. G. H., SS VI, 300–374. Th., ut conici potest, memor Sancti Sigiberti, de quo in fine capitinis superioris secundum Chronicon Pictum mentio facta erat, nomen eius Sigibertum scripsit et duos auctores unum esse putavit.

Vincentium — Vincentius Bellovacensis (obiit circa annum 1264) nomen certe a loco originis, Bellovacum (h. Beauvais) in Francogallia traxit. Ordini Sancti Dominici ascriptus est. Opus eius, quod Speculum inscribitur, summa ampla disciplinarum in tribus partibus amplectitur, quarum prima Speculum naturale, secunda Speculum doctrinale, tertia autem Speculum historiale nominatur. Haec ultima pars libros 31 continens historiam totius orbis terrarum usque ad medium saeculum XIII copiose, more compilatorio tractat (Hauck, Realenc. XX, pp. 665 sqq.; Wattenbach, II⁶, p. 463).

se sic legisse ponit — Longa pars, quae sequitur, usque ad vocabula “Hec Anthoninus” (sent. 37) ex Antonino citatur, sed insertae et omissae partes citandi et cogitandi rationem et viam Th. pariter demonstrant. Insertae partes imprimis ad illustrandum factae sunt, quam Scythae visu terribiles essent, omissae autem sunt partes, quae eos in invidiam adducere potuerint. Postiores hic typis inclinatis significantur. Ecce textus Antonini (II, 11, 8): “De eorum ergo origine, que in antiquorum leguntur historiis, aperiam paucis, Silimer Gethorum rex, Gaderici magni filius post egressum Scanthie insule iam quinto loco tenens principatum Gothorum olim Gethorum, cum terras Scithie cum sua gente introiit, repperit in populo quasdam magnas mulieres, quas Gethico sermone alirumnas vocant, easque habens suspectas de medio sui perturbat longeque ab exercitu suo fugatas in solitudine coegit errare. Quas silvestres homines (quos nunnuli faunos sicharios vocant) per desertum vagantes dum vidissent et earum complexibus in coitu se commiscuissent, genus hoc ferocissimum ediderunt. Quod fuit primum inter Meotides paludes *munitum teturisque ac exile quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quod humani sermonis imaginem assignabat.* Et quos bello forsitan non superabant, vultus sui pavore nimium pavorem ingerentes terribilitate fugabant *eo, quod erant eis species pavende nigredinis et velut quedam, si dici fas est, deformia ora non facies habensque magis puncta, quam lumina, quorum animi fiduciam torvus prodit aspectus.* Qui etiam in pignora sua prima die nata deseivint. Nam maribus ferro genas secant, ut antequam lactis nutrimenta percipient, vulneris cogantur subire tolerantiam. *Hinc imberbes senescunt et sine venustate ephebi sunt, quia facies ferro sulcata tempestivam pilorum gratiam cicatrice absunit.* Exigu quidam forma sed arguti, motibus expediti et ad equitandum promissimi, scapulis lati, ad arcus sagittasque parati, cervicibus firmi et superbia semper erecti. Tali ergo stirpe procreati Huni cunctis vicinis gentibus horrori erant et formidini”.

Filimer ... Gothorum — Filimer (Iord., Getica § 121) rex quintus Gothorum, circa annum 238 regnabat.

Gothorum — Gens Germanica, quae saeculo II p. Chr. n. ad oras Ponti Euxini pervenisse putatur. Gothi orientales a Hunnis anno 374 devicti sunt.

Getharum — Populus Thracica stirpe ortus, tempore Herodoti inter montem Haemum atque flumen Histrum habitans.

Gaderici — Nomen est: Gadarig, Gadaricus.

Sycantie insule Scitie — Nomen recte est: Scandza, Scandzia (Iord., Getica § 9, 16), hodierna paeninsula Scandinavica. Vocabulum Scitie a Th. insertum est.

magas mulieres — V. Iord., Getica § 121.

alirumnas — Recte: haliurunnas (Iord., Getica, l. cit.).

Quas tandem ... obviasse legitur — Hieronymus in commentario de vita ³⁵ Sancti Pauli Thebani scripto narrat Sanctum Antonium (obiit anno 356) aditum consortem eremitam, in campo deserto cum fauno congressum esse, qui de se inter alia haec dixit: "Mortalis ego sum et unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas faunos, satyrosque et incubos vocans colit" (Migne, PL 23, col. 23). Th. hoc argumentum ex Antonino comperit (II, 15, 3, in corpore: "Respondit se esse satyrum deum silvarum secundum errorem gentilium"), quod eum ideo attentum fecit, quia Thebanus Paulus ab ordine Sancti Pauli primi eremitarum in Hungaria constituto ut patronus cultus erat, ipse ordo autem, cuius monasterium principale in propinquuo Budae aedificatum est, dilectus et gratiosus apud homines eiusdem aetatis erat. Rex Matthias quoque animo libenti monasterium illud adibat, ubi reliquiae Sancti Pauli Thebani ex Venetiis anno 1381 in Hungariam latae in decora arca marmorea servatae sunt. Inserta a Th. vocabula significant ordinem eremitarum ipsi quoque gratum fuisse.

ac pavendum et terrible hominum — Vocabula a Th. inserta sunt.

Meotidas paludes — Antiquis temporibus lacus Maeotius sic nominatus est. Maeotis: hodie est Azov.

Cumque in gentem ... obstantesque — Vocabula a Th. inserta sunt.

Iordanus — Iordanes (obiit circa annum 560) primus atque unicus rerum scriptor Gothorum, cuius opus superest. Narratio de origine Hunnorum, quam Th. prius ex Antonino attulit, ex opere Iordanis (De origine actibusque Getarum, § 121—122) oritur. Narrationem Iordanis amplificat Sigebertus Gemblacensis (l. cit. p. 301) transcripsit, mox Vincentius, postremo Antoninus. Antoninus auctorem narrationis Iordanem esse (II, 11, 7) tradit, sed indicationem eius Th. non intellegit. Th., in quaestione sibi gravissima: unde Hunni orti fuissent, Antoninum sententiae Iordanis ex Aenea Silvio cognitae contradicere putabat, auctorem totius narrationis Antoninum esse dixit. Errat C. A. Macartney ("Pascua Romanorum", Száz, 74 [1940] 4), Th. textum Iordanis legisse putans.

Iordanus ... sumpsisse dixerunt — Aeneas Silvius: "Huni ..., quos Iordanus et alii nonnulli ex mulieribus magis et daemonum semine natos crediderunt" (Asia, pars II, cap. 29, Opera omnia p. 307).

spiritus est — Io. 3, 6.

ossa non habet — Luc. 24, 39.

generare possent — Th. non ceteris auctoribus solitus disputat, sed ³⁹ praefationem Simonis de Kéza applicat ad Iordanem. Simon de Kéza in secunda parte saeculi XIII Orosium reprehendit (SRH I, 141), quia — sicut ipse sentit — Orosius Hunnos ex concubitu "daemonum incuborum" et

mulierum vagarum ortos esse dixit. Th. refutationem Orosii a Simone de Kéza scriptam noverat atque argumentationem probavit — ex quo aliud quoddam quoque sequitur, et quidem: concubitum daemonum cum mulieribus recusavit, Faunorum autem concubitum possibilem esse putavit —, sed aliis historicis argumentis additis rationem auctoris interpretatur: Orosius, secundum coniecturam Simonis de Kéza, propter cladem imperatoris Othonis, Iordanes autem, ut Th. arbitratur, propter expulsos Gothos Hungaris suscensebat. Ceterum praefatio Simonis de Kéza cum Th. aliquid commune habet, nam declarare imperatorem Othonem a Hungaris cladem accepisse eundemque aequalem Orosii fuisse aequa absurdum est, ac de Gothis una cum Hungaris viventibus mentionem facere. Quod Th. hanc praefationem noverat, ob aliam quoque rem respici debet. Praeter opus Simonis de Kéza praefatio inter codices familiae Chronic Budensis tantum in *S* permansit (SRH I, 240.). Hunc codicem, ut constitui potest, Th. non noverat, ergo codice eiusmodi *B* usus est, in quo praefatio inveniri potuit.

Araxim flumen — Flumen Araxes apud Persepolim in Persia, hodie Kum-i-Fírúz nominatur.

tertio in libro posuit — Diodorus Siculus in II, 43, et non, sicut Th. tradit, in III scribit de Scythis. At Th. non ex ipso Diodoro textum transcrit, sed ex Aenea Silvio: “Diodorus Scytharum gentem apud Araxim flumen originem habuisse putat, parvamque ab initio nationem fuisse et modicae terrae cultricem *ac propter ignobilitatem a vicinis contemptam*, nactamque deinde regem quandam bellicosum et militari virtute praecipuum, *agros* ampliasse montanos quoadusque ad Caucasum, campestres vero usque ad Oceanum et Meotidem flumenque Tanaim” (Asia cap. 28, Opera omn. p. 305). Animadvertisendum est, quod Th. vocabula Scythis iniqua, quae typis inclinatis significantur, omittit, in vicem autem vocabuli “agros” vocabulum “patriam” reponit.

- 40 *Diodorus ibidem* — Caput II, 43 Bibliothecae Historicae de nativitate Scythae narrat, Th. autem fabulam, quae praecipue differt a fabula Herodoti, ex Aenea Silvio noverat et etiam ad supplementum auctore posteriore usus est.

Herodotus ... libro quarto — Herodotus (obiit circa annum 425 a. Chr. n.) Scythes unam linguam et unum cultum habuisse putavit, immo vero nomen Scytharum aliqua ex parte etiam notionem rerum civilium ei significabat (Harmatta J., Forrástanulmányok Herodotos Scythikájához [= Studia fontium ad Scythicam Herodotij], Magyar—görög tanulmányok [= Studia Hungaro-Hellenica], red. Moravcsik Gy., 14, Bp. 1941, p. 31). Ex similitudine textuum coniectari potest Th. certe interpretatione Latina Laurentii Vallae usum esse, cuius editio princeps anno 1474 cognita est, et quae aetate Th. etiam anno 1475 edita est (Hain 8469, 8470. Cf. Voigt I, pp. 460 sqq., II, p. 185): “Haec Scytae de se ipsis ... narrant. Sed Graeci ... ad hunc modum Herculem Geryonis vaccas agentem in hanc pervenisse terram ... Herculem cum ad regionem quae nunc Scythica vocatur, venisset subtracta sibi pelle

leonis obdormisse. Depraehenderat enim eum vehemens pluvia et gelu dum dormit, interea equas eius a curru pascentes divina quadam forte amotas non comparuisse. Eas exporrectus cum indagaret omnem regionem collustrans, tandem in terram, quae dicitur Hylaea, devenisse ibique in antro quandam invenisse virginem ancipitis naturae humanae ac serpentinae. Superne quidem femorum tenus foeminam, inferius autem viperam. Eam conspicatum Herculem atque admiratum interrogasse, nunc ubi suas equas errabundas vidisset, illamque respondisse se quidem illas habere, sed non prius reddituram ei, quam cum ipsa coisset. Herculem sub ea mercede cum foemina concubuisse. Sed cum illa differret reddere equas cupida diutissime cum Hercule concumbendi et hic cuperet receptis equis abire, ad postrem illis redditis mulierem dixisse. Has ego tibi equas, quae huc venerant, servavi. Tu earum servatarum praecium mihi persolvisti. Concepit enim ex te filios tres, qui ubi adoleverint, expone, quid facere debeant. Nun quid hic habere domicilium (nam ipsa huius regionis imperium teneo) an ad te mitti. Haec percontatae respondisse: Postea quam eos in virilem aetatem adolevisse videris, si ita facies, non delinques. Quem animadverteris eorum hunc arcum ita tendentem et hoc balteo ita percinctum, eum tu regionis huius incolam effice. Qui autem his operibus, quae mando, non erit par, eum hinc ablegabis. Haec exequendo et ipsa laetaberis et praeceptis meis obtemperaveris. Atque ita locutum Herculem tetendisse alterum arcum (duos enim gestabat) et balteum praemonstrasse atque utrumque mulieri tradidisse arcum et balteum, qui balteus in commissura haberet auream phialam et his donatis abiisse. Illam pueris natis nomina imposuisse: uni Agatyroso, sequenti Gelono, novissimo Scythae. Et cum in virilem aetatem adoleverunt, eandem mandatorum memorem illa peregisse et duos quidem filiorum Agatyrsu ac Gelonum, qui proposito certamini non suffecissent, a matre ablegatos e regione excessisse. Scyham vero, qui rem complessset, ibidem remansisse et ab hoc rege progeneratos deinceps reges Scytharum.” (Historiae IV. In editione Veneta anno 1494, p. III. Hain 8472.)

fabulam inducunt quandam — Aeneas Silvius: “fabulam quoque adducit” (Opera omn. p. 305).

res Troyanas turbavit — Th. hic ad eam partem narrationis Guidinis de Columna spectat, in qua Troia veterima ab Iasone et Hercule deleta tractatur (Griffin p. 32).

virginem de telure ... inferius autem viperam — Aeneas Silvius: “natam apud Scythas ex terra virginem umbilicotenus hominis forma, reliqua viperae” (Opera omn. p. 305).

Trogus Pompeius — Rerum scriptor Romanus circa Chr. n. vitam agebat. Opus eius, quod historiam universalem tractat, “Historiae Philippicae” continens libros 44 amissum est et non nisi summarium a Iustino scriptum cognitum est. Pars de certamine Scytharum et Aegyptiorum scripta invenitur in II, 1. Hanc Th. non ad verbum, sed clarius interpretans transcripsit.

tanquam homines ... initio stetisse putarunt — Vocabula a Th. inserta

sunt, qui omittens e fonte vocabula “initio rerum” rationem textus Trogii Pompei mutavit. Sic agendo probabiliter auctoritatem genealogiae Sacrae Scripturae atque vim religionis Christianae augere studuit.

- 46 *Unde et salamandram ... eodem modo* — Vocabula a Th. inserta sunt.

⟨6.⟩

Media pars capitinis ad Gesta vetera rediens elementa magni momenti fabulae popularis Hungarorum continet. Prima pars capitinis profert, quo modo Th. de gloria Hunnorum atque Hungarorum cogitaverit, extrema pars autem ex Antonino et Orosio compilata est.

- 49 *cathalogo sanctorum ascripti* — Haec forma locutio usitata est. Martinus Polonus (p. 450): “cathalogo sanctorum connumerat”.

- 50 *Nonne nepotem ... scripsisse invenitur* — Cf. SRH I, 261, et inferius caput ⟨15.⟩, sent. 123.

ipsi Hungari ... deduxisse reperiuntur — Unum primorum capitum codicum B et V (SRH I, 284 sq.) omittens nomen Magor, Hungaros per Hunor adiungit ad Nemroth.

- 51 *prius Gethe, postea Gotti sunt vocati* — Orosius: “Getae illi qui et nunc Gothi” (I, 16 § 2).

ut infra dicetur — Scilicet in fine capitinis.

Isidori documento — “Magog, a quo quidam arbitrantur Scythes et Gothos traxisse originem” (Etym. IX, 2, 27).

Unde ipsarum ... primordiis sequitur — Pars sequens usque ad vocabula “bestiis copiari” (sent. 53) excepta est e textu congruenti familiarum duorum Chronicorum (SRH I, 250 sq.) cum quibusdam stili mutationibus. Sed prima vocabula (“Dum enim ... habitabant”) in exemplaribus familiae Chronicorum Picti desunt. Ex verbis Th. conicere possumus haec vocabula non ipsum Th. textui codicis in manibus habiti adiecissemus, sed hunc textum iam unitam narrationem duarum familiarium continuuisse.

- 52 *Accidit tandem ... ibidem moraturi* — Narratio Gestorum, quae prodit Hunnos venantes in patriam in paludibus Maeotidis sitam pervenisse et cervam quasi iter eis monstravisse, et narratio Iordanis inter se consentiunt (Getica, § 123—124) illo discrimine interposito, quod posterior de itinere e paludibus Maeotidis in Scythiam facto narrat. Quidam viri docti ex iisdem sententiis textuum putant narrationem e fonte litterario occidentali et quidem per Simonem de Kéza saeculo XIII in Gesta transcriptam esse, et ita eam cum vetustioribus opinionibus Hungarorum coniunctam non esse (Moravcsik Gy., A csodaszarvas mondája a bizánci íróknál [= Fabula cervae mirabilis apud scriptores Byzantinos], EPhK 38 [1914] 290, 333; Hóman p. 55; Horváth, Kezdetei p. 46). Sed notandum est, quod duo textus genere stili inter se non congruunt, itaque translatio non evidens videtur. In

fabula Hunnorum de cerva non nisi de animali, quod viam monstrat, agebatur, et in fabula originis populi Hungarici cerva ut proavia totem a Hungaris colebatur (Horváth, Hun-tört. 455). Sententiae variantur, utrum fabulam cervae Gestae vetera in se continuerint (Györffy pp. 17, 36), an non (Horváth p. 14). In studiis novissimorum annorum praevalet opinio fabulam illam primum exeunte saeculo XIII Simonem de Kéza conscripsisse (Horváth, Hun-tört. 455 sq.; Csóka p. 377; Kristó 1970, 113 sqq.). Historiam in Gestis veteribus adnotatam esse declarat Mályusz 1967, p. 16; Szűcs 615 sqq. Simon de Kéza, quia Hungaros cervam proaviam totem habuisse negavit, etsi fabulam narrando “ünő” id est cervam scripsit, cum originem tractat — quoniam ipse in praefatione explicavit gentes tantum ex viro feminaque oriri posse (SRH I, 142) — e nomine “ünő” nomen femineum “Enech” formavit et ita hanc feminam Enech proaviam Hungarorum fuisse dixit (Horváth, Hun-tört. 456 sq.). Quamquam fabula satis sero descripta est, tamen veri simile videtur historia cervae non e litteris mutuata, sed fabula prisca esse (Páuler, Szt. István p. 201; Domanovszky p. 44; Solymossy S., A magyar csodaszarvas-monda [= Fabula Hungarica cervae mirabilis], Magyarság tudomány 1 [1942] 161 sqq. Bibliographiam amplam enumerat Györffy p. 35. E studiis novissimis v. Dömötör T., Árpádházi Imre herceg és a csodaszarvas-monda [= Dux Emericus stirpis Arpadianae et fabula cervae mirabilis], FK 4 [1958] 320 sq., ad hoc notationes T. Kardos ibidem 323; Kardos T., Régi magyar drámai emlékek [= Monumenta dramatica antiqua Hungarica], I, Bp. 1960, pp. 17 sqq.; Horváth, Hun-tört. 458; T. Dömötör, Les variantes hongroises des légendes médiévales du cerf, Littérature hongroise — littérature européenne, rédigé par I. Sötér et O. Süpek, Bp. 1964, pp. 51 sqq.; Kristó 1970, 113 sqq.; Szűcs op. cit. TSz 14 [1971] 199). Berze Nagy J. (A csodaszarvas mondája [= Fabula cervae mirabilis], Ethn. 38 [1927] 71 sqq., 161) e facto, quod a Th. hic cerva, iterum autem *cervus* scribitur, coniecturam capit, tamquam Th. in Hungarica variatione fabulae consulto perseveraverit. Narrationes Gestorum atque Antonini a Th. non accommodatae sunt. Haec ratio scribendi auctoris etiam aliis locis observari potest, quae eo explicatur, quod Th. textus varios alium post alium ponere solebat.

Dionisius — Descriptionem geographicam Dionysii Periegetis (circa 53 saec. II p. Chr. n.) in hexametris scriptam edidit translatione Latina adiecta G. Bernhardy, Geographi Graeci minores, Lipsiae 1828, II.

Dionisius ... *emittere dicit* — “Hec est palus illa, quam circum incolunt Scythe, quamve ponti matrem appellant ob id maxime, quod multa inde in eum effluat aqua distracta ... ex multis aliunde locis, que adeo ex omni parte paludem replet, ut non possit intra sua labra contineri” (Dionysius Periegetes. Hain 6227).

Paludes ergo — Usque ad vocabula “usque hunc diem” (sent. 56) textus 54 Chronicorum Budensis Pictique inter se congruentes sunt (SRH I, 251 sq.) cum quibusdam stili mutationibus.

Bereka — Nomen in recta forma Belar (SRH I, 145) in gestis Simonis de Kéza servatum est. Belar idem est ac nomen populi Bulgari, quod et in forma Bular et in forma Bilär conservatum est, atque monumentum est eius aetatis, cum Hungari in imperio Bulgaro habitabant. Nomen Belar in Bereka transformatum est in Gestis, ut conici potest, ad exemplum nominis Berca, Bereca, Bereke principis Mongolorum (Németh pp. 173 sq.; Györffy pp. 12 sq.).

festum tube colentes — Secundum Sebestyén (Mondái I, p. 320) festum tubae idem esse dici potest atque initium anni Iudeorum, primus dies mensis Tisri, sabbatum iuris dictionis tuba declaratum, quod tumultuose cultum erat, atque quod die quinto decimo per totam septimanam insequentem festum casae frondeae secutum est. In Gestis igitur festa tubae et festa casae frondeae in unum contracta sunt. Hungari morem procerum Kazarorum religionem Iudeorum profitentium tum cognoscere potuerunt, cum ipsi sub imperio Kazarorum vivebant (de notis et forma festi sententias diversas T. Dömötör communicat: Naptári ünnepek — népi színjátszás [= Fasti — histrionia popularis], Bp. 1964, p. 53).

coreas ducentes — Saltatio catervata feminarum, chorea, quam descriptio indicat, una ex saltationum fundamentalibus formis apud omnes gentes est. More adhuc vivo populi Hungarici puellae sollemniter vestitae inter se in orbem complectuntur et saltatoria, tamen retardata cantica rythmica cantant et ad cantica numerosos motus alligant, dein orbis cantans pede-temptim commovetur et e trepidatione in orbem gradatim passibus parvis saltantem transfiguratur. Adolescentes nunquam participes choreae sunt, sed cum pueris et maioribus natu tantum spectatores adsunt, maxima eorum activitas est una cum puellis in orbe saltantibus cantare (Lajtha L.—Gónyey S., Tánc [= Saltatio], in Magyarság néprajza [= Ethnographia Hungarorum] IV, p. 90).

54—55 *Anno vero sexto ... nonnulli fuisse dixere* — Raptus feminarum, id est mos uxorem ex gente extera ducendi, testimonio est, quod societas patriarchalis Hungarorum exogama erat (Tagányi K., A hazai élő jogszokások gyűjtéséről [= De collectione viventium consuetudinum iudicii Hungaricarum], Ethn. 28 [1917] 200 sqq.; Molnár p. 132). Homines docti raptum feminarum fabulae de cerva mirabili subditum iam pridem — et quidem iure — arbitrantur fabulam originis Hungarorum partemve organicam eius esse (Hóman, Hún-hagyomány pp. 65, 83; Eckhardt S., Attila a mondában [= Attila in fabula], in Németh, Attila, pp. 200 sqq.; Györffy pp. 11 sqq.). Quamquam complures virorum doctissimorum affirmabant Gesta vetera fabulam raptus feminarum narrantem in se continuisse (Hóman op. cit. p. 88; Györffy p. 17), post sententiam Horváth publicatam (Kezdetei pp. 40, 48) suspicio convalescit ac semper firmior esse coepit, ex qua in Gestis veteribus haec fabula vix inesse potuit. Nam raptus feminarum Hungaricis legibus prioribus vetitus erat et repugnabat moribus Christianis itaque in chronicis antiquis Hungaricis inscribi haud potuit. At temporibus Ladislai

IV. narrationi a Simone de Kéza iam nihil obstabat, rex enim ipse monasterium monacharum oppugnavit, unde sororem suam eriperet (Horváth p. 14; Kristó 1970, 114 sqq.; Kristó 1972, 5 sq.).

Dule principis Alanorum — Alani linguam Iranianam loquentes, qui in 55 clivis occidentalibus Caucasi inter Caspium mare et fluvium Tanaidem habitabant, proavi Osetorum huius aetatis, saeculis VI—IX vicini erant Hungarorum habitantium in regione Maeotidis — Vardani (Kuban). Memoria consuetudinis amborum populorum verbis mutuis Osetis in lingua Hungarica servatur (Munkácsi B., Alanische Sprachdenkmäler im ungari-schen Wortschatze, Keleti Szemle [= Revue Orientale] 5 [1904] 304 sqq.; Gombocz 1938, pp. 78 sqq., 91 sqq.). Dula est nomen Osetum, quod in forma Δούλας ut nomen Sarmaticum in inscriptione reperitur (Németh p. 173; Györffy pp. 13 sq.).

Alprosuros — Populus in Gestis nomine Alplozuri memoratus apud 56 Iordanem nomine Alpidzuri describitur una cum aliis populis, quos (Alpid-zuros, Alcildzuros, Itimaros, Tunarsos et Bicos) Hunni devincunt (Getica, § 126).

Alprosuros ... vocari scripserunt — In gestis Simonis de Kéza Alpzuri et Pruteni duo diversi populi sunt (SRH I, 145). Kuun (II, p. 128) nomen fluvii Pruth simile (Al)plozur esse demonstrat. Secundum Gesta, fontem Th. Alplozuri “nunc Pruteni nuncupantur” (SRH I, 252), quod nomen Th. in locum nominis Ucrainorum, qui saeculis XIV—XV in Hungaria Ruteni nominabantur, substituit. Aeneas Silvius Rutenos et Roxanos eundem populum esse dicit (Opera omn. p. 393).

Anthoninus ... sedibus expulissent — “Horum potentiam auxit victoria de 57 Gothis manentibus trans ripas Meotidis paludis, qui in Scithia pollebant gloria potentie singularis et fortitudinis. Quam victoriam hoc modo Huni adepti sunt: Venatores Hunorum sequentes vestigia cervi Meotidas paludes transeuntes, quas impervias prius esse putabant, Scithicam regionem diligenter explorant, explorata omnia Hunis nunciant, ad transeundum eos animant. Horum ducatu paludibus transitis velut quidam turbo subito incubuerunt gentibus Scithicis easque omnes subiugaverunt sibi. Ipsosque Gothos ceteris imperantes aut preeminentes expulerunt sedibus suis” (II, 11, 8). Ambobus textibus inter se comparatis appareat, a Th. verba Antonini omissa esse, quae populos Scythicos subactos esse memorant et victoriam Hunnorum contra Gothos solos redactam esse.

ut in presentis ... dictum est — Cf. caput (1.).

Gens, inquit ... sedibus expulit — “gens Hunorum, diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita exarsit in Gothos eosque passim conturbatos ab antiquis sedibus expulit” (Orosius VII, 33, § 10).

Multa et varia ... scribuntur historiis — Indicatur opus Martini Poloni, quod re vera etiam atque etiam Gothos commemorat (pp. 453 sqq.).

Paulus Orosius ... declinasse ait — “modo autem Getae illi qui et nunc 59

Gothi, quos Alexander evitandos pronuntiavit, Pyrrhus exhorruit, Caesar etiam declinavit" (Orosius I, 16, § 2).

Pirrum ... regem — Pyrrhus (a. Chr. n. 318—272) Epiri rex erat, adversarius gravis imperii Romani crescentis; Macedoniam quamvis ad breve tempus occupavit.

Alexandrum ... declinasse ait — Attributum Alexandri Magni, titulus regius Pyrrhi, praesentatio potestatis Caesaris, hae amplificationes textus testimonio sunt, quod Th. se in historia antiquitatis instructum esse comprobari voluit.

ut Vincentius ... duodecimo scribit — Th. ipsum Vincentium in usum suum non convertebat, etiam si fontem nominando huius rei speciem praebere vult. Ipse se prodit, quia hic allato textu errat. Locus enim allatus apud Vincentium in capite 12 libri XVII reperitur, non in capite quodam 112 Th. Vincentium tantum ex Antonino novit, qui res allatas tractans ita auctoritatem Vincentii adhibet: "ut ait Vincen. histo. ubi supra ca. XII". Hanc abbreviationem vocabuli "capitulum" Th. pro C, "centesimo" legit (Mályusz pp. 118 sqq.).

principatu preeminebant — Textus Antonini superius allatus his vocabulis reddi videtur.

⟨7.⟩

Caput textum identicum codicum Chronicorum continet, haustum e fontibus occidentalibus, qui in nonnullis nominibus etiam sermonem veterem Hungarorum conservaverunt.

60 *Descriptio ... Hungarorum* — Index capitinis a Th. conscriptus est.

primevi autores historiarum — Codices sunt, qui ad familiam Chronicorum Budensis atque Picti pertinent. Textus eorum (SRH I, 252 sqq.), qui a Th. in capite exceptis duabus partibus transcribuntur, identici sunt.

Ripheis montibus — Fabulosi septentrionales montes terminales sunt. Plerumque partes diversae montis Ural sunt ita appellatae.

Hanc Scitiam ... vero Asia — Descriptionem Scythiae quaedam redactio prior Gestorum a Reginone sumpsit: "Scythia, ut aiunt [Regino imaginem de Scythia fictam a Iustino transcripsit], in oriente extensa includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Ripheis, a tergo Asia et Ithasi flumine" (Regino, Chronicon, ed. Fr. Kurze, M.G.H., Script. rer. Germ., 1890, p. 131). Cf. Deér J., Szkítia leírása a Gesta Ungarorumban (= Descriptio Scythiae in Gestis Ungarorum), MKSz, N.S. 37 (1930) 251 sqq.

fluvio Ethewl, quem et Don vocari — Etül in lingua Hungarica est verbum Turicum ante occupationem patriae Hungarorum mutuatum. Verbum Turicum Atil, Edil significat 'flumen', sed nomen etiam proprium est. Flumina Volga, Kama, Bjelaja pariter Adil nominata erant. Incertum est,

quinam fluviorum Russiae meridianaæ saeculis IX–X nomine Hungariano Etil (Etel, Etül) nominatus sit. Gesta scribendo formam Hungaricam nominis fluvii, antiquam memoriam conservaverunt. Fluvios Etül et Tanaim eosdem esse Gesta non ad suum arbitrium scripserunt. Teste Dlugossio (Długosz) Polonico eodem tempore a Tartaris fluvius Don Edil nominatus est. Hoc nomen Tartaricum a tempore regni Tartarorum, id est a medio saeculo XIII existere potuit, itaque Gesta saeculo XIII orta res ipsas aetatis suae describunt (Melich J., Etel, MNy 22 [1926] 346 sq.; Kőrösi Csoma Archivum 2 [1926–1932] 238 sq.; Etym. Szótár I, coll. 170 sq., II, 94; Gombocz 182 sq.).

coloris plus nigri quam albi — Quaestum est hic, utrum Simon de Kéza colorem obscurum incolarum Scythiae tractans — sive prioribus, sive recentioribus auctoribus nitens — de Sabardis-Hungaris nuntium sumptum attulisset, an apud Simonem de Kéza memoria nigrorum Hungarorum, cognitorum ex aliis fontibus servata esset (Horváth, Hun-tört. 462). Ut alii viri docti opinantur, haec adnotatio non a Simone de Kéza, sed e Gestis veteribus orta est, neque color cutis Hungaros nigros iam pridem sine vestigiis e conspectu elapsos significat, sed originem ex eo Cham habere dicit, ex quo scriptores theoretici medii aevi plerumque populos Africae et Asiae, id est “plus nigros quam albos” ortos esse putant (Kristó 1970, 115; v. etiam Mályusz 1966, 719).

Bostardiam — Bascardia terra est Baskirorum in regione inter fluvios Volga, Kama, Ural et Bjelaja sita. Iulianus, monachus ordini Sancti Dominici ascriptus in hac regione, quae secundum relationem eius Magna Hungaria, id est ‘prima, vera Hungaria’ est nominata, anno 1236 occurrerit Hungaris, qui in ea regione remanserant. Nomen bašyyr (bäs-[o]gur) significat: ‘quinq[ue] ogur, quinq[ue] stirpes’. Etiam fontes Arabici comprobant Baskiros Turcos nomen a Hungaris olim ibi habitantibus, incolis pristinis Baskiriae hereditate accepisse, qui postea cum Turcis confusi sunt et — sicut tot alii populi — prope sine vestigiis ex oculis abierunt. Fontes enim Arabici pari modo Hungaros et Baskiros nominant incolas hodiernae Hungariae atque Baskiriae (Pauler, Szent István pp. 241 sqq.; Németh pp. 299 sqq.). Nomen Bascardiae post iter Iuliani in litteris chronicis Hungaricis introductum est (Nagy G., Nagy Magyarország [= Magna Hungaria], Ethn. 22 [1911] 83 sq.; Gombocz, NyK. 45 [1919–1920] p. 148; Györffy p. 87; Györffy Gy., Napkelet felfedezése [= Oriens repertus], Bp. 1965, pp. 22. sqq.).

Dentiam et Magariam — Nomen apud Anonymum, qui exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII vixit, in forma Dentumoger scribitur (SRH I, 34 sq., 38 sq., 54), et significat 1) Hungaros habitantes ad orientem, 2) proavos Hungarorum, 3) patriam veterem Hungarorum. Fieri potest, ut prima pars nominis sit nomen fluvii Don. Ita significatio est: ‘Hungarus, qui ad Don (Tanaim) habitat’. Secundum autem aliam coniecturam, quoniam significatio vocabuli Turcici “den” est ‘firmus’, nomen populi dentü-magyar

(= dentü-Hungarus) idem est ac nomen Σάβαρτοι ἄσφαλοι, quod a Constantino Porphyrogenito ut nomen Hungarorum in oriente remanentium adnotatum est. Secundum aliam quandam conjecturam prima pars nominis dentümogyer ex lingua Alana interpretanda est, et significatio verbi est 'inter fluvios habitans Hungarus'. Fons Th., historia Hunnorum saeculi XIII nomen disiungit in nomina disiuncta duorum regnorum et territorium eorum cum Bascardia coniungens ad septemtriones ad regionem fluviorum Volga et Kama collocavit (Györffy pp. 55 sqq., 87 sqq.; Gaál L., Dentü-mogyer. MNy 53 [1957] 27 sqq.).

dividi centumque ... progenies eorundem — Describendo societatem gentilem Hungaricam saeculi XIII sicut tempore Hunnorum existentem eidemque speciem territorialem praebendo auctor magnitudinem Scythiae monstrare voluit. Cur numerus 108 descriptus sit, causam ignoramus. Secundum K. Tagányi (A honfoglaló magyar nemzetségek 108 számáról [= De numero 108 generum Hungaricorum patriam occupantium], Ethn. 34—35 [1923—1924] 129 sqq.) numerus 108 ita factus est, ut a Simone de Kéza, ab auctore historiae Hunnorum numerus Hungaricorum generum patriam occupantium prorsus centum factus esset, cui septem stirpes Hungaricae atque stirps Kabarorum septem stirpibus Hungaricis posterius adiuncta additae essent. L. Erdélyi (Ötven historicus, p. 9) quoque numerum 108 tempore Simonis de Kéza ortum esse dixit. Ad extremum Györffy quoque hanc sententiam habuit (Tanulm. p. 15) ita explicans: e numero gentium 180 hodie cognitarum detrahens numerum advenarum atque generum unam villam possidentium, quae ut videtur, origine genera iobagionum castri erant, approximative numerum 108 obtinemus. Denique numerus 108 non in memoria prisca conservatus est.

Iurianorum regnum — Adversus falsam opinionem saeculo XIX vulgaritatem, ex qua hoc vocabulum regionem in chronicis Nestoris Ugra aut Jugra memoratam, id est terram Ostiacensium atque Vogulorum significat, pro certo affirmari potest nomine illo "regnum Georgianorum", id est Georgiam Caucasiam appellari. Formae nominis Ioriani aut Iuriani pro forma Georgiani variationes linguae Latinae vulgaris in sermone litterisve populorum neolatinis linguis loquentium sunt. Saeculo XIII, cum regiones a Mongolis subactae memorarentur, de Georgia saepe mentio facta est (Gombocz 153 sq.).

Tarsiam — Nomen Tarsa, Tarsia cohaeret cum vocabulo Persico tarsā, cuius significatio est 'Christianus'. Religio Christiana in Asia Media et Orientali eventu optimo a Nestorianis Byzantio expulsis et se in Persia recipientibus propagata est. Anno 1265, cum Makika, patriarcha Bagdadensis, pinceps Christianorum Nestorianorum mortuus esset, Bagdadum cum Pechino (hodie Peking) compluribus conventibus Nestorianis coniunctum erat. Etiam regnum Ujgurorum in eis regnis erat, in quibus religio Nestoriana celeriter diffusa est. Medio aevo regnum Ujgurorum Tarsia nominabatur. In fontibus occidentalibus a medio saeculo XII Tarsia,

fabulosa regio Asiae saepe ut regnum trium magorum regumve Orientis memoratur, et in tabula orbis terrarum, quae exeunte saeculo XIV in lingua Catalanorum descripta est, in regione Turcestan depingitur. Cum Mongoli in terminis Europae apparuerunt, Dsingis chanus atque "Iohannes rex et presbyter" idem esse divulgabatur, item Tarsia et Tartaria, chanus autem Tartarorum "rex Tharsis" nominatus est (Gombocz 165 sq.).

Mangaliām — Eadem est ac Mongolia, ad quam saeculo XIII tota Europa sollicita se convertit. Nomen populi a Plano Carpini in forma "Mongali", in Historia Salomoniana in forma "Mangoli" scribitur (Gombocz 174 sq.).

gentem Corosminam — Corosmenia eadem regio est atque Chvârizzm, posterius regnum chanorum de Chiva. Nomen in occidente a tempore Herodoti cognitum est. Saeculo XIII praesertim una cum bellis pro Terra Sancta gestis saepe milites de Chvârizzm, Khorezm memorati sunt (Gombocz 159 sq.; J. Markwart, Ein arabischer Bericht über die arktischen [uralischen] Länder aus dem 10. Jahrhundert, Ung. Jahrb. 4 [1924] 266).

Ethiopiam, que minor India vocaretur — Vocabula cum geographicis vocabulis medii aevi congruunt. Etiam a Plano Carpini medio saeculo XIII inter provincias a Dsingis chano occupatas "India minor sive Ethiopia" memoratur. Nomen Aethiopiae ad Indiam delatum colore cutis fuscae incolarum amborum regnorum explicari potest (Gombocz 173 sq.).

gentem Kitanorum — Populus Kytanus (Khitanus) generis Tunguzensis 62 ineunte saeculo XII e patria Mandsurica-meridiana expulsus et ad orientem migrans, anno 1141 in regione a Samarkando ad septentriones sita, sultanum Seldsucorum devicit atque regnum Kara-Kitai condidit, quod a Sina (China) usque ad lacum Aral extensum est. Haec victoria causa fabulae "Iohannes rex et presbyter" facta est, secundum quam, ut Otho Frisingensis notavit (Chronicon, VII, 33), rex atque pontifex quidam Nestorianus nomine Iohannes reges Medorum et Persarum devicit et cum exercitu ingenti ad afflictam Terram Sanctam tuendam properat. Regnum Kara-Kitai anno 1218 a Dsingis chano deletum est (Gombocz 160 sq.).

gentem Alanorum — V. caput superius, sent. 55.

Togatha — In Gestis Simonis de Kéza (SRH I, 145) Togora scribitur. 63 Nomen, quod apud Ptolemaeum Ottorokorra, apud Orosium Ottorogorra, in tabula orbis terrarum Beati anno 776 Togorre scribitur, e litteris geographicis medii aevi, verisimiliter ex opere Orosii in Gesta transcriptum est. A Ptolemaeo Ottorokorra in Serica sita inter regionem septentrionallem-occidentalem Sinae et regionem meridionalem-orientalem Siberiae ut nomen montis, urbis et populi scribitur. Geographici posteriores hoc nomen "Otokorra" in Scythia posuerunt et ut nomen fluvii adnotaverunt, qui fluvius cum flumine Huangho identificatus est (G. Fehér, Beiträge zur Erklärung der auf Skythien bezüglichen geographischen Angaben der ungarischen Chroniken, Körösi Csoma-Archivum 1 [1921–1925] 40 sqq.).

Hircaniam — Mare Hyrcanum erat nomen Caspii maris et ita Hyrcania regio circumiacens dicitur (Kuun, I, p. 42).

⁵ Iohannes de Thurocz₅

illac reperietur, existere — Sequens pars Gestorum a Th. omittitur: “propter quod ipsi Scythe nulli imperio, nec etiam Macedonico aliquo tempore sunt subiecti. Et pro tanto vocamus eos Demptos, id est exemptos ab omni potestate. Dicimus etiam Dentos a dentositate, quia sicut dentes omnia corrodunt et triturant, ita ipsi omnes alias nationes triturabant. Unde Romani eos vocabant flagellum dei. Sola tamen dicta Scythia in quibusdam locis satis lata esse dicitur. Nemoribus, silvis, herbis venustata, diversique generis bestiis dives et referta” (SRH I, 254). Ratio scribendi eius eo explicari potest, quod in capite (10.) compluribus verbis Scythes invictos iam exposuit et nominis originem rationemque iocose explicare ei displicuit, quod tamen Anonymum adhuc delectabat.

Bessos — Bisseni circa annum 894 Volga et Tanaidem transierunt, et Hungaros ex Etelkuzu, id est e campo patenti inter fluvios Tanaidem et Histrum expulserunt. Secunda autem parte saeculi XI Torci (Uzi aut Cumani nigri) Bissenos porro ad orientem meridiemve pepulerunt, qui partim in Hungariam migraverunt, partim in imperio Byzantio domicilium collocaverunt. Pars maior eorum circa annum 1122 in pugna ad Berrhoeam (h. Veria) cladem magnam a Byzantio accepit (Györffy, Besenyők, pp. 4 sq.; Györffy Gy., A besenyők európai honfoglalásának kérdéséhez [= Ad quaestionem, quo modo Bisseni in Europa patriam occupaverint], TSz 14 [1971] 281 sqq.; Makk F., Megjegyzések II. István történetéhez [= Adnotations ad historiam Stephani II.], in Horváth—Székely pp. 253 sqq.).

Comanos albos — Cumani albi populus Kipchak nominatus est. Nomen Cumanorum in lingua omnium paene populorum significat: ‘luridus, pallidus, sufflavus, clarus’ (v. caput (49.), sent. 237). Cumani anno 1055 ad finem Russicum pervenerunt, annis 1070 autem dicionem in regionem a Borysthene ad occasum sitam protulerunt. Ab exeunte saeculo XI usque ad incursionem Mongolorum regionem totam, quae a Volga ad Histrum extenditur, sub dicionem redegerunt (Kossányi B., Az úzok és kománok történetéhez a XI—XII. században [= Analecta ad historiam Uzorum et Cumanorum saeculis XI—XII], Száz. 57—58 [1923—1924] 520 sqq., 527, 534; Györffy pp. 90 sq.; Idem, A kún és komán népnév eredetének kérdéséhez [= Ad quaestionem originis nominum populorum Cunorum et Cumanorum], Antiquitas Hungarica 2 [1948] 161 sq.). Györffy (pp. 89 sqq.) et Gerics (p. 71) Bissenos atque Cumanos albos ut vicinos populos Scythiae memoratos esse pro arguento afferunt, ut Gesta vetera medio saeculo XI — circa annum 1060, aut paullo post annum 1060 — orta esse comprobent. Quoniam Bisseni in Hungaria etiam saeculo XII noti fuerunt atque Siciliensis Idrīsī, geographus Arabicus rebus ex Europa cognitis saeculo medio XII adnotavit nomen Q.mānija al-Bайдā’ (Cumania Alba) (Györffy op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] 159), Bissenos et Cumanos albos una commemorare etiam saeculo XII possibile erat. Novissime Gestis veteribus ad tempora Colomani positis Gy. Györffy (A magyar egyházszerzés kezdeteiről újabb forráskritikai vizsgálatok alapján [= De primordiis organ-

nisationis Hungaricae ecclesiae secundum quaestiones adhibitas de censura fontium novissimas], II. Oszt. Közl. 18 [1969] 224, 130 adnot.) ortum Gestorum veterum ad tempora Idrīsī proprius admovit.

Susdaliam — Andrej Jurjevič regnante (1157–1174) Susdalia omnibus copiis florere coepit, aetas eius glorioissima autem Magno Vsevolod regnum gubernante (1177–1212) erat (История СССР. Первая серия, I., Москва 1966, pp. 617 sq.). Nomen igitur in Gestis saeculi XI nondum reperiri potuit; ex Anonymo cognitum est et in historia saeculi XIII Hunnorum legitur (Domanovszky S., *Anonymus és a II. Géza korabeli Gesta [= Anonymus et Gesta temporis Geysae II.]*, Száz. 67 [1933] 51 sq.; Györffy pp. 88 sqq.).

cernere minime posse — Regiones in capite enumeratae — Susdalia, Alania, Georgia, terra Corosmina, terra Kytanorum, Tarsia, India Minor, Mangalia — aut iuxta, aut prope septemtrionalem viam caravanarum, ducentem ex Europa in aulam magni chani Mongolorum saeculis XIII—XIV sitae erant. Stationes maiores huius viae erant: Pontus Euxinus, Chersonesus Taurica, Maeotis, Tanais, Volga, terra Alanorum, Chvârizm, vallis Taras, fluvius Chu, Irtis. Hac via procedebant etiam Plano Carpini (1246), Rubruquis (1253–4), Marco Polo (1274–5). Saeculo XIII Europaei haud alias partes Asiae Mediae, nisi regiones iuxta viam septemtrionalem sitas cognitas habebant. Totam terram a his regionibus ad septemtrionem extensam Europaei sub nomine communi Scythia complexi sunt (Gombocz 176 sqq. De progressione scientiarum geographicarum post descriptiones publicatas a peregrinantibus v. Ligeti L., Pordenonei Odorici budapesti kézirata [= Autographum Budapestiense Odorici de Pordenone], MNy 32 [1936] 161 sq.).

in montibus huius deserti — Hic Th. vocabula sequentia Gestorum omisit: “cristallus invenitur”. Sine dubio propterea, quod in capite (9.) de hac re secundum Solinum copiose disserit.

kerecheth — Vocabulum kerecheth a Russico vocabulo krečetъ ducitur, quod significat: ‘falco venaticus’ (*Falco gyrfalco*). Haec avis in montibus Ural indigena probabiliter iam saeculis XI—XII ad venatum instructa in aulas ducum Russicorum delata est, unde in Hungariam per mercatores Russicos atque per apparatus aulicos ducissarum Russicarum deferri potuit. Postquam magnus princeps Moscoviensis ad finem saeculi XV regionem Ural in potestatem suam redigit, et Jugriam occupare incepit, etiam in fontibus occidentalibus saepe de falcone atque de venatione cum falconibus principum legere possumus. *Falco* lingua Germanica legisfalk, legerfalk, gerfalk dicitur. *Falco venaticus* Norvegiensis, Islandensis, Grolandicus in aulas principum Europae, qui linguis Germanica aut neolatina locuti sunt, saeculis XI—XII a mercatoribus Scandinavicis importatus est, et ab eisdem etiam nomen Scandinavianum avis divulgatum est (Gombocz 184 sq.; Gombocz 1938, pp. 43 sq.). Ut conici potest e facto, quod eius nomen utriusque originis — Germanicae et Russicae — in linguam Hungaricam

delapsum est, haec avis rapax venatica duabus viis apud Hungaros nota facta est.

- 61—63 *Preterea Sciticam ... generare posuerunt* — In capite Th. — secundum fontem suum, Gesta — imaginem patriae veteris Scythicae coloribus horrendis atque adversis depictam profert. Ita Scythia est patria serpentum diversorum, ranarum suum instar, basiliscorum, animalium venenum spirantium, unicornium, ubi invia desertaque loca sunt, silvae vastae inveniuntur, caelum nimium grave, montes nivosi nunquam luce solis illustrantur. Itidem male existimat de incolis Scythiae, quorum animi inanes, ipsi libidinosi, desidiosi sunt, rapinis delectantur, cutem magis nigram, quam albam habent. Haec imago adhuc ab auctore Gestorum veterum concepta est, qui propter paganitatem et ferocitatem populi consulto Hungaros ex hac origine ortos esse dixit, nam hoc convenit scriptori Gestorum veterum, qui totus imbutus fide ecclesiastica erat (Mályusz E., Haza és nemzet a magyarországi feudalizmus első századaiban [= Patria et natio primis saeculis feudalismi in Hungaria], TSz 6 [1963] 5; sententiam A. Bartha v. ibidem 56; Mályusz 1966, 718 sqq. Quod imago Scythiae in Gestis veteribus descripta a Regino libera sit, v. Kristó 1970 FK, 113 sqq.).

⟨8.⟩

In capite cognitiones geographicae innitentes partim auctoribus mediis aevi, partim — specie — auctoribus aetatis antiquae compilantur, ut insolita magnitudo Scythiae demonstretur.

- 64 *Cum Scitia ... in Europa ponit* — “Scythia ... olim ingens fuit, nam ab oriente India ... usque ad Germaniae fines porrigebatur. Postea vero minor effecta, a dextra orientis parte, qua oceanus Sericus tenditur usque ad mare Caspium, quod est ad occasum” (Isid., Etym. 14, 3, 31). “Prima Europae regio Scythia inferior, quae a Maeotidis paludibus incipiens ...usque ad Germaniam porrigitur” (ibidem 14, 4, 3.).
- 66 *Enimvero Scitia ... illius undas auget* — P. Mela: “Tanais a septentrione ad meridiem vergens in medium fere Maeotidam defluit” (I, 1.); “Europa terminos habet ab oriente Tanain et Maeotida et Pontum” (I, 3.); “Asiae in nostrum mare Tanainque vergentis, quem dixi, finis ac situs est ac per eundem amnem in Maeotida remeantibus ad dextram Europae est, modo sinistro latere in navigantium adposita ac Rhipeis montibus proxima et hoc enim pertinent” (II, 1.). Dionysius Periegetes: “pergrandem silvam ... cuius per medium tractus Tanais intra propinquam paludem dilabitur. Ipse est enim fluvius ille, qui etiam ab Asia Europam disiungit, cum ad occidentem Europam relinquat et ad orientem Asiam. Ex eo fontes complures et rivi scatent, qui per Caucasum dilabentes intra illius saxa et convalles immurmunt. Sed qui amplior est per Scythiam diffusus”.

Dionisius — Dionysius Periegetes.

67

Paulus Orosius ... habere dicunt — “Mons Caucasus inter Colchos ... et inter Albanos, qui sunt ad mare Caspium, primum attollitur. Cuius quidem usque in ultimum orientem unum videtur iugum, sed multa sunt nomina ... Caucasus inter Colchos et Albanos, ubi et portas habet, mons Caucasus dicitur; ... inter Chunos [varie scripta in codicibus: hunos, hunnos] Scythas et Gandaridas mons Caucasus ... Igitur a monte Imauo hoc est ab imo Caucaso et dextra orientis parte qua oceanus Sericus tenditur, usque ad promunturium Boreum et flumen Boreum, inde tenus Scythico mari quod est a septentrione, usque ad mare Caspium quod est ab occasu, et usque ad extutum Caucasi iugum quod est ad meridiem, Hyrcanorum et Scytharum gentes sunt XLII” (I, 2, § 36—47.).

Scitiam tantummodo ... Caucasum collocant — Imaus, Himalaya Indiae antiquae apud Orosium atque Th., qui eum sequitur, cum Caucaso confunditur. Sed confinium “Scythiae intra et extra Imum” non solum pars occidentalis montis porrigentis per finem septentrionalem Indiae, sed etiam montes Asiae Mediae, qui lingua Turcica Mustagh, lingua Sinensi autem Tien-San nominantur, putandi sunt.

ipse Dionisius ... esse ponit — Dionysius Periegetes: “Tum vero Vni ac deinde Caspii ipsi et Albani, quorum omnium mores feroce sunt a natura bellique aviditate perciti.”

Caspis — Secundum Herodotum (3, 92) incolae sunt montis Caspii, id est regionis montuosae a Caucaso ad meridiem circa mare Caspium porrectae.

Albanis — Populus a Caucaso ad meridiem inter mare Caspium atque fluvium Araxem habitans est.

Ptholemeus — Claudius Ptolemaeus p. Chr. n. saeculo II Alexandriæ ⁶⁸ astrologus et geographus erat. Opus eius, quod introductio geographicæ est, continens libros octo, unum e maxime lectis enchyridiis medii aevi erat, et post annum 1475 iterum ac saepius editum est.

Strabo — Scriptor geographicus Graecus (obiit anno 19 p. Chr. n.). Opus eius, Geographica, quod non solum topographiam, sed etiam consuetudines ac mores populorum continet, primis decenniis saeculi XV in Italia cognitum factum est, translatum autem in linguam Latinam a Guarino et Gregorio in Civitate Castelli (h. Città di Castello) anno 1471 editum est (Pauly—Wissowa, ser. II, tom. 4, 154; Voigt, II, p. 189).

Plinius — C. Plinius Secundus Maior (obiit anno 79 p. Chr. n.). Opus eius, summa disciplinarum omnium, Naturalis historiae libri XXXVII, typis excusum primum anno 1476 Parmae editum est (Pauly—Wissowa, XXI/1, 435).

Rha — Hodie flumen Volga nominatur.

Seres populos — Regio Serica pars media hodiernæ Sinae putabatur, ubi populus Serum habitabat.

Ptholemeus ... populos locant — Auctores enumeratos Th. ipse non cognitos habuit, sed ex Aenea Silvio comperit, quid ii existimavissent:

“innumerabiles iacent gentes, quas ab occidente Tanais claudit, ab oriente (ut Ptolemaeo placet) Ras fluvius, ut Straboni, Plinio et multis aliis longissimus Caspii maris sinus, omnes, qui hanc terram incolunt, Scytharum nomine continentur” (Asia cap. 27, Opera omn. p. 305). Coniectis textibus duobus videtur fons a Th. non accurate reddi, quod ex tribus auctoribus tantum ab uno fluvius Ras ut terminus nominatur: “Seres … ad orientem aestivum ultimi reperiuntur, quibus ad ortum terram incognitam Ptolemaeus et alii … posuere, … Plinius Veronensis … Strabo …” (Aeneas Silvius, Asia cap. 9, Opera omn. p. 287).

Iulus Solinus — C. Iulius Solinus saeculo III p. Chr. n. vixit. Opus eius secundum Plinium et P. Melam compositum atque primum sine nota anni editum est. Huic editioni inscribitur: Memorabilium collectanea. Mommsen octo editiones alias ab anno 1473 usque ad annum 1500 proditas novit (Solinus pp. LVI sq.), Hain autem (14 873—14 886) ab anno 1480 editionem 14 notitiam habet.

quos Iulus Solinus … quam vestiuntur — Quamquam Th. ipse, sicut e capite insequenti eminet, opus Solini cognitum habuit, hic tamen partem de populo Serum tractantem non inde transcripsit (50, 2—3), sed e narratione Aeneae Silvii: “ad Seres demum perveniri … hos aquarum aspergine inundatis frondibus arborum vellera liquoris adminiculo depecctere et lanuginis tenerum subtilitate humorem ad obsequium domare asserit et hoc esse illud sericum in usum publicum damnosae vanitatis admissum. Ex quo potius est ostendere corpora quam vestire, quod primo foeminis, postea etiam viris luxuria persuasit ambitio” (Asia cap. 9, Opera omn. p. 287).

69 *Candesia* — Gens Cadusiorum ad bellum promta erat (Diod. II, 33), in montibus a litora occidenti Caspii maris assurgentibus, a fluvio Araxe ad meridiem habitans (cf. Kuun, II, p. 122).

Mardia — Apud Herodotum (1, 125) gens Persica Mardorum in Media circa mare Caspium est (cf. Kuun, II, p. 122).

Hircania — Regio in ora meridiana maris Caspii est, quod olim mare Hyrcanum nominatum erat, in finibus septemtrionalibus hodiernae Persiae. V. adhuc caput superius, sent. 63.

Apia — Recte probabiliter Aria, fertilis regio montana a Bactriana ad meridiem in Persia sita (cf. Kuun, II, p. 122).

Decerbia — Derbiti ab Aenea Silvio (Opera omn. p. 294) una cum Hyrcanis in ora orientali maris Caspii memorati sub hoc nomine existere possunt. Secundum P. Melam (III, 5) atque Plinium (VI, 48) nominantur Derbices (cf. Pauly—Wissowa, V, 237 sq.). Nomen Decerbia, ut conici potest, a Th. per errorem scriptum est.

Bactria — Sic est nominata una ex regionibus maxime ad septemtriones sitis imperii Persarum, quae in valle Amu Darja porrecta est.

Scitie Asiatice … contermine sunt — Textus Th. secundum Dionysium Periegetem atque Aeneam Silvium conformatus esse videtur. Dionysius: “Cadesii vero … vicinos habent Mardos et deinde Hyrcanos et Appos …

Dercebrios quoque et Bactras". — Aeneas Silvius: "Mardi ... Cadusii" (Asia cap. 32, Opera omn. p. 314); „Bactria (Bactriana) ... Aria ... Hyrcania" (Asia cap. 16, 17, Opera omn. p. 293).

Ysidorus ... nociora ponit — "Prima Europae regio Scythia inferior, quae a Maeotidis paludibus incipiens inter Danubium et oceanum septentrionalem usque ad Germaniam porrigitur, quae terra generaliter propter barbaras gentes, quibus inhabitatur, Barbaria dicitur. Huius pars prima Alania est, quae ad Maeotidas paludes pertingit. Post hanc Dacia ubi et Gothia, deinde Germania" (Etym. XIV, 4, 3). — "Post Moesiam autem Pannonia est ... Inde Noricus ager frigidus ... Post quae Rheticus ferax frugibus" (Etym. XIV, 4, 5). — "Pannonia ... coniugitur autem cum Norico et Rhetia" (Etym. XIV, 4, 16). — "Thraciae ... regionem olim ... Scythaem ... incoluerunt" (Etym. XIV, 4, 6).

Traciam — Pars septemtrionalis paeninsulae Balcanicae est etiam Macedonia addita.

Alaniam — V. caput (6.), sent. 55.

Gotiam — Certe ora septemtrionalis Ponti Euxini intellegenda est.

Datiam — A saeculo II p. Chr. n. provincia Romana est, quae regionem Transylvaniae una cum regionibus ad orientem atque meridiem complectitur.

Retiam — Haec est provincia Romana, quae hodiernam Helvetiam orientalem, Tirol, Voralberg, partem Salisburgi et regionem Bavariae meridionalis complectebatur. Nomen Th. ad suum arbitrium indici nominum ab Isidoro accepto inseruit. De errore loqui non possumus, primum propterea, quod Isidorus Raetiam aperte ad Rhenum posuit (XIV, 4, 26). Quod a Th. pars Europae Occidentalis finibus Scythiae adiuncta est, consulto factum esse videtur, et eo explicari potest, quod famam et gloriam Scytharum augere voluit.

Hanc partem Scitie ... arbitratus est — "Scythia autem in orientem porrecta includitur ab uno latere Ponto, ab altero montibus Rhipaeis, a tergo Asia et Phasi flumine" (Trogus Pompeius, II, 1).

Phasi flumine — Hic est fluvius Phasis, hodiernus Rion, qui originem in Caucaso habet et ab oriente in Pontum Euxinum effunditur. Prius confinium Europae atque Asiae, posterius Asiae Minoris et Colchidis putabatur.

(9.)

Caput ex Solino, Pomponio Mela atque Aenea Silvio compilatum est.

Newros — Populus Neurorum Scythicus erat, qui secundum Herodotum (4, 17 et 105) a regione, ubi fluvius Borysthenes oritur, ad septemtrionem ab Agathyrsis autem ad occidentem vitam agebat.

Varias gentes ... homines immolare — Solinus: "Neuri ... (ae)statis

temporibus in lupos transfigurantur: deinde exacto spatio, quod huic sorti adtributum est, in pristinam faciem revertuntur. Populis istis deus Mars est: pro simulacris enses coluntur: homines victimas habent” (15, 2—3). — P. Mela: “Neuris statum singulis tempus est, quo si velint, in lupos iterumque in eos, qui fuere, mutentur. Mars omnium deus; ei pro simulacris enses et cinctoria dedicant hominesque pro victimis feriunt” (II, 1).

71 *Gelonios* — Gelonii erant secundum Herodotum (4, 108) populus Scythicus originis Graecae, qui apud Tanaidem habitabant.

His propinquos ... tegmina facere — Solinus: “Geloni ad hos proximant. De hostium cutibus et sibi indumenta faciunt et equis suis tegmina” (15, 3). — P. Mela: “Geloni hostium cutibus equos seque velant; illos reliqui corporis, se capitum” (II, 1).

Agatirsoſ — Populus Agathyrsorum Thracicus, qui secundum Herodotum (4, 48) in regione ab Histro ad septemtrionem usque ad flumen Marusium porrecta vitam agebat. Nomen est probabiliter originis Scythicae. Temporibus Romanis populus sua lingua Δάχοι, Daci appellatus appetet. Apud Vergilium cum attributo picti (Aeneis 4, 146) nominantur, quod significat corpora eorum notis colore caeruleo compuncta fuisse (Pauly—Wissowa, I, 764 sq.).

Iuxta hos ... colore uti — Solinus: “Gelonis Agathyrsi conlimitantur, caeruleo picti, fucatis in caerulum crinibus, nec hoc sine differentia: nam quanto quis anteit, tanto propensiore nota tinguitur, ut sit indicium humilitatis minus pingi” (15, 3).

Antropophagos — Secundum Herodotum (4, 106) Ἀνδροφάγοι nominantur populus incultus moribus, vagus, qui a Scythia agriculturae deditis ad septemtriones, praeter flumen Borysthenem (Dneper), ultra loca deserta habitat, veste Scythica indutus est, sed lingua sua loquitur. Populus Mordvinus, Muroma et Mérja Fenno-Ugricorum atque Antropophagi idem esse dici possunt, qui adhuc tempore Taciti carne cruda vescuntur, et necessitate extrema urgente extra ordinem etiam carne humana vesci cogebantur (Pauly—Wissowa, I, 2168 sq.).

Eſedones — Eſedones aut Issedones populus Orientis Extremi est, qui in regione Scythiae extra Imaum et in Serica aequaliter se diffudit. Civitates quaedam nomine Issedon in utrisque regnis pariter in litteris antiquis notaे sunt.

Thybin — In fonte Th. apud Solinum (15, 4 et 50, 2) Tabis legitur, sic et apud P. Melam (III, 7) et Plinium (Nat. hist. 6, 53). In finibus extremis Asiae esse putabatur, pone loca deserta post Antropophagos in immensum spatium diffusa.

Tandem Antropophagos ... absque homine esse — Solinus: “Post Anthro-
pophagi, quibus execrandi cibi sunt humana viscera: quem morem impiae gentis adiacentium terrarum prodit tristissima solitudo, quas ob nefarium ritum finitimae nationes metu profugae reliquerunt. Ea causa est, ut usque ad mare, quod Tabin vocant, per longitudinem eius orae, quae aestivo

orienti obiacet, sine homine terra sit et immensa deserta, quoad perveniat ad Seras" (15, 4). "Inter Anthropophagos in Asiatica parte numerantur Essedones, qui et ipsi nefandis funestantur inter se cibis" (15, 13).

Eosdem etiam ... pro poculis deferre — Solinus: "Essedonum mos est parentum funera prosequi cantibus et proximorum corrogatis coetibus corpora ipsa dentibus laniare ac pecudum mixta carnibus dapes facere: capitum etiam ossa auro incincta in poculorum tradere ministerium" (15, 13).

Chalibes — Populus in regione austro-orientali Ponti Euxini ad fines Armeniae habitans, qui praecipue piscatorio artificio quaestum facit et metalla exercet.

Dacos — Daci in numero gentium Thracicarum referebantur, principio ab Histro ad meridiem habitabant. Cupiditate bellandi Romanos saepe sollicitabant, dum a Traiano potentia eorum infracta est (anno 107 p. Chr. n.). Th. nomen Dahae, quod ipse primum in textu Solini atque Aeneae Silvii (Asia cap. 30, Opera omn. p. 310) invenit, ad arbitrium suum in formam Daci, quae sibi melius nota erat, transformavit. Dahae a mari Caspio ad orientem, in regione ubi hodie est Turcestan, habitabant.

Chalibes ... nihil discrepare — Solinus: "Chalybes et Dahae in parte Asiatica Scythiae crudelitate ab inmanissimis nihil discrepant" (15, 5).

Scitotauros — De crudelitate incolarum paeninsulae Chersonesi Tauricae (hodie Krim) Herodotus copiose disserit (4, 99, 100, 104).

Scitotauros ... advenas cedere — P. Mela: "Tauri Iphigeniae et Orestis adventu maxime memorati immanes sunt moribus immanemque famam habent, solere pro victimis advenas caedere" (II, 1). Ex eo facto, quod Th. verba fontis, quae Orestem et Iphigeniam memorant, neglegit, coniectari potest fabulam ei ignotam fuisse.

Sacos — Secundum Herodotum (7, 64) a Persis gentes septentrionales peregrinantes vulgo Sacae nominatae sunt. Incolae regionum montuosarum desertarum ad cursum superiorem fluvii Iaxartis porrectarum — qui Sacae nominati sunt — Bactriam occupaverunt circa annum 165 a. Chr. n., mox iuxta Indum saeculo I p. Chr. n. regnum condiderunt.

Nomadas — Herodotus (4, 19) vagantes Scythes, viventes a fluvio Panticape ad orientem memorat, ad occasum autem usque ad flumen Borysthenem (hodie Dniper) secundum eundem (4, 18) Scytha, cultores agri ($\gamma\epsilon\omega\gamma\eta\sigma$) habitant (Pauly—Wissowa, XVIII/2, 827 sq.). Apud Plinium Nomades et Georgi iam ut nomina populorum memorantur, similiter in fontibus Th., apud Solinum (15, 14) atque P. Melam (2, 1 et 3, 5).

Sacos ... pecorum sequi — P. Mela: "Scytha sunt Androphagi et Sacae, distincti regione, quia feris scatet, inhabitabili. Vasta deinde iterum loca belluae infestant" (III, 7); "Vagi Nomades pecorum pabula sequuntur" (II, 1). — Solinus: "Nomades pabula secuntur" (15, 14).

agros colere — Solinus "Georgi in Europa siti agros exercent" (15, 14). — P. Mela: "Colunt Georgi exercentque agros" (II, 1).

Asiaces — Inter Dnester et Bug fluit fluvius Axiaces (Asiaces), ad ripam eius orientalem-meridionalem Asiaceae habitant adversus Dnester.

Asiaces ... aliena attingere — Solinus: “Asiatae perinde in Europa siti neque mirantur aliena neque sua diligunt” (15, 14). — P. Mela: “Axiacae furari quid sit ignorant ideoque nec sua custodiunt nec aliena contingunt” (II, 1).

Satharcos — Populus est in Chersoneso Taurica habitans, qui vicinus orientalis Taurorum in ora Maeotidis erat. Populus speluncas incolens, quem Th. — secundum fontem, P. Melam — cum Satarchis identificat, et arbitrio suo ad montes Riphaeos ponit, re vera populus Sartharum erat (Pauly-Wissowa, ser. II, tom. 2, 60).

Satharcos ... quid sit, ignorare — Solinus: “Satarchae usu auri argentique damnato in aeternum se a publica avaritia vindicarunt” (15, 15). — P. Mela: “Satarchae auri et argenti ... ignari” (II, 1).

pre assidua hyemis ... vestire ponunt — P. Mela: “ob saeva hyemis admodum assiduae demersis in humum sedibus specus aut suffossa habitant totum braccati corpus et nisi qua vident, etiam ora vestiti” (II, 1).

74 *Arimaspos* — Scilicet in Scythia septemtrionali-orientali memoratus populus fabulosus est, qui probabiliter idem est ac gens quaedam Uralo-Altaica habitans iuxta terminos Sinae. Secundum Herodotum (4, 27) nomen lingua Scythica ‘simplex’ significat. Haec opinio propter feritatem eorum divulgari potuit.

Arimaspos ... rigorem sempiternum — Solinus: “Arimaspi circa Gesclithron positi uniocula gens est. Ultra hos et Riphaeum iugum regio est assiduis obsessa nivibus: Pterophoron dicunt, quippe casus continuantium pruininarum quiddam ibi exprimit simile pinnarum. Damnata pars mundi et a rerum natura in nubem aeternae caliginis mersa ipsisque prorsus aquilonis conceptaculis rigidissima. Sola terrarum non novit vices temporum nec de caelo aliud accipit quam hiemem sempiternam”.

75 *Strabo Gnosius* — Incertum est, cur a fonte Th., Aenea Silvio Strabo Craeteus (Gnosius) nominatus sit, cum ille in Asia Minore ortus sit. Secundum verba Th., comparata ad verbum haud ambiguum Aeneae Silvii, arbitrari possumus Th. putavisse Strabonem et Gnosium duos auctores diversos fuisse.

Strabo ... putaverunt — Aeneas Silvius: “Strabo Gnosius australe pelagus propter intolerabilem aestum, boreale, quoniam frigore concretum esset, minime navigari posse putavit” (Asia cap. 2., Opera omn. p. 282). Ut ex textu intellegi potest, enuntiatio alterius nominis pelagi australis, id est maris Scythici a Th. addita est.

Plinius tamen Veronensis — Locus natalis Plinii Como est, sed quia ipse Catullum Veronensem conterraneum appellavit, secundum significationem eius ex amore patriae Veronensium etiam Plinius ipse Veronensis dictus est (Pauly-Wissowa, XXI/1, 272). Th. ex opere Aeneae Silvii aliquot versibus

superius de attributo Veronensi certior factus est. Pars, cuius mentio fit, est Naturalis historia II, 170.

Sweuorum — Nomen Suevum propria significazione gentem Germanicam significavit, et hoc modo ex eo hodiernum nomen Suevicum formatum est; latius autem, ita et apud Ptolemaeum, totam multitudinem gentium variarum significavit.

Metello Gallie proconsuli — Q. Caecilius Metellus Celer anno 62 a. Chr. n. proconsul Galliae Cisalpinae erat (Pauly—Wissowa, III, 1209).

Cornelii Nepotis — Primo saeculo a. Chr. n. Romanus rerum scriptor erat.

Plinius ... innavigabile fuisse — Th. descriptionem non Plinii, sed Aeneae Silvii accepit: "Plinius Nepotis testimonio utitur: qui Metello Celeri Galliae proconsuli donatos a rege Suevorum Indos astruit, qui ex India commercii causa navigantes tempestatibus essent in Germaniam arrepti ... quod accidere minime potuisset, si ut plerisque visum est, septentrionale pelagus innavigabile concretumque esset" (Asia cap. 2, Opera omn. p. 283).

in Asiatica Scitia ... decertare dicunt — Partem Th. ex opere Solini transcripsit: "In Asiatica Scythia terrae sunt locupletes, inhabitales tamen: nam cum auro et gemmis affluent, grypes tenent universa, alites ferocissimi et ultra omnem rabiem saevientes, quorum inmanitate obsistente advenis accessus rarus est: quippe visos discerpunt, velut geniti ad plectendam avaritiae temeritatem. Arimaspi cum his dimicant, ut intercipiant lapides, quorum non aspernabimur persequi qualitatem. Smaragdis hic locus patria est, quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophrastus dedit: nam licet sint et Aegyptii ... praecipuus est honos Scythicus ... Et cyaneus e Scythia est, optimus si caerulo coruscabit. ... Istic et crystallus, quem licet pars maior Europae et particula Asiae subministret, pretiosissimum tamen Scythia edit" (15, 22—29).

Teofrastus — Scriptor Graecus philosophiae, discipulus Aristotelis, fundator scientiae herbarum arborumque erat (obiit anno 287 a. Chr. n. Athenis).

Scite quanto ... stabilire traduntur — Partem Th. ex opere P. Melae transcripsit: "Interius habitantium ritus asperior et incultior regio est. Bella caedesque amant: mosque est bellantibus, cruentem eius quem primum interemerunt, ipsis e vulneribus eibere. Ut quisque plures interemerit, ita apud eos habetur eximius. Caeterum expertem esse caedis, inter opprobria vel maximum est. Ne foedera quidem incruenta sunt; sauciant se qui paciscuntur, exemptumque sanguinem ubi permiscuere, degustant. Id putant mansurae fidei pignus certissimum. Inter epulas quot quisque interficerit referre, laetissima et frequentissima mentio: binisque poculis, qui plurimos retulere, perpotant. Is inter iocantes honos praecipuus est" (II, 1).

Thanais ... ingreditur Meotidas — P. Mela: "Tanais ex Rhippaeo monte deiectus adeo praeeceps ruit, ut cum vicina flumina tum Maeotis et Bosporus

tum Ponti aliqua brumali rigore durentur, solus aestus hiememque iuxta ferens, idem semper et sui similis incitatusque decurrat” (I, 19).

80 *Boristenes* — Hodiernus fluvius Dneper est.

flumen, quod ... ossa, nutrire — Solinus: “Apud Neuros nascitur Borysthenes flumen, in quo pisces egregii saporis et quibus ossa nulla sunt nec aliud quam cartilaginiæ tenerimae” (15, 1).

Hyppanem — Hypanis, hodiernus fluvius Bug est.

Hyppanem ... principem denominatum — Solinus: “Hypanis etiam ibi nobilissimus fluvius” (52, 7); “Hypanis ... Scythicorum amnium princeps, purus et haustu saluberrimus” (14, 1).

Pantecapem — Fluvius Panticapes, qui secundum Plinium (Nat. hist. IV, 83) “Nomadas et Georgos disternat”, cum bracchio ad meridiem maxime vergenti fluvii Borysthenis identificandus putatur (Pauly—Wissowa, XVIII/2, 828).

Gerrum — Gerrhus fluvius Russiae Meridianæ est in regione deserta Nogay inter Borysthenem et Maeotidem. Cum Moločna voda identificari potest, quae Miletopolim praeterfluit (Pauly—Wissowa, VII, 1273 sq.).

Phasim — V. caput (8.), sent. 69.

Iaxartem — Fluvius Asiae Mediae est, qui in monte Imao Scythico (hodie Tien-San) oritur et in lacum Aral effunditur.

Pantecapem ... supra dicti autores — Ex quattuor fluviosis Th. tantum nomen Phasidis apud Solinum invenire potuit. Indicem nominum probabili-
ter secundum P. Melam compositum: “Panticapes, Nomadas Georgosque disternans” (II, 1); “duo flumina, Gerros et Hypacaris” (II, 1); “hic Phasis erupit” (I, 19); “Iaxartes et Oxos per deserta Scythiae ... exeunt” (III, 5).

⟨10.⟩

Caput imprimis ex operibus Aeneae Silvii, Orosii et Pomponii Melae compilatum est.

81 *Summus enim ... orbem apperuisset* — “ignota esset terrarum maxima pars, nisi Romae principatus et Alexandri potentia orbem apperuisset” (Asia cap. 10, Opera omn. p. 287).

82 *Darius ... submotus est* — Rex Persarum regnavit inter annos 521—485 a. Chr. n. De bello contra Scythes, in quo exercitus eius multa passus est, cum Scytha concussum defugientes agros suos vastavissent, Herodotus (4, 120 sq.) scribit.

Darius ... bellum intulit — Orosius: “Darius ... regnum adeptus est, ... qui ... Antyro regi Scytharum ... bellum intulit” (2, 8, § 2—4).

avem, murem ... munere recepit — Herodotus: “Id reges Scytharum intelligentes mittunt ad eum [Darium] cum muneribus caduceatorem ave,

mure, rana et quinque sagittis” (4, 131. Editio Veneta anno 1494, p. LXII. Latine reddidit Laurentius Valla).

turpi fuga e medio submotus est — Aeneas Silvius: “Darium regem Persarum ab his turpi fuga submotum” (Asia cap. 28, Opera omn. p. 306).

Thomiris ... exercitu delevit — Cyrus maior rex Persarum secundum 83 Herodotum (1, 205, 214) in bello contra reginam Massagetarum, quae Tomyris vocatur, trans Iaxartem habitantium anno 529 a. Chr. n. mortuus est.

Thomiris ... sufficienter bibe — Orosius: “Thamyris ... ducenta milia Persarum cum ipso rege delevit ... regina caput Cyri amputari atque in utrem humano sanguine oppletum coici iubet non muliebriter increpitans: Satia te, inquit, sanguine quem sitisti” (2, 7, § 6); Aeneas Silvius: “Cyrum cum omni exercitu a regina eorum trucidatum” (Asia cap. 28, Opera omn. p. 306); textus Iustini (I, 8) discrepat cum Th.

Sophirianum — Orosius uno loco (3, 11, § 1) anno 332 a. Chr. n. bellum contra Scythes a Zopyrione, praefecto Ponti Asiae Minoris gestum esse scribit, alio loco autem (3, 18, § 2–4), post Persepolim captam (anno 330 a. Chr. n.), hoc bellum memorat.

Sophirianum ... morte trucidarunt — Orosius: “bellum ... Zopyrionis praefecti in Scythia gerebatur. ... Zopyrion vero praefectus Ponti ... Scythis bellum inferre ausus et usque ad internacionem caesus funditus cum omnibus copiis suis abrasus est” (3, 18, § 1–4); Aeneas Silvius: “Alexandri magni ducem Sophiriona pari ratione cum copiis universis deletum” (Asia cap. 28, Opera omn. p. 306).

Vesoimque — Orosius (1, 14, § 1–3) ad annum a. Chr. n. 274 bellum inter Scythes et regem Vesozem gestum narrat.

Vesoimque ... capescere coegerunt — Orosius: “Vesozes rex Aegypti ... Vesozen territum refugere in regnum cogunt, destitutum vero exercitum invadunt omnemque belli apparatum capessunt” (1, 14, § 1–3); Aeneas Silvius: “Vesoim regem Aegyptiorum exercitu cum omni apparatu belli relicto repulsum et fugatum” (Asia cap. 28, Opera omn. p. 306).

Arma quoque ... quam senserunt — Aeneas Silvius: “Romanorum arma audierint magis quam senserint” (ibidem).

Scite primi ... illius tulerunt census — Aeneas Silvius: “[Scytha] Asiam 84 domuerint vectigalemque fecerint ac per mille et quingentos annos tenuerint usque ad Ninum regem Assyrorum” (ibidem).

Parthi — Populus est in parte septentrionali-orientali Persiae habitans, bellicosus, equo utens, qui saeculis II et I a. Chr. n. cum imperio Romano fines propaganti pugnas atroces pugnavit.

Bactriani — V. caput (8.), sent. 69.

Parthi enim ... sunt soboles — Aeneas Silvius: “Parthos et Bactrianos eorum sobolem esse” (Asia cap. 28, Opera omn. p. 306).

Amazones ... Scitia peperit — Mythicae, bellicosae feminae sunt, quarum 85 de adventu in Scythiam Herodotus mentionem facit (4, 110–117). Notiones

ad populum annexae gradui matriarchali societatis humanae respondent. In Iliade Priamus iuvenis sicut socius Phrygum contra Amazones producitur, in poematibus post Homerum autem Penthesileia Thracica regina Amazonum, filia Aris foedere cum Troianis sociata facta est (Pauly—Wissowa, I, 1754 sq.). Guido de Columna copiose narrat, quo modo Amazones Troiae se gesserint, et quo modo regina earum ceciderit (lib. 28. Griffin pp. 211 sq.). — Trogus Pompeius: “Pentesilea regno potita est, cuius Troiano bello inter fortissimos viros, quam auxilium adversus Graecos ferret, magna virtutis documenta exstitere; ... regina ... brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit” (II, 4).

Alanos — Ii Alani, qui ab Hunnis saeculo IV se non in Caucasum receperunt, partim ad Gothos occidentales se adiunixerunt, partim autem anno 409 una cum Suevis et Vandalis in paeninsulam Pyrenaeam invaserunt, ubi prius in Catalania, mox in parte occidentali-meridionali paeninsulæ concederunt, sed anno 429 cum Vandalis in Africam migraverunt.

Hi sunt, ut ... converterunt in predam — Alaricus rex Gothorum anno 410 Romam occupavit. Rem, quam Th. refert, Martinus Polonus (p. 453) ad nomen Alarici annexit: “rex Gothorum ex Affrica veniens Ytalam intravit, Romam cepit igne ferroque vastavit dato prius precepto illos, qui in sacris locis precipue in basilicis apostolorum Petri et Pauli se reciperent, securos esse”.

86 *Cathalani* — Incolae Cataloniae, partis septentrionalis-orientalis hodiernae Hispaniae sunt. Nomen eorum cum interpretatione etymologica, quae apud Aeneam Silvium legitur, non coniungendum est.

Unde hi ... Cathalani vocantur — Aeneas Silvius: “Fuerunt et qui Gothos ex Asiatica Scythia erupisse putarunt, quorum est pervulgatum nomen praesumptio, hinc oritur quod Alani inter eos militavere et usque Hispaniam transiere ibique sedes obtinuere, in quibus hodie Catelani tanquam Gothi, Alani vocantur” (Asia cap. 29, Opera omn. p. 308).

87 *Wandali* — Germani orientales sunt, qui ad occasum progredientes anno 406 Rhenum transierunt. E paeninsula Pyrenaea, ubi memoria eorum nomine Andalusia tenetur, anno 429 in Africam migraverunt. Hic anno 439 Carthaginem obsesserunt et regnum sui iuris condiderunt. Doctrinam Arii sequentes ecclesiam Romanam oppresserunt, anno 455 etiam Romam exscoliaverunt.

Wandali ... ecclesiam persecuti sunt — Antoninus: “Wandali ... moverunt magnam persecutionem contra ecclesiam in Affrica” (II, 11, 10).

88 *frater Martinus* — Martinus de Opavia ordini Sancti Dominici ascriptus obiit anno 1278. Etiam Martinus Polonus appellatus est, quia patria eius, Bohemia saeculo XIII ad provinciam Polonicam ordinis Sancti Dominici attinebat. Compendium eius historiae universalis, quod a papa Clemente IV. impulsus composuit, quamvis nullo iudicio adhibito scriptum sit, medio aevo opus dilectum acceptumque ab omnibus erat, quia a Christo nato usque ad annum 1277 dominationem paparum, usque ad annum 1270 autem

imperatorum servato temporis ordine, qui facile perspici potest, tractavit (Wattenbach II⁶, pp. 467 sq.).

evidenti ... documento — In actione iudicali saeculo XV haec significatio pervulgata erat, ex qua litigatores petitionem aut sententiam evidenti documento confirmare debebant. (Exempli causa: Zs. O., II, num. 1749.)

Wandali autem ... sedem sibi fecere — Martinus Polonus: “Gens Wandalorum ab Hyspaniis ad Africam transeunt et vastant ibique catholicam fidem Arriana impietate subvertunt” (p. 453); “rex Wandalorum ex Hyspania in Africam veniens pene totam ferro, flammis et rapinis crudelissime devastavit” (p. 454); “Wandalorum rex in Africa catholicas ecclesias claudit” (p. 455). ⁸⁹

Thurci — Th. eos Turcos Osmanos esse putat, hoc autem nomen latissimam notionem habet, nam etiam Hungari a scriptoribus Byzantinis Turci nominabantur.

Thewcro rege — Figuram Teucri fabulae in pluribus formis servabant. Ille est primus rex Troiae, qui autochthon erat, ergo eponymos Troianorum, secundum fabulam aliam e Creta Troiam migravit, in Iliade autem frater Aiacis Graeci, filius Telamonis Teucer nominatur (Pauly—Wissowa, ser. II, tom. 5, 1122 sq.). Dares Phrygius quoque (c. 14.) Teucrum Aiacis fratrem, Guido de Columna autem unum ex nobilibus eundem Aiacem comitantibus fuisse scribit (Griffin p. 88.). Quoniam Isidorus (Etym. IX, 2, 111) ceterum Iustum (44, 3, 2) repetens (cf. H. Philipp, Die historisch-geographischen Quellen in den Etymologiae des Isidorus von Sevilla, tom. II, [Quellen und Forschungen zur alten Geschichte und Geographie, 26] Berlin 1913, p. 34) item ut fratrem Aiacis Teucrum in Cyprum migrare, inde autem in paeninsulam Hibericam vult, ubi conditor Gallaeciae erit, valde mirum est, cur Th. a communi opinione dissenserit. Nescimus, qua fama nitus Teucrum Troiae socium, urbi auxilium ferentem dixerit.

nonnulli illos ... recepisse putent — Compilatio saeculi VII nomine Hieronymi Scarpsum nota memorat primum gentem Torcorum, gentem Turcorum originis Troianaes esse, eamque cum Francogalli in Europam migraverint, in domicilio Asiatico permansisse, nomen autem a rege suo, Torquoto traxisse. Ratio identificationis erat similitudo duorum nominum “τοῦροι” et “τεύκοι”, et quoniam gens Troiana (Teucri) consanguinea cum Francogallis erat, etiam populus Turcicus genealogice cum Francogallis coniunctus est. Vincentius Bellovacensis saeculo XIII, in opere suo “Speculum Historiale” gradum cognationis et opinionem accuratius perscripsit: “alii (pars) Francorum Priami regis Troiae nepotem scilicet Hectoris filium, alia Turcum filium Troili filii Priami secuta est et inde tradunt quidam duos populos scilicet Francos et Turcos hodie vocari.” Fama, quae saeculo XIV a Iohanne Parisensi repetita est, etiam ineunte saeculo XVI viva erat, ita in compilatione Jean Lemaire de Belges. Evolutionem quaestionis tractat A. Eckhardt (La légende de l'origine troyenne des Turcs, Körösi Csoma-Archivum 2 [1926—1932] 422 sqq.), sed in diversissimis varietatibus. Secundum

epistulam anno 1481 scriptam Sigismundi Gossembrot, patricii Augustani: “nomen Turcorum traxit a Teucris originem, a quodam Turco, cuius mater Esione Troe mortuus. Dicuntur autem Thurci, non T[e]ucri modo barbarico et vulgari” (P. Joachimsohn, Die humanistische Geschichtsschreibung in Deutschland, I, Bonn 1895, p. 272), sed Aeneas Silvius haud ambigue contradixit ei (Asia cap. 100, Opera omn. pp. 383 sq.). Th., quamquam non ita deliberate loquitur, eo tamen, quod itinera Aeneae atque Antenoris praedicat, simul etiam vanitatem coniecturarum ceterarum demonstratam esse ostendit. In usu cancellariae Hungariae medii aevi Turci saepe Teucri nominabantur. In magno privilegio Ladislai V. emissso pro commodo Iohannis de Hunyad, quam Th. pluribus capitibus adhibet, constanter hoc nomen scribit (Teleki, X, pp. 358 sqq.).

90 *etatem mundi circa tertiam* — Sicut medio aevo creditum est, historia totius orbis terrarum in sex intervalla dividitur. Primordia singulorum intervallorum Adam, Noe, Abraham, David, captivitas Babylonica Iudeorum, Christus significant. Intervallum tertium igitur ab Abraham initium sumit.

Frigeas — Phrygia est pars interior Asiae Minoris occidentalis, porrecta in regione septentrionali-occidentali usque ad Hellespontum.

Eneam — Sicut traditur, Aeneas est filius Anchisis ex Venere, dux Dardanorum habitantium circa montem Idam ad Troiam, qui Troia capta in Italiam venit et Lavinium condit. Familia Augusti, gens Iulia ex filio Aeneae, Ascanio (= Iulo) originem duxit.

Anthenorem ... conditorem — Fama erat Antenorem generosum Troianum fuisse, qui urbe deleta una cum filiis in Thraciam, ut alii tradunt, in Illyriam, mox in Italiam venit, ubi cum Venetis in ora septentrionali-occidentali maris Hadriæ Patavium, hodiernam Padovam condit (Pauly—Wissowa, I, 2351 sqq.). Memoriam conditoris Antenoris testibus auctoribus antiquitatis urbs diligenter conservabat (Pauly—Wissowa, 36, 2114 sq.).

Acquileie — Haec urbs saeculo II a. Chr. n. a Romanis condita est in ora maris Hadriæ a Patavio in orientali-septentrionali porrecta, sed anno 452, cum ab Attila occupata est, vim perdidit. Hanc urbem ab Antenore conditam esse (ut dicitur) Th. narratione Chronicæ Picti atque Chronicæ Budensis innitens, immo vero eam ultra transiens ipse composuit, et sententiam in capite (20.), sent. 167 repetivit. Fama fabulae in Chronicæ Marci inter annos 1292 et 1300 scripto his verbis exprimitur: Troiani Venetias condunt, urbem aedificant et valde propagantur. Aliquando sub iisdem signis, quae ipsi habent, classem magnam advenire conspiciunt. Apparet Antenorem una cum fratribus eorum 2500 advenisse. Antenor rex creator, mox propagati finitimatam regionem incolis frequentant, et urbes Venetianas, inter quas etiam Aquileiam condunt (Eckhardt p. 486. De Antenore, conditore Aquileiae v. H. Simonsfeld, Venetianische Studien, I, Das Chronicon Altinate, München 1878, p. 62).

Cum tamen ... multe historie tradant — Talis variatio fabulae Troianæ,

secundum quam Aeneas et Antenor ex Italia Troiam migraverint, mox inde redierint, nobis ignota est.

ut Heticus philosophus tradidit — Aethicus, qui fortasse ex Istria ortus est, dicitur auctor fuisse operis geographici elementis commenticiis abundantis, scripti saeculo VIII, quod inscribitur *Cosmographia*. Opus edidit H. Wuttke: *Cosmographia Aethici Istrici ab Hieronymo ex Graeco in Latinum breviarium redacta*, Lipsiae 1853. De specie operis v. Manitius, I, pp. 229 sq., auctor eius autem Virgilius episcopus Salisburgensis (circa 700—784) putari potest, qui librum suum post annum 768 scripsit (Lhotsky pp. 148 sq.). Th. librum ex Aenea Silvio novit.

Periceos — In textu originali *Cosmographiae* (lib. III. cap. 32): *Byrri-choeos*.

Tracontas insulas — Ne aequales quidem Th. vocabulum loci haud secus ac prius nomen identificare potuerunt. Antonius de Bonfinis *Catalaniam in paeninsula Iberia sitam esse putavit* (“cum Gothi ... Gallias et Hispanias occupassent, adhuc regionem Tarraconensem tenent, quam ... Gothalam nuncuparunt; Tarraconensem Hispaniam a Gothis et Alanis nunc Gothalam nuncupamus” [I, 2, § 193. tom. I, p. 62]), grammaticae autem textus Aeneae Silvii identificare non permittit. Probabiliter etiam Aeneas Silvius non nisi coniectare potuit, quid duo nomina significarent.

Thurci, ut ... genitrices habuere — Aeneas Silvius: “Turcae ut Ethicus philosophus tradit, in Asiatica Scythia ultra Pericheos montes et Taracuntas insulas contra aquillonis ubera sedes patrias habuere” (Asia cap. 100, Opera omn. p. 383). Haec verba secundum Fóti J. L. [Góg és Magóg (= Gog et Magog), ItK 23 (1913) 40] apud Eticum non inveniuntur, qui miratur, quo modo nomen Etici in chronicon Th. inciderit); “Scytharum quoque genus est Turcarum foedissima gens, qui ut Heticus Philosophus tradit, in Asiatica Scythia ultra Pyriceos montes et Taracontas insulas contra aquillonis ubera sedes patrias habuere” (Asia cap. 29, Opera omn. p. 307; haud secus Europa cap. 4, p. 394). Th. sequentem partem textus Aeneae Silvii, vituperantem Turcos omittit, quamquam haec in duobus suprascriptis locis legitur: “Natio truculenta et ignominiosa in cunctis stupris ac lupanaribus fornicaria. Comedit, quae caeteri abominantur, iumentorum, luporum ac vulturum carnes et quod magis horreas, hominum abortiva.”

Otto ... episcopus tradit — In chronicō (V, 25) Othonis Frisingensis 91 episcopi (obiit anno 1158) orti e familia marchionum de Babenberg Austriae, caput ab Aenea Silvio emendatum legitur. Th. ipse opus Freisingensis non novit.

Pippino rege — Pippinus (obiit anno 768) ab anno 751 rex Francorum erat.

Otto ... egressi portas — Aeneas Silvius: “Haec gens, ut Otho historicus tradit, imperantibus Graecis et regnante apud Francos Pipino ... non Caspias, ut ille ait, sed Caucaseas egressa portas” (Asia cap. 100, Opera omn. p. 384); “Otho historicus, qui Phrisingensis fuit episcopus, tradit

Turcas imperantibus Graecis ac regnante apud Francos Pipino ... Caspias portas egressos" (Asia cap. 29, Opera omn. p. 307).

- 92 *Nicolaus Secundinus* — Nicolaus Sagundinus (Niccolò Sagundino) ex Nigroponte civitate in ora maris Aegaei anno 1438 una cum familia in Italiam venit. In synodo Florentina, ubi de coniunctione Graecae et Romanae ecclesiarum consilia habebantur, quoniam Latine et Graece pariter et quidem facillime loquebatur, munere interpretis functus est. Cives Venetiarum magni aestimantes utilitatem eius, secretarem decemvirorum elegerunt, et hoc munus iterum ei donaverunt, cum — anno 1462 — e Negroponte, quo interim reversus erat, naufragium faciens postremo in Italiam migravit. Quamquam eruditus atque cum viris doctissimis coniunctus erat, diligentiam ad scribenda opera litteraria non adhibuit (Voigt I⁴ p. 429, II⁴ pp. 85, 117, 155. Cf. Aeneas Silvius Opera omn. pp. 307, 452).

Multa de hac ... denotavit — Aeneas Silvius: "Nicolaus Segundinus multa eruditione praeditus graecas ac latinas litteras apprime callens de Turcis ad nos scribens asiaticos Scythes illos esse fatetur, qui Pontum Cappadociam que transgressi ad reliquas finitimas gentes sensim illapsi sunt, ii ... adversum finitimos de agri possessione certarent ... littora Graeci maris occupaverint" (Asia cap. 29, Opera omn. p. 307).

⟨11.⟩

Capita superiora summatim perscribuntur, ut sedes antiquissima Hunnorum aut Hungarorum in Asia sita fuisse certe videatur, atque argumenta reliqua saeculi XV ex Aenea Silvio sumpta adduntur.

- 93 *Paulum Orosium ... referre non pudet* — Quod ad partes textuum Orosii atque Dionysii Periegetis pertinet, quas Th. indicat, v. dicta ad caput ⟨8.⟩, sent. 67.

Anthoninus ... sedibus expulisse — Antoninus quidem haud pro certo Hunnos ex Asia in Europam migravisse affirmat, tamen textus eius (v. caput ⟨6.⟩, sent. 57) ita intellegi potest, ut apud Th. legitur.

- 94 *sententie contradicunt* — Et sententia, et contradictio vocabula usitata iurisdictionis Hungaricae medii aevi sunt, coniunctim autem nusquam leguntur (cf. Hajnik pp. 416 sqq.). Th. profecto sua sponte nactus et non opera data natus est, ut sententiam litterariam per translationem compositam e duobus vocabulis iurisdictionibus construeret.

Nec priores ... transmeasse tradant — Cf. quae ad capita ⟨4.⟩ (sent. 31) et ⟨6.⟩ (sent. 52) dicta sunt.

Zelyobrem — Nomen Malalas in forma Zilibis notavit. V. inferius.

Chosroe Persarum regi — Chosroes I. rex Persarum (531—579) erat.

Iustinianum Romanorum imperatorem — Iustinianus I. imperator Romanii imperii orientalis (527—565) erat.

Zelyobrem ... in auxilium venisse — Aeneas Silvius: “Zeliobres Hunorum rex intra Scythiam manentium cum viginti millibus adversus Iustinianum Cosdroam adiuturus advenit, sed suspectus ab eo habitus multis vulneribus confossum interfectus est” (Asia cap. 30, Opera omn. p. 312.).

Zelyobrem ... Romane commemorant historie — Martinus Polonus de expeditione Hunnorum in Scythia remanentium tacet. Th. narrationem Aeneae Silvii transcripsit, sed ea commutatione, quod Chosroes rex Persarum, at non antiquo more rex Parthorum nominatus est. Res circa annum 520 accidere potuit (Moravcsik, Forrásai, p. 69). Huic temporis tantum per speciem contradicit, quod Chosroes anno 531, Iustinianus autem anno 527 regnare cooperat. Duo nomina e textu errato Aeneae Silvii in opus Th. transcripta sunt. Iohannes Malalas saeculo VI, qui rem primus notavit, recte Chuadem et Iustinum scripsit; ab eodem rex Hunorum Ζιλγιβίς nominatus est. Secundum narrationem eius princeps Hunorum cum viginti milibus militum sicut socius regis Persarum Romanos (Byzantinos) invasurus erat, quamquam prius cum imperatore Iustino contra Persas foedus icit. Chuades ei diffisus est et eum interfici iussit (Chronographia, CSHB pp. 414 sq.). Narrationem scriptoris rerum, qui Malalas vocatur, Theophanes saeculo IX prope ad verbum in opus suum transcripsit, cuius chronicon Graecum inter annos 873 et 875 Anastasius Latine reddidit et ope Anastasii, id est ope translationis narrationem etiam chronica occidentalia acceperunt. Primum Landolphus Sagax, mox per Historiam Miscellam nominatam Sigebertus Gemblacensis. Per mutationes nomen Ζιλγιβίς gradatim in formas Ζιλγιβίς, Zelicbes, Zeliobes transformatum est (Moravcsik II, p. 131 et explicationes acceptae ab ipso professore Moravcsik), nomina autem imperatoris Persarum formas veras conservabant. Textus Sigeberti hic sequitur: “Bello orto inter Romanos et Persas, Chuades rex Persarum Zeliobem regem Hunorum venientem cum viginti milibus auxiliari sibi contra Romanos, immisso exercitu occidit et totum paene eius exercitum delevit, suspectum eum habens, quod utrinque munera acceperit et a se contra Romanos et a Romanis contra se” (M. G. H., SS VI, 315.). Hic textus ab Aenea Silvio in duobus locis immutatus est. Pro Chuade Chosroe I., imperator illustrissimus Persarum saeculi VI vocatur, et quoniam hic iam post mortem Iustini (anno 527) regnum adeptus est, nomen aequalis eius, Iustiniani (518—527) in vicem nominis Iustini scriptum est. Th. una cum textu Aeneae Silvii ambo errata transcripsit, simulque nomen regis Hunorum apud eum nova distorsione Zelyobres factum est.

Pius ... occupasse tradit — “Ex Asiatica Scythia migraverunt in Europam 95 Huni, feroce populi ... qui transmissa Maeotide omnem barbariem inter Tanaim et Danubium occupavere” (Asia cap. 29, Opera omn. p. 307).

rursus idem dicit ... transire prohibuisset — “Noster Veronensis, quem supra diximus, ad ortum Tanais pervenisse retulit populos in Asiatica Scythia non longe a Tanai sedes habere, rudes homines et idolorum cultores, quorum eadem lingua sit cum Hungaris Pannioniam incolentibus

voluisseque cum plerisque sacrarum litterarum professoribus, viris religiosis et ex ordine beati Francisci, qui linguam illam nossent, eo proficisci et sanctum Christi euangelium praedicare, sed prohibitum a domino, quem de Mosca vocavit, qui cum esset graeca perfidia maculatus, aegre ferebat Asiaticos Hungaros latinae coniugi ecclesiae et nostris imbui ritibus" (Asia cap. 29, Opera omn. pp. 307 sq.).

dicit se hominem Verona ortum — Probabiliter fieri potest, ut informator Verona oriundus Aeneae Silvii monachus ordini S. Francisci ascriptus sit, de quo alio loco ita commemoravit: "Nos hominem allocuti sumus Verona oriundum, qui per Poloniam et Litanam ad fontes Tanais pervenisse se affirmavit eosque transcendisse et omnem illam Barbariae borealem perscrutatum" (Asia cap. 24, Opera omn. p. 303).

de ordine sancti Francisci — Ordo Sancti Francisci iam saeculo XIII tota Asia — addita etiam Sina — auctoritatem consequi per legationes propagandae fidei annis est, et etiam monachi originis Hungaricae partem huius operae capiebant. (Cf. Holzapfel pp. 241 sq., 254 sq.; Balanyi Gy., Adatok a ferencrendiek tatárországi missziós működésének történetéhez [= Argumenta ad historiam legationis propagandae fidei Franciscanorum in regno Tartarorum], Katholikus Szemle [= Acta Catholica] 39 [1925] 70 sqq.; Idem, Montecorvinoi János [= Iohannes de Monte Corvino], Tört. Sz. 15 [1930] 10 sqq.)

dominus de Mozqua — Magnus princeps Moscoviensis fortasse Vasiliij II. (1425—1462) fuit.

in Asiatica Scitia ... transire prohibuisset — Qui propinquai in oriente relictii Hungarorum fuerint, et quando ii ad fidem Christianam traduci temptati sint, solum liber idem, quem Aeneas Silvius de sua vita scripsit, proprius explicat: "Nos compertum habemus ultra Tanaim non procul a fontibus eius in Asiatica Scythia populos usque hodie reperiri, qui Hungari appellantur, quorum sermo nihil ab eo differt, quo circa Istrum habitantes utuntur. Illi parentes horum se dicunt deosque more gentilium ac idola colunt rituque barbarico ac propemodum ferino vitam agunt. Eugenius quartus pontifex maximus ad cultum Christi traducere conatus est missis ex Hungaria nobis propinquiori viris religiosis, qui verbum dei praedicarent et notam illis facerent baptismi gratiam. Interiacentes Rutheni transitum vetavere, qui graecanico ritu sacrificantes perire potius in errore idolatras voluerunt, quam Romanae ritum ecclesiae ad eos deferri" (Pius secundus, Commentarii rerum memorabilium quae temporibus suis contigerunt, Francofurti 1614, p. 324). Ita tempus conatus ad conversionem capti papa Eugenio IV. regnante (1431—1447), accuratius circa annum 1440 erat. Etiam Hungarici monachi Franciscani partem huius conversationis capere voluerunt — religiosus significatur: 'monachus' —, populus autem, qui propinquus Hungarorum habebatur, et ad quem trans Polonię, Lithuaniaṁ et magnum principatum Moscoviensem pervenire conabantur, in regione, ubi fluvius Tanais oritur, habitabat. Quoniam fluvius Tanais, ut

geographi eius temporis arbitrabantur, originem in montibus Ripheis habet, qui autem iidem ac montes Ural dici possunt, populus, de quo agitur, incolae Jugiae sunt, ut Aeneas Silvius putat, et etiam eo affirmat, quod populum pelle melis negotiari praedicat (Asia cap. 29, Opera omn. p. 307). Secundum Vásáry I. (A jezsuita Cseles Márton és a Julianus-jelentés [= Martinus Cseles societatis Iesu et relatio Iuliani], in Horváth—Székely pp. 261 sqq.) Aeneas Silvius de ipsis reliquis Hungarum tempore Mongolorum dispersis certior factus est, eorum tamen domicilium certe constitui non potest. Antonius de Bonfinis (I, 2, § 190 tom. I, p. 55) annotationem Aeneae Silvii transcribens addit, quod Matthias rex certior factus a mercatoribus de Hungarum disiunctis, eos in Pannoniam propter multa bella incolis nudatam traducere voluit, sed consilium agitanti regi mors intervenit (cf. Gombocz 173 sq.).

⟨12.⟩

In capite historia Hunnorum saeculi XIII mutationibus parvis transcribitur, id est vocabulis, quae litterariis condicionibus saeculi XV accommodantur, adhibitis.

Anno ... Valentis imperatoris — Re vera, ut ab Orosio annotatum est, 96 anno 375 Hunni Gothos orientales invaserunt (H. Homeyer, Attila. Der Hunnenkönig von seinen Zeitgenossen dargestellt, Berlin, 1951, p. 22). Annus 373 e textu fontis proximi Th., Chronici Picti transcriptus est. Familia Chronicorum Budensis Hunnos anno 328 egressos esse putat (SRH I, 255), et hoc quidem secundum Reginonem fecit, sed eius argumentis insolitum in modum usa est. Nam apud Reginonem post annum 327 Gothi a Hunnis devicti esse leguntur (“Anno dominicae incarnationis 327. Valens cum Gratiano et Valentianu Valentianiani fratris sui filiis regnat annos 4. Hunni Gothos propriis sedibus pellunt, Gothi Thraciam depopulantur”. M.G.H., SS I, p. 547), et annus, quo haec gesta sunt, in familia Chronicorum Budensis insequens dictus est atque ad eundem annum etiam nomen Attilae additum est (Hóman p. 80). Annum omnino voluntarie additum 328 omittens Chronicum Pictum variis computationibus (hae accurate a Dománovszky tractantur p. 48) 373 obtinuit. Anonymus anno 451 Attilam e Scythia evasisse putat (SRH I, 35), Simon de Kéza anno 700 Hunnos capitaneos creavisse memorat (SRH I, 147).

Valentis imperatoris — Imperator Valens ut socius imperii Valentiniani I. provinciis orientalibus praefuit (364—378). Eo regnante imperium Gothorum a Hunnis fractum est.

Damasii primi ... pape — Th. nomen (Sancti) Damasi I. papae (366—384) adnotationibus criticis omissis recte scripsit, quo fons suus, Chronicum Pictum papam Coelestimum I. (422—432) memorat (SRH I, 255).

in sexta etate — Ut rerum scriptores medii aevi arbitrantur, aetas sexta Christo nato incepta est.

venatoribus supradictis — Cf. cap. (6.).

capitaneos — Ad vocabulum “capitaneus” v. caput (30.), sent. 206. Insequentia nomina propria et nomina generum, exceptis duobus (Wele, Chele), convenient cum nominibus personarum a magistro Acus traditis (SRH I, 284, Th. caput (28.)). Duces igitur ita nominatos Simon de Kéza suo arbitrio Hunnos appellavit. Negari non potest, quin nomina similia nominibus Hunnorum sint, et insolita Hungaris sint. Simon de Kéza duces Hunnorum nomina Hungarica habere non mirum putabat. Quoniam populus Hunnorum et Hungarorum, ut ipse arbitratur, idem est et linguae eorum tantum ita inter se differunt, sicut duae dialecti Germanorum, nomina Hungarica, ut ipse putat, duos populos eosdem esse demonstrare valent. János Horváth animum attendit nomina septem capitaneorum Hunnorum a Simone de Kéza memoratorum coniuncta esse cum vocabulis locorum Pannonicorum geographicis, et quidem cum vocabulis locorum in historia Hunnisca adhibitorum atque ita, ut Simon de Kéza hos capitaneos e vocabulis geographicis effecerit. Quoniam plurima Hungarica vocabula locorum e nominibus personarum oriuntur, et nomina personarum et vocabula locorum inter se nimirum congruunt, etiam Simon de Kéza intellegere potuit se vocabula locorum sine ullo periculo errandi fictis hominibus temporum veterum deferre posse. Etiamsi hoc, quod Horváth hic interpretatur, nonnullis locis in controversiam cadat, tamen de eo, quod denique constituit, non est dubitandum: nomen ne unius quidem capitanei cum gentibus aetate Simonis de Kéza notis et claris coniungi potest, scilicet Simon de Kéza per historiam Hunnorum nullius gentis potentis gloriam — fama originis Hunniscae — augere voluit (Horváth, Hun-tört. 466 sqq.).

Belam — Haec forma in suffixum exiens nominis a Th. immutata est. Ipse haud ambiguie nomen personae Bela inesse putavit. Sed tantum B et D scribunt Bele, in variantibus reliquis Vele, Wele legi potest, et quoniam etiam in prioribus variantibus forma Bela recte scripta sit, e in exitu verbi monstrat Wele formam originalem credi posse. Origo nominis, quoniam id cum pago Veleg in comitatu Albensi coniungere (Horváth, Hun-tört. 471) difficile sit, incerta est. Györffy originem nominis “Bela” ex vocabulo dignitatis Bulgarae Turcicaeve bejla < bojla dicit, e variationibus vocabuli loci Vejla ~ Vojla autem nomina Bela, Wela eadem esse dicit (Tanulm. p. 81. V. caput (66.), sent. 288.). De origine nominis “Bela” novissime v. Kálmán B., Béla, MNy 57 (1961) 86 sq. Collectionem vocabulorum locorum, quae Béla vocantur, v. Kristó—Makk—Szegfű, I. pp. 65 sq.

Chele — Collectionem vocabulorum locorum, quae Csele vocantur, v. Kristó—Makk—Szegfű, I. p. 66. Horváth (Hun-tört. 471) ad exemplum huius personae Csele vocabulum loci Csele in comitatu Baranya arbitratur. Etiam Chele nomen quoque personae est (Kovács, Index p. 142).

genere Zemen — In Gestis Zemein, Zemeyn, Zemyn legitur (SRH I,

256). Collectionem vocabulorum locorum Szemény v. Kristó—Makk—Szegfű, II, p. 40. Secundum Horváth (Hun-tört. 471) decerni non potest, cum quonam vocabulo loci nomen generis coniungatur (Semjén, Zimony, Zimánd, Zamoly, Zamor). Szemény etiam ut nomen personae cognitum est (Kovács, Index p. 776). Genus Szemény in diplomatisbus non invenitur (Karácsonyi III, p. 57; Györffy, Tanulm. p. 24).

Keme — In Gestis Keue (SRH I, 256) invenitur. Keve e vocabulo Hungarico kő ('lapis') originis Fennō-Ugricæ nomen personae ortum est. Collectionem vocabulorum Keve v. Kristó—Makk—Szegfű, I, p. 66. Secundum Horváth (Hun-tört. 467) nomen huius personae Keve cum prima parte vocabuli loci medii aevi Kevezső — hodie Kajászó in comitatu Albensi — coniunctum est.

Kadicham — Apud Anonymum in forma Cadusa ut nomen Hungarici ducis patriam occupantis legitur. Kristó—Makk—Szegfű I, p. 65 unum — in comitatu Baranya — vocabulum loci cum eo congruens approbat. Secundum Horváth hoc vocabulum Kadocsa e vocabulo pagi Kajdács (Kadach, Kaydech) in comitatu Tolnensi factum est. Nomen personae Kadicha ab ineunte saeculo XIV invenitur (Horváth, Hun-tört. 470).

Atilam — Nomen veri similiter Gothicō nomini Attila (lingua antiqua Germanorum superiorum Ezzilo, lingua media Germanorum superiorum Etzel) par est, quod deminutivum vocabuli Gothicī atta ('pater') est. In diplomatisbus Hungaricis saeculorum XII—XIV ut nomen personae invenitur. E forma Attila recte Etila > Etēla > Etēle evoluta est, quae forma saeculo XIII quoque notum nomen personae erat (Etym. Szótár, I, coll. 95, 172 sq.). A Simone de Kéza et maiore parte variantium Gestorum loco Th. apto formae nominis Ethela, Ethele scribuntur, Atile tantum in *B* et *D* invenitur. Forma nominis in casum accusativum exiens omni modo solum a Th. scribitur, et esse potest, quod ipsa antiquior forma nominis non est mutata. Nam varians *V*, quoque, qui Th. proxime stat, ipse Ethele scribit. Si Th. non e *B* formam nominis Attila transcripsert, sed formam Ethele commutaverit, id documento nobis sit, quanto studio auctor noster stilo archaico uti appetat.

Kewe — Aliter ac in omnibus variationibus Gestorum, apud Simonem de Kéza vocabulum est Reuwa (SRH I, 147), quod Horváth cum vocabulo Hungarico rév ('traiectus') coniungit, et e nomine traiectus cuiusdam ad Danubium formatum esse putat (Hun-tört. 469 sq.). Szűcs (622) autem cum nomine ducis Hunnisci Rua, qui ex Iordanē cognitus est, comparat.

Budam — V. caput (15.), sent. 115.

Bendegicz — Nomen patris Attilae apud Iordanem (Getica § 180) Mundzucus est, quod cum nomine Turcico Mundzuk, cuius significatio est 'margarita' (Hungarice gyöngy), identificari possit (Németh, pp. 133 sq.). L. Meskó nomina Mundzucus et Bendeguz comparare conatus est (MNy 32 [1936] 328 sq.), item etiam Szűcs (622). Horváth nomen Bendekuz vocabulum compositum esse putat, cuius prima pars e nomine Hungarico

Benedek ('Benedictus') ortum nomen Benda, secunda pars autem vocabulum Hungaricum köz ('intervallum') esset, atque nomen Benda in vocabulo villae Benta ad Danubium servatum esse arbitratur (Etym. Szótár, I, col. 353; Horváth, Hun-tört. 468 sq.). Argumenta diplomatica, quae demonstrant vocabulum loci Benta aevo medio exstitisse, hodie adhuc desunt.

genere Kadar — Th. in variantibus Chronici Picti atque in *D* lectum nomen Kádár repetit. Nomen verum a Simone de Kéza et a S in forma Erd servatum est (SRH I, 147, 256). Genus Érd ignotum est, sed genus Kádár possessiones in comitatibus Castri Ferrei et Zaladiensi habuisse argumentum diplomaticum testatur (Karácsonyi, II, p. 280). Nomen generis Érd opinionem Horváth approbare potest, quoniam hoc vocabulum loci e vocabulo Hungarico ér ('rivulus') suffixo deminutivo formatum exstat (Etym. Szótár, I, col. 1590). Érd nomen est civitatis a Buda ad meridiem praeter Danubium sitae. Collectionem vocabulorum locorum Kádár et Érd v. Kristó—Makk—Szegfű, II, pp. 25, 18.

97 *rectorem nomine Kadar* — Nomen personae cum nomine dignitatis karcha coniungi potest (Pais D., A karcha bíró [= Iudex karcha], Kőrösi Csoma-Archivum 2 [1926—1932] 361). Ut Constantinus Porphyrogenitus tradit, populus Hungaricus — gentes confoederatae — praeter principem primum etiam duos alios principes habuit: "jila (γυλᾶς) et karcha, qui dignitate iudicis funguntur" (Konstantín pp. 178 sq.). Györffy (Tanulm. p. 53) nomen Kádár cum nomine dignitatis imperii Kazarorum qadir (Czeglédy K., Egy kazár méltóságnev [= Nomen dignitatis Kazaricum], MNy 43 [1947] 290 sq.) comparat.

decreto generali — Vocabulum saeculo XV ortum est. Ab ineunte saeculo publica edicta, quae rex cum consilio regali aut cum ordinibus, qui in diaeta aderant, consentiens edidit et e quibus saeculo XVI Corpus Iuris Hungarici compositum est.

communitas — Hoc vocabulum magister Acus in chronica Hungarorum induxit ut nomen collectivum possessorum latifundiorum, haec formatio socialis apud eum speciem oligarchicam habuit (Mályusz 1971, pp. 55 sqq.). Vocabulum Simon de Kéza transcripsit, et homines nobiles minorum gentium eo denotavit. (E litteris novissimis vocabuli "communitas" v. Kristó 1972, 9 sq.; Szűcs 579 sqq., cum bibliographia quaestionis.) Szűcs (604 sqq.) affirmavit theoriam communitatis Simonis de Kéza e doctrina corporationis saeculi XIII evolutam esse, atque Simonem de Kéza proximum exemplum sibi doctrinam Azonis magistri magni scholae Bononiensis elegisse. Ex hac doctrina enim populus non totam potestatem regi mandavit, sed elementa potestatis aliqua penes populum remanserunt. Simon de Kéza hanc doctrinam accipiendo vindicationem politicam exprimere studuit, quae in Hungaria circa annum 1280 extitit, ut rex nobilitatem universam potestate fungendi, leges condendi compotem faceret.

Unum preterea ... deponere posset — Iam Domanovszky (SRH I, 256) admonet enarrationem Anonymi cum enarratione historiae Hunnorum

comparari posse. *Anonymus*: “primates regni ... communi consilio et pari voluntate quosdam rectores regni sub duce prefecerunt, qui moderamine iuris consuetudinis dissidentium lites contentionesque sopirent. Alios autem constituerunt ductores exercitus, cum quibus diversa regna vastarent” (SRH I, 107). *Historia Hunnorum*: “Constituentes inter se rectorem unum nomine Kadar de genere Turda, qui lites sopiret dissidentium” (SRH I, 256). Pars textus, sicut Horváth detexit (Hun-tört. 454), ex Isidoro Hispalensi transcripta est: “fuerunt enim quidam prudentes et arbitri aequitatis, qui institutiones civilis iuris compositas ediderunt: quibus dissidentium lites contentionesque sopirent” (Etym. I, 5, 14). Sicut idem constituit, *historia Hunnorum* textum, qui apud *Anonymum* legitur, vocabulo “contentionesque” omissa iam mutilatum habet.

Edictum — Vocabulum ut nomen substantivum in eadem significatione ac vocabulum “decreturn” in iurisdictione Hungarica saeculi XV usitatum erat.

generalis expeditio exercitus — Nomen usitatum saeculo XV belli a rege gesti erat. Index capitinis primi operis Johannis de Kikullew in B “De primo exercitu regis contra Saxones” scribitur, at idem apud Th. “De prima exercituali expeditione Lodowici regis contra Saxones” est. (Inferius v. caput (132.).)

per habitacula castraque — Significationem veram vocabuli “in castris” historiae Hunnorum et Gestorum iam L. Erdélyi constituit (Krónikáink p. 67), quod Horváth accurate affirmavit (Hun-tört. 473). Amplificatio Th. interpretationem sine dubio rectam esse demonstrat.

cum res ... deferetur — Prima mentio scripta consuetudinis ex anno 1463 nota est. Secundum statutum militare Transylvanicum (Constitutiones exercitiales universitatis trium nationum Transylvanicarum, nobilium videlicet, Siculorum atque Saxonum), quod a rege Matthia hoc anno confirmatum est, evocatio generalis ad bellum epistola voivodae comitisve Siculorum aut ense cruento, gladio sanguine tincto facta est (M. G. Kovachich, Scriptores rerum Hungaricarum minores, Buda 1798, II, pp. 384 sqq.). Quamquam adnotatio sero facta est, consuetudo ipsa vetus et initium ineunti tempore regni duxisse videtur.

Vox dei et preceptum communitatis — Vocabulum “vox populi” Simonis de Kéza Th. sine dubio accuratiore definitione iuridicali permotavit. Vocabulum “vox populi vox dei” in diplomate regis Belae IV. anno 1253 invenitur (Theiner, I, p. 233).

Toxon filii Arpad — Th. enarrationem Gestorum falso supplet, quia 98 Arpad Tocsun non filium, sed nepotem habuit.

perpetuam redegit in rusticitatem — Vocabulum “perpetua rusticitas” probabiliter proprium aetati Th. erat, et generaliter ad ius pertinens saeculo XVI cum Tripartito Werbóczy (p. III. tit. 25) valuit. Saeculis XIII—XIV perpetua servitus erat genus poenae, quae eis minitata est, qui obligationi-

bus se solvere conati erant (1247: Mon. Strig., I, p. 365), aut quae prognatis e Feliciano Zaah incidit (Fejér, VIII/3, p. 425).

rationabilem assignarent excusationem — Th. vocabulum ab iuris dictione saeculi XV mutuatus est. Clausula usitata litterarum birsagialium quidem ita scripta est: Litigans, quia in constituta actione forensi non apparuit, poenam pecuniariam persolvere debet, “si se rationabiliter non poterit excusare” (Hajnik p. 443).

in desperatas causas — Simon de Kéza in Historia Hunnorum poenas, partim supplicium, partim exilium ex iure Romano sumpsit. Inst. 4, 18, 2: “quae ultimo suppicio adficiunt, vel aquae et ignis interdictione, vel deportatione vel metallo”, Cod. 9, 8, 5: “gladio feriatur”. Simon de Kéza Romanae iuris prudentiae quantopere peritus fuerit, v. Gerics J., Adalékok a Kézai-krónika problémáinak megoldásához (= Additamenta ad solvendas quaestiones chronicí Simonis de Kéza), Annales 1 (1957) 111 sqq.; Szűcs 589 sqq. Tamen fieri potest, ut Simon de Kéza describens poenas etiam actionis criminalis consiliorum Siculorum suae aetatis meminerit, ubi — ut posterius traditur — contumax gladio trucidatus est (Horváth, Hun-tört. 474 sq.; Szűcs 591).

redigerentur in servitutem — A Simone de Kéza praecepta Francogallica aetatis suae ad res Hunniscas revocata sunt, cum ab eo traditur reus omissae obligationis militaris in servitutem abduci posse. Secundum collectanea moris iudiciorum Francogallicorum saeculi XIII, quae a Philippe de Beaumanoir notata sunt, ii, qui contra exercitum externum ad bellum proficiisci recusabant atque absentiae argumenta afferre non poterant, in servitutem abducti sunt. Simon de Kéza in Europa occidentali (in Burgundia) peregrinabatur, forsitan tum hanc doctrinam legerit, quae primum in ipsa Burgundia ineunte saeculo XIII in forma litteraria apparuit (Szűcs 581 sqq.). Vere rex Sigismundus poena saeculi XIII — quam poenam tamen ad instituta civilia suae aetatis accommodaverat — anno 1428 amissionem possessionis nobilitatisque minatus est omnibus, qui exercitum generalem iubente rege viritim, una cum peditibus et equitibus adesse recusaverunt: “Alioquin scitote a certo, quod omnes et singulos tales, qui huiusmodi nostro mandato pro inpendendo ad talis modi nostrum exercitum modo quo supra venire recusaverint, omnibus possessionibus ac iuribus possessionariis privando et destituendo in ignobiles seu degeneres utique redigemus in eternum” (O.L. Dl. 92 743).

plebee ... conditionis — Vocabulum aetate Th. antecedenti non est notum.

alter dominus ... vel rusticus — Dum Simon de Kéza nobiles et ignobiles inter se discrepare praedicavit, Th. dominos praediorum et servos aut agrestes inter se comparans expoliatos dominis subiectos esse affirmavit. Hoc sine dubio non consulto fecit, sed ea ipsa de causa scriptum eius pro confessione valet. Nam patet, quomodo naturam ac vim distributionis ordinum interpretatus sit. Notabile est ab eo usitatum vocabulum “iobagio”

non scriptum esse. Vocabulum “servus” ante medium saeculum XIII in monumentis Hungaricis saepe legitur, sed posterius vocabulum iobagio in eius locum succedit (Szabó I., A prédium [= Praedium], Agrártörténeti Szemle [= Acta historiae agriculturae] 5 [1963] 26 sq., 301 sq.). Vocabulum apud Th. renatum cum eo coniungi potest, ut disciplina iuris Romani in Hungaria Mattheia regnante ultimo decennio aperte inveteraverit. Rusticus aevi medii, iobagio, aetate Th., ut e communitate rusticana eximeretur atque in potestatem domini redigeretur, secundum disciplinam iuris Romani servus nominatus est. Haec contentio dominorum, cui etiam Matthias favebat, non textu solo Th. affirmatur (Mályusz E., Az 1498. évi 41. törvénycikk [= Caput decreti 41. anno 1498 editi], Száz. 63–64 [1929–1930] 809 sqq.).

omnia evertentes — Pars, quae vim Hunnorum praedicat, a Th. inserta 99 est.

Chumanos albos — V. caput (7.), sent. 63.

Susdalos — V. caput (7.), sent. 63.

Ruthenos — Nomen Latinum Ruteni, ut W. Thomsen arbitratur, partim e nomine Pruteni ~ Prussi, partim e nomine Ruteni (Ρουτῆνοι, pristina gens Gallica) ortum est. Hoc nomen (Ruteni) saeculo XII demovit nomen Russorum in forma „Russi” (Ruzzi, Ruci) in fontibus Latinis saeculorum XI–XII usitatum, quod e Slavico Rusъ formam Latinam accepit. Apud Anonymum etiam nomen Ruscia legitur, sed ibidem quoque nominatio Ruthenia saepius scribitur, quae regnum circa Kioviam situm significat (Melich J., Néhány magyar népnévről [= De nonnullis nominibus populorum Hungaricis], MNy 5 [1909] 342; Idem, Népnevek [= Nomina populorum], MNy 18 [1922] 166.).

nigram Chumaniam — “Cumani nigri” in annalibus Russicis torky nominantur, in fontibus Byzantinis autem nomine Οὐζοι significantur. Temporis ordine inter Bissenos atque Cumanos, qui Polovci nominantur, apparuerunt. Annis primis 1060 in regione fluviorum Bug et Seret, ergo partim in regione medio aevo Moldavia nominata habitabant. Postquam ab Histro ad meridiem in finibus imperii Byzantii consistere frustra conabantur, in regionem principatum Kioviensis et Perejaslavensis recedebant. Medio saeculo XII annales Russici ad eos nomen Černii Klobuky — quod nomen generale etiam alios populos colligens erat — attulerunt. (Kossányi, op. cit. Száz. 1923–1924, 522 sqq., 530, 536. Kossányi 535, adnotatio 3 dubitat, an Th. recte affirmaverit Moldaviam aliquando Nigram Cumaniam nominatam esse.) Quoniam nomen Q.māniya al-Sauda’ (Nigra Cumania) Idrīsī, geographus Arabicus in Sicilia adhuc etiam medio saeculo XII novit (Györffy Gy. op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] 159), nomen e Gestis veteribus saeculi XI ortum esse non est omni modo putandum. V. caput (7.), sent. 63.

Ticie — Scilicet fluvius Tiscia, qui hodie Hungarice Tisza nominatur. V. caput (64.), sent. 282.

(13.)

Caput textum historiae Hunnorum saeculi XIII particulatim transcriptum continet, in priore parte Th. opulentiam Hungariae laudibus ornans describit.

- 100 *De ingressu ... commisso* — Primam partem indicis Th. e Chronico Picto conscripsit: “Primus ingressus Hungarorum in Pannoniam” (SRH I, 255).

Pannonia — Quamquam Pannonia non nisi partem quandam Hungariae saeculi XV significavit, Th., ut e sequentibus eminet, eam eadem esse ac totam Hungariam aetatis suae dixit.

Hec regio ... esse traditur — Haec etymologia omnibus nota dici potest. Descriptio Europae Orientalis ineunte saeculo XIV (ed. O. Górká) iam adnotavit: “regnum Vngarie olim ... Pannonia dicebatur etiam a panis habundantia” (p. 43).

alpium — In diplomatibus Latinis medii aevi Hungariae “alpes” montes alti, quorum cacumina per partem maiorem anni nive operata erant, nominabantur. Th. igitur non Alpes hodiernas, sed montes Carpathes intelligit, qui Hungariam medii aevi a septemtrionibus, ab oriente et a meridie circumdederunt.

- 101 *Dacorum populus* — Regio habitata a populo Dacorum, quae eadem erat ac Transylvania medii aevi atque regio a Transylvania ad meridiem sita, tum nomine Dacia provincia Romana facta est, cum ineunte saeculo II p. Chr. n. Daci a Traiano devicti sunt. Sed Dania quoque Dacia nominabatur. Hungarici libri historiarum ante Th. scripti nec de populo Dacorum, nec de Dacia mentionem faciunt. Quod Dania Dacia nominatur, Th. etiam ex Aenea Silvio comperire potuit (“regna sibi invicem cohaerentia Danorum, quod hodie Dacum appellant, Suetiorum ac Noruegionum. Daniam sive Daciam dicere volumus consuetudini servientes”. Europa, cap. 33, Opera omn. p. 425). Sed ipse coniecturam fecit Daniam ortam esse, postquam Daci eo transmigraverunt. De quaestionibus prius tractatis Danorum ~ Dacorum copiose scribit Al. Bărcăcilă, Dacia și Dania în istoriografia și cartografia medievală (= Dacia et Dania in historiographia et chartographia medii aevi), Studii și materiale de istorie medie (= Studia et documenta de medio aevo) 3 (1959) 341 sqq.

- 102 *Incolebant ... Longobardi* — Cum prima turba Langobardorum anno 526 in Pannoniam ingressa esset, frequens multitudo populi annis 546—547 immigravit, idem iam anno 568 in Italiam discessit, in Pannonia post regnum Hunnorum finitum versabatur. De historia Langobardorum in regione Carpathica v. Bóna I., A középkor hajnala (= Principium medii aevi), Bp. 1974.

Incolebant ... Almani et Italici — Th. omnino ad suum arbitrium Alemannos atque Italos incolas Pannoniae fuisse dixit. Secundum adnotationes fontis sui, Gestorum saeculo XIII de Detrico de Verona, qui origine

Alemannus fuit, et de exercitu Italico scriptorum (SRH I, 258) Th. Alemannos et Italos domicilium in Hungaria habuisse scripsit. Ex hac re intellegi potest geographiam atque ethnographiam ei curae fuisse. Contra Simonem de Kéza saeculi XIII ipse iam necesse ducit lecturos edocere, quinam olim in terra Hungariae vixerint.

tetrarcha ... Matrinus — Homo a Simone de Kéza fictus, cuius in persona imperator Opilius Macrinus, qui annis 217—218 regnavit, dux belli Marcius a Trebellio Pollione memoratus contra Scythes victor bellans, tyrannus Macrinus, qui secundum eundem Trebellium Pollionem Gallieno obstitit, postremo Sanctus Martinus in Pannonia ortus et item miles in unum confusi sunt (Eckhardt 605 sqq.). Simon de Kéza idem suo arbitrio, tamen repetens adnotationes Eusebii dignitatem Herodis fratrumque eius tradentes scripsit Macrinum possessorem dignitatis “tetrarchae” fuisse (ibid. 613 sqq.). Secundum I. Tóth Z. (Tuhutum és Gelou. Hagyomány és történeti hitelesség Anonymus művében [= Tuhutum et Gelou. Memoria et fides historiae in opere Anonymi], Száz. 79—80 [1945—1946] 39 sq., 51) persona Macrini e memoria Hungarica oritur. Quaestum est, an Simon de Kéza figuram Macrini fingendo praeter fontes supra dictos etiam Gestis veteribus usus esset (hoc momentum, quod Gesta vetera continuisse dicitur, Tārīḥ-i Ungurus saeculi XVI servavit, ed. G. Hazai, Notes sur le “Tārīḥ-i Ungurus de Terdžümān Mahmūd”, Acta Orientalia Acad. Scient. Hung. 13 [1961] 76 sq.), secundum quem Marčianus dux Illyriae a rege Stephano I. devictus erat (Györffy Gy., Honfoglalás előtti népek és országok Anonymus Gesta Hungarorumában [= Populi et regna ante occupationem patriae in Gestis Hungarorum Anonymi], Ethn. 76 [1965] 418 sqq.; cf. Szegfű L., Az Ajtony monda [= Fabula de Ohtum], AU Szeged, AH 40 [1972] pp. 4 sqq.).

Martinus — Sanctus Martinus episcopus Turonensis (hodie Tours) (obit anno 400) sanctus patrius Francogalliae Merovingensis est. Secundum discipulum eius et scriptorem curriculi vitae, Sulpicium Severum: “Igitur Martinus Sabaria Pannoniарum oppido oriundus fuit” (ed. C. Halm, Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum, I, Vindobonae 1866, p. 111), Simon de Kéza ideo fictum Macrinum Savaria ortum esse dixit, quia eum et Sanctum Martinum eundem esse putavit, quem autem — e textu legendae — Savariae natum esse comperit (Eckhardt 610). Adeo notum erat Sanctum Martinum e Pannonia ortum esse, ut statim ipse in mentem Th. incideret, cum nomen Macrini Savariensis audivisset. Locum natalem Sancti Martini Th. etiam ex Antonino comperire potuit, quamquam editio Antonini typis descripta satis corruptam formam textus fabulae reddidit: “Martinus igitur Sabaudie Pannoniарum oppido oriundus” (II, 10, 11, introductio).

Sabaria — Hodierna Savaria (Hungarice Szombathely) est in confinio occidentali Hungariae; ubi ruinae multorum aedificiorum temporum Romanorum inveniuntur. (Paulovics I., A szombathelyi Szent Márton-egyháznak, savariai Szent Márton születéshelyének rómaikori eredete [= De

origine ecclesiae Sancti Martini Savariensis fundatae temporibus Romanis et de natali loco Sancti Martini Savariensis] Acta Savariensia 4 [1944] pp. 5 sqq.) Cf. caput (21.), sent. 175.

tetrarcha ... gratia preerat — Secundum fontem Th., *Gesta saeculi XIII* Macrinus praeter Pannoniam provinciis Pamphyliae, Phrygiae, Macedoniae atque Dalmatiae praefuit. (Simon de Kéza nomen Pamphyliae, Macedoniae atque Dalmatiae ex Exordiis Scythicis scripsit. Eckhardt 605 sq.) Th. ut bellum posterius gestum Attilae argumentis confirmaret, Macrinum provincias alias rexisse scripsit, quarum nomina et quidem Moesiae, Achaiae, utriusque Thraciae et Macedoniae ex Antonino transcripsit (v. caput (16.), sent. 125).

Messie — Regio est ad Histrum a Belgrado ad orientem sita.

Achaye — Nomen regionis septentrionalis Peloponnesi, temporibus Romanis nomen totius paeninsulae erat.

utrique Tracie — Fines Thraciae ab Isidoro ita statuuntur: ab oriente Constantinopolis, a septentrione Hister, a meridie mare Aegaeum, ab occasu Macedonia (Etym. 14, 4, 6). Quia solum una Thracia est nota (Pauly—Wissowa, ser. II, tom. 6, 454 sq.), “utraque Thracia” a Th. probabiliter ideo scripta est, quoniam ipse “utramque Daciam” in animo habuit.

Dalmacie — Ora orientalis maris Adriatici est Dalmatia.

Macedonie — Fines eius apud Isidorum: ab oriente mare Aegaeum, a meridie Achaia, ab occidente Dalmatia, a septentrione Moesia sunt.

103 *Detricus de Verona* — Figura fabulosa nomine Dietrich von Bern (Bern = Verona) regis Ostrogothorum, Theodorici Magni (obiiit anno 526) est Detricus de Verona, cuius persona in poesi epica militari Germanorum gratia maxima valuit. Ut traditur, ille patria sua expulsus diu in aula Attilae vitam agebat, dum postea Hunnis adiuvantibus contigit, ut potestatem recuperaret. Ut exemplar virtutum militarium ipse etiam in cantu Nibelungorum commemoratur. (De coniunctione historiae Hunnorum compositae a Simone de Kéza atque fabulae Detrici cf. caput (14.). Bleyer J., A magyar hun-monda germán elemei [= Elementa Germanica fabulae Hunnorum apud Hungaros], Száz. 39 [1905] 732 sqq.) De compilatione scriptoris historiae Hunnorum, Simonis de Kéza figuram Detrici formantis v. Györffy pp. 162 sqq.

Detricus de Verona ... Germanie presidebat — In fonte Th., in historia Hunnorum hoc legitur: “Romani ... Detricum ... voluntarie super se regem prefecerant” (SRH I, 258). Textus a Th. ad opinionem saeculi XV transformatus est. Ipse principes producendo indicavit electores principes, Germaniam autem extollendo iam suo tempore imperium Germanicum factum commutatum esse affirmavit.

104 *Zazhalom* — Apud Anonymum ut “Centum montes” (SRH I, 95), medio aevo Százhalom (Csánki, III, p. 346), memoratur hodiernus locus Százha-

lombatta a Buda ad occidentem et meridiem apud ripam Danubii situs est, ubi locis editioribus sepulcra praehistorica inveniuntur.

Potentianam — Oppidum fictum, cuius nomen fons Th., *Gesta saeculi XIII* ad formam oppidi Italici — Piemontani —, *Potentiae* formavit. Hic, apud Polentiam secundum Iordanem dux Romanus, Stilicho quiescentes atque nil suspicantes Gothos invasit, primum vicit, sed postea Goths superaverunt. Erat autem etiam alia narratio, quae in *Chronico Novaliciensi* saeculi XI adnotata est, secundum quam Attila et eius Hunni invasores fuerunt. Rem igitur in Italia gestam historia Hunnorum in Pannoniam una cum loco eius transposuit (Eckhardt 617 sqq.).

Thetem — Vicus Tétény ad Danubium a Buda ad meridiem situs est. Vocabulum loci Th., qui loca prope Budam sita novit, textui inseruit.

Sicambriam — Urbs ficta tempore migrationis gentium, quae cum Aquinco, oppido Romano et cum oppido ei ad meridiem finitimo, Buda Vetere identificata est (cf. caput (3.), sent. 18).

Kelenfewld — Vicus Kelenföld medii aevi (de *historia eius tempore Arpadiano* v. Györffy, Budapest p. 272) ea parte, quae Tabán nominatur, hodiernae urbis Budapest situs erat, in ripa dextera Danubii, adversus portum de Pest. Nomen eius saeculo XIII Kispest aut Creynfeld, sed anno 1291 iam in forma Hungarica Kelenföld erat (v. caput (67.), sent. 298). Haec forma nominis probabiliter cum traiectu coniuncta erat. Ita Th. recte cogitare videtur affirmans formam nominis traiectui adiunctam esse.

Tarnokwlg — Hic est vicus Tárnok in confinio septentrionali et orientali comitatus Albensis, a Buda ad occasum et meridiem situs. Ad formam Tárnokvölgy v. Györffy, Budapest pp. 176 sq.

antique Hungarorum tradunt historie — Significatio non est probanda, nam Th. usque ad hunc locum quoque textum Gestorum transcripsit.

Tulnam — Hodie Tulln a Vindobona ad septentriones et occasum apud Danubium est.

ducatui Austrie — In *Gestis vulgo Austria* scribitur, quae a Th. accuratius circumscripta est.

Wienna — Scilicet Vindobona (hodie Wien).

Latinorum — Significatio vocabuli hoc loco, sed iam in *historia Hunnorum* Simonis de Kéza quoque sine dubio “Romanus” est.

tante rei perpetua ... solennem erexerunt — Romana columna inscripta aut statua quaedam iuxta magnam viam militarem Pannonicam Aquincum ducentem posita erat, quae scriptorem historiae Hunnorum impulit, ut sepulcretum Hunnorum bello occisorum atque eorum capitanei, cui Keve erat nomen, hic locaret (Bleyer op. cit. Száz. 39 [1905] 723; Eckhardt S., Attila a mondában [= Attila in fabula], in Németh, Attila p. 196). Opiniones, quas populus monumentis conspicuis adiungere solebat, ineunte saeculo XIV tam divulgatae erant, ut etiam in *Descriptione Europae Orientalis*, quae circa annum 1308 orta est, locum tenerent, at haec columna inscripta iam monumentum victoriae Hungarorum est. (“Vngari ... in

signum victorie perpetuum erexerunt ibi lapidem marmoreum permaximum, ubi est scripta prefata victoria, qui adhuc perseverat usque in hodiernum diem". Ed. O. Górká p. 44.)

Kewehaza — Vocabulum in *V₃*: Keueoza, in *B* et *D*: Keuehaza (SRH I, 260). Duo vocabula cum coniunctione "vel" a Th. coniuncta sunt. Forma prima vocabuli loci in *V₃* conservata est, quae etiam in diplomatis saeculi XIII scripta est: Keueozou (1271), Keweozowa (1298) (Csánki, III, pp. 349 sq.). Quid sit locus re vera, appositio vocabuli vallis demonstrat. Secunda pars vocabuli compositi: aszó, persaepe in vocabulis locorum invenitur, et significat: 'vallis, in qua vere ineunte parvus rivus tabescens nivis profluit, aliis autem temporibus exsiccatur' (Etym. Szótár, I, coll. 160 sqq.). Vocabulum loci iam saeculo XIV in forma Kajászó contractum est. Compar est hodierno vico Kajászószentpéter in comitatu Albensi a Martonvásár ad occidentem et septentriones (Csánki, III, p. 350). Vocabulum loci Keveháza in diplomatis non invenitur. Hoc iam a scriptore Gestorum formatum est (cf. Pais D., A -né képzők [= Syllabae paragogicae -né], MNy 47 [1951] 6 sq.). Id, quod vocabula locorum exeuntia in suffixa -háza, -falva, vulgo saeculo XIII exoriuntur, probabilitatem affirmat hoc vocabulum loci eo tempore ortum esse.

〈14.〉

Caput continet textum transcriptum historiae Hunnorum saeculi XIII cum recordatione Th. de fabula Detrici in lingua Hungarica enarrata.

111 *De bello ... commisso* — Index a Th. compositus est.

partes Pannonie Transdanubiales — Th. hic, sicut in capite superiore, Pannoniā eandem esse putat atque Hungariā.

Post hec Huni ... sub iugum redactis — Contra narrationem historiae Hunnorū, Hunni re vera ita Pannonia potiti sunt, ut imperium Romanū occidentale eam regi Hunnorū, Rueae (Rugae), qui ante Attilam regnavit, concedit (Pauly—Wissowa, IV, 2242. Váczy P., A hunok Európában [= Hunni in Europa], in Németh, Attila p. 88).

campo Kesmawr — Hic est vicus Zeiselmauer, olim Citium, colonia Romana a Tulna ad orientem in Austria Inferiore (Bleyer op. cit. Száz. 39 [1905] 723 sq.).

113 *halalthalon Detreh* — Cf. Sebestyén Gy., Haláltalan Detre (= Detricus immortalis), EPhK 24 (1900) 158 sq.

Hungarorumque ... usque in diem — Significatio Th. sine dubio ostendit canticum epicum de Detrico lingua Hungarica aetate Th. notum fuisse. Immo etiam ineunte saeculo proximo, ut Nicolaus Oláh testificatur: "Ob quod vulnus acceptum cognomen Detrico ab Hunnis inditum immortalis, quem in hunc diem Hungari in suis cantionibus more Graeco historiam

continentibus Detricum immortalem nominant". (Nicolaus Olahus, Athila, edd. C. Eperjessy—L. Juhász, *Bibliotheca scriptorum medii recentisque aevorum*. Bp. 1938, p. 37.)

Hunc Detricum ... refulsisse fabulantur — In Germanica fabula Dietrich 114 bene nota est famosa galea "Hiltegrin", quam Dietrich in cantico Eckenlied his verbis allocutus est: "sô du ie elter wirdest, sô wirst ie liehter var." (Petz, p. 43, ibidem — pp. 42, 94 — describitur, quo modo viri Germanici priores studiorum ad fabulam pertinentium periti J. et W. Grimm, W. Müller — etiam tractatum Th. respicientes — de fabula cogitaverint.)

Keme et Kadycha — Nomina sunt capitaneorum in capite (12.), sent. 96 enumeratorum.

Sufficit tamen ... persuadere potuit — Cum secundum historiam Hunnorum Romanos tantum "per plures annos" (SRH I, 260) ad bellum contra Hunnos incitare impossibile fuerit, tum Th. firmus in sententia sua, vocabula fontis sui temporis modum imponentia omnino omittit.

(15.)

Caput textum eo consilio transcriptum historiae Hunnorum saeculi XIII continet, ut Attila exemplum Mattheiae regis haberi possit.

De electione ... utebatur — Pars prima indicis e Chronicō Pictō transcripta 115 est: "De electione Atyle regis Hungarorum et de victoria eiusdem monarchiali" (SRH I, 260).

anno vigesimo octavo — Hic annus Chronicō Budensi deest, itaque Th. eum e Chronicō Pictō assumere debuit, item in fine capitū, ubi titulus regis describitur, vocabulum "rex Danorum", quod tantum in Chronicō Pictō legitur (SRH I, 261). Attila quidem anno 434 una cum fratre imperator Hunnorum factus est (Homeyer op. cit. p. 42; Váczy op. cit. in Németh, Attila p. 111).

Buda — Frater Attilae secundum Iordanem (Getica, § 180) Bleda appellatus est. In diplomatis Hungaricis nomen personae Buda saepe invenitur (Kovács, Index p. 113). A scriptore chronicī Hunnorū nomen Bleda ideo Buda mutabatur, ut origo nominis urbis Budae explicari posset (cf. caput (19.), sent. 162). Nomen Buda ne etymologicē quidem e Bleda derivari potest (Györffy, Budapest p. 251).

unanimi voto pariter et consilio — Haec vocabula in memoriam reducunt verba decretorum diaelialium Hungaricorum saeculi XV affirmantia cooperationem ordinum. 1447: "uno voto et voluntate" (Kovachich, Sylloge I, p. 116). 1462: "unanimi omnium consensu et voto" (Corp. iur. Hung.). 1481: "voto et unanimi voluntate" (ibid.). 1486: "unanimi omnium voluntate, consilio et assensu" (ibid.).

regia dignitate extulerunt — Th. hic, ut Hunnos separatos esse affirmaret,

vocabula illa fontis sui, quae significant Attilam “consuetudine Romano-rum” electum esse, omisit.

121 *In expeditione vero* — Secundum L. Hadrovics (A délszláv Nagy Sándor-regény és középkori irodalmunk [= Fabula Slavica meridionalis Alexandri Magni et litterae Hungaricae medii aevi], I. Oszt. Közl. 16 [1960] 288 sqq.) Simon de Kéza haec verba conscribens fabula Alexandri Magni typo Graeco scripta et aetate Belae III. translata in linguam Hungaricam uti potuit.

122 *a suis nimium timebatur* — Frigyes Riedl (op. cit. BSz 27 [1881] 339) acute dicit Th. in descriptione morum Attilam subtilitate quadam “renaissance” exornavisse et eum aliquo modo ut magnum “condottiere” depinxisse. Simon de Kéza ideo severitatem Attilae extollit, ut regem Hunnorum exemplum ad imitandum Ladislao IV., regi Hungariae illius temporis, cum divina iura et leges minus coleretur, ad imitandum proponeret (Kristó 1972, 13).

123 *Suis quoque ... gestari faciebat* — Astur erat totum stirpis Arpadianae animal proavus, ex quo gens, sua quidem opinione, orta est (cf. etiam caput (28.), sent. 201). Historia Hunnorum, ut Hungari atque Hunni iidem esse demonstrarentur, signum Attilae astarem fecit, cuius nomen ex Turcico vocabulo *toyrul* ('avis rapax') ortum in gestis Simon de Kéza servatum est: “avis ..., quae Hungarice turul dicitur” (Györffy, Tanulm. pp. 13 sq.). Historia Hunnorum, ut eo tempore, saeculo XIII mos erat, figuram gentis clipeo adipictam ostendit. Quod figura adipicta clipeo etiam in vexillo apparuit, a Th. insertum est. Saeculo XIV, ut minutae picturae Chronicorum Picti quoque ostendunt, in vexillis baronum vere insignia familiarium depicta erant (Csoma p. 11).

Engadi — Engadin in pago Helveticō Graubünden vallis superior fluvii Aeni dicitur. Incertum est, quo modo nomen eius in historia Hunnorū adnotatum sit. Cum opinione, quod in pago Wallis, qui Val d'Anniviers dicitur, posteri Hunnorū vivant (Hatvani M., Történelmi zsebkönyv. Rajzok a magyar történelemből [= Libellus historicus. Descriptiones ex historia Hungarorum], Pest 1859, pp. 490 sq.; Réthy L., A svájci “hunnok” [= Helvetici “Hunni”] Ethn. 1 [1890] 103 sqq.), coniungi non potest.

metus orbis et flagellum dei — Attributum “flagellum dei” opinionem vulgatam exprimit, ut depopulationes a barbaris factae hominibus Christianis divinitus causa puniendi accidisse videantur. Opinio e Sacra Scriptura oritur, ubi propheta Isaías praedicat Deum regem Assur Iudeos puniturum “virgam furoris mei et baculum” nominare (Is. 10, 5). Sententia iam apud scriptores Byzantinos legitur, ita apud Philostorgium, qui incursiones barbarorum tractans “de flagellis irae divinae” scribit, firmissime autem aequalis eius, Sanctus Augustinus conscrispit, “flagellum dei” nominans in opere “De civitate dei” Gothos Alarici. De iis nomen translatum est ad Attilam et Hunnos, quod autem attributum assiduum Attilae tantum saeculo XI factum est, praesertim in terra Italiae (Eckhardt op. cit., in

Németh, Attila p. 154). Attributum Hunnorum Attilaeve “flagellum dei” et Chronicon Budense et Anonymus memorant (SRH I, 254: “Unde Romani eos vocabant flagellum dei”; 61: “de genere Atthile regis, qui flagellum dei dicebatur”). Duo Gesta haud dissentia testificantur attributum supra dictum iam in fonte communi Chronicorum atque Anonymi infuisse. (De hoc Deér J., Szkítia leírása a Gesta Ungarorumban [= Descriptio Scythiae in Gestis Ungarorum], MKSz N.S. 37 [1930] 262; Kristó 1972, MKSz 171 sqq.) Attributum “metus orbis” ostendit historiam Hunnorum vocabulum “flagellum dei” ex opere Godefridi Viterbiensis accepisse (SRH I, 151, 261).

〈16.〉

Caput e significatione quadam historiae Hunnorum atque e Chronicō Antonini conscriptum est.

Quomodo ... participem — Index similiter indicibus capitum 〈17—19.〉 a 124 Th. conscriptus est.

in regie ... sublimatus exitit — Vocabulum simile est vocabulo, quod in introductione decreti Mattheiae anno 1458 legitur: “ad ... maiestatis fastigium fuisse sublimati” (Kovachich, Sylloge, I, p. 135).

Atila sedem ... elegit — Antoninus: “Attila igitur rex Hunorum cum fratre suo ... intra Pannonias habitabant” (II, 11, 8, 1).

innata sibi ambitione — Vocabulum, quo Th. textum fontis sui auxit, notam essentiale quamdam naturae morumque principum aetatis “renaissance” affirmat.

Belam fratrem suum — Antoninus: “cum fratre suo Bleda” (II, 11, 8, 1). Pro Buda hic a Th. per errorem nomen apud Antoninum repertum Bleda servatum est, tamen transformatum in formam apud Hungaros usitatam. Nomen fratris Attilae apud Iordanem (Getica § 180, 181) et in fontibus occidentalibus eum sequentibus Bleda est.

barbaras ... nationes — Th. Hunnos ita laudibus efferre studet, ut populos ab eis subactos barbaros nominet.

Belam fratrem ... rectorem constituit — Variantia Gestorum excepto V₂: “Budam fratrem suum de flumine Tysce (V₅: Tycie) usque Don principem constituit ac rectorem” (SRH I, 261). Vere Bleda et Attila post mortem regis Ruae anno 434 simul regnum occupaverunt, et quoniam exsistit fons occidentalis affirmans Bledam solum regnavisse, Attilam autem tantum post mortem Bledae regem factum esse (Pauly—Wissowa, IV, 2241), iure existimatur Bleda natu maior fuisse. András Alföldi in regno fratrum amborum regnum geminum manifestari vidit (A kettős királyság a nomádoknál [= Regnum geminum apud nomades], in Károlyi Ekv pp. 28, 34), cuius natura, exemplo omnibus noto adhibito, ita constituta est, sicut in Iaponia micado et shogun inter se coniuncti erant. Contra opinionem

Alföldi Györffy recte constituit regnum duorum fratrum nullo modo regnum geminum putari posse (Kurszán és Kurszán vára [= Curzan et castrum Curzan], Bud. Rég. 16 [1955] 11 sqq.).

125 *Post hec ... invasit* — Antoninus: “(Attila ... cum fratre suo ...) validarum nationum multitudine freti circumstantes provincias, scilicet Macedonia, Mesyam, Achiam et utrasque Thracias *immanissime* devastabat” (II, 11, 8, 1). Vocabulum typis inclinati expressum Th., quia contumeliosum esse putabat, omisit.

Post hec ... cure erat — In historia Hunnorum provinciae a Macrino adhuc ita enumeratae sunt: Pannonia, Pamphylia, Phrygia, Macedonia, Dalmatia (SRH I, 258). Th. de Macrino scribens Pamphyliam atque Phrygiam ideo cum Moesia, Achaia et Thraciis duabus permutavit, ut expeditionem hic enarratam Attilae iustum ostenderet. Imperio Romano orientali Bleda et Attila simulatque rerum potiti sunt, minaces obstiterunt et pacem tantum pro tributo magis magisque crescenti concederunt. Bellum atrocissimum Hunni anno 447 Byzantio intulerunt. Tunc usque ad Thermopylas pervenerunt 70 urbes atque arces depopulantes (Pauly—Wissowa, IV, 2244).

Marcianum ... imperatorem — E duce factus est imperator imperii Romani orientalis (450—457) post mortem Theodosii II., cuius sororem uxorem duxit. Imperium adeptus Hunnis tributum pendere desiit. Iordanes pacem eius cum Persis factam memorat (Romana § 333 M.G.H., AA tom. V/1).

126 *Nam statim ... treugas fecit* — Antoninus: “territus Marcianus, ne ad intima imperii penetraret et ipse cum Persis et Vuandalis pacem fecit temporalem” (II, 11, 8, 1).

Walmer ... Gothorum — Valamir rex Ostrogothorum, socius Attilae et ei valde dilectus erat (Iord., Getica § 199, 200).

Ardaricusque, Gepidarum rex — Ardaricus rex Gepidarum, in familiaritatem ab Attila receptus est (Iord. ibid.).

Marchomani — Gens Germanica erat, quae saeculo I a. Chr. n. in regione Bohemiae posterioris consedit.

Sweui — Nomen in ratione latiore agglomeratum gentium Germanicarum significat, inter quas etiam Marcomanni et Quadi numerabantur. In angustiore notione Suevi (hodierni Suebi) e Pannonia demigrantes saeculo IV p. Chr. n. a fluvio Moeno (Main) ad fluvium Nicer (Neckar) consederunt.

Quadi — Gens Germanica erat, quae saeculo II p. Chr. n. inter fluvios Moravam et Granum in regione hodiernae Slovaciae habitavit.

Eruli — Heruli, gens Germanica, quae praeter Danubium habitans cum Gothis contra Romanos pugnabat, praeter Rhenum Romanis serviebat, dein ad Hunnos se adiunxit. Saeculo VI ne vestigium quidem eius gentis relictum est.

Turringi — Germanica gens est, quam Iordanes (Getica § 280) iam in hodierna Thuringia habitantem novit.

Hac etiam regis ... sponte se dederunt — Antoninus: “Erant itaque tunc temporis illius subiecti dominio rex ille Geppidarum famosissimus Ardari-chus. Valemir etiam Ostrogothorum regnator ipse tunc ei serviebat rege nobilior. Insuper et fortissime nationes scilicet Marcomanni, Sueui, Sguadi, Eruli, Turingi” (II, 11, 8, 1). Iterata affirmatio subjectionis non coactae atque praedicatio confederationis coniunctae sunt cum contentione Th., qui eum modum, quo Matthias regnum ordinaverit, laudaturus erat.

⟨17.⟩

Caput ex historia Hunnorum atque chronicis Antonini est conscriptum et spectaculo factio auctum.

Rex igitur ... arbitratus est — Antoninus: “Horum omnium Attila 127 superbus imperio et virium robore fretus facile se posse putaret, quod cuperet” (II, 11, 8, 1).

curiam se celebraturum — Quod ad vocabulum pertinet, v. caput ⟨74.⟩, sent. 330.

multorum ... nobilium adventu tumescente — Vocabulum propinquum est vocabulo “multorum adventu nobilium fervet” capit. ⟨225.⟩, sent. 822.

Egressus ... invasisse — Illyricum, regio a Savo ad meridiem inter 129 Dalmatiam et Moesiam sita a Hunnis praedantibus iterum ac saepius vastabatur. Ita anno 441 una cum aliis urbibus etiam urbs Naissus (hodie Niš) direpta est. Anno 447 Attila usque ad Thermopylas et Constantinopolim penetravit, idem ipse insequenti anno postulavit, forum Illyrorum ne ad ripam Histri, sed in foro Naissi haberetur, anno autem 449, ut liber ac solitus ad occasum progredi posset, cum Byzantio pactum fecit (Váczy op. cit., in Németh, Attila 90 sq.).

Egressus ... pervagata — Antoninus: “egressus ... primo pervagata Germania” (II, 11, 8, 1).

intravit tandem in regnum Constantie — Constantia (hodie Konstanz) in Germania, ad lacum Brigantinum est. Simon de Kéza adhuc recte de transitu per Rhenum apud Constantiam scribit (“deinde Renum Constantiae pertransivit”, SRH I, 152 sq.). In Gestis vocabulum Renum in regnum mutatum est et sic scriptum est: “deinde regnum Constantie pertransivit”, SRH I, 246. V. Horváth pp. 366 sq. Hic a Th. textus corruptus transcriptus est.

rex Sigismundus — Rex quidam Burgundionum nomine Sigismundus annis 516—523 regnavit (Iord., Getica § 297). Burgundia omnino in regione Rhodani fluvii sita est. Burgundiones hic anno 443 conserderunt.

Basileam — Scilicet in Helvetia hodierna Basilea (Basel) est, quae re vera pars Burgundiae erat.

idem rex ... subdidit gente — Secundum Iordanem Burgundiones in proelio ad Catalaunum conserto contra Attilam pugnaverunt (Getica § 191).

130 *Argentinam civitatem* — Hodierna urbs Strassbourg est Argentina civitas ad Rhenum.

propter viarum ... Straspurg vocari — Origo etymologiae nominis incerta est.

131 *Deinde* — Tempus belli annus 451 est.

amoto exercitu — Simon de Kéza eadem via exercitum Hunnorum processisse scribit, quam ipse peragravit (Szűcs 575 sqq.).

Luxonium — Scilicet Luxeuil-les-Bains in Haute-Saône.

Bizantium — Hodie Besançon est in regione meridionali-orientali Francogalliae.

Chalom — Hodie Chalon-sur-Saône est ad meridiem a Dijon.

Masticon — Hodie Mâcon est ad meridiem a Chalon-sur-Saône.

Ligonem — Hodie Langres est ad septentriones a Dijon.

Burgundiam — Fortasse hodiernus vicus Bourgogne in Champagne est, sed, quoniam in gestis Simon de Kéza nomen in forma “Lugdulum Burgundiae” scribitur (SRH I, 153), forsitan Burgundiam significet.

Lugdunum — Hodie Lyon est.

Tandem per omnes ... omnia consumpsit — Antoninus: “Et quia nihil aliud quam christianorum sanguinem sitire videbantur, omnia divina simulque humana devastat, urbes munitissimas diruit, ecclesias incendit et velut seva tempestas omnia consumit” (II, 11, 8, 1). Idem: “per totas Gallias per eos tanta efferbuit dei indignatio, ut nullam omnino civitatem, castellum vel oppidum aliqua a furore eorum potuerit tutari munitio. Anno autem precedenti signa multa acciderunt. Nam terremotus assidui et signa plurima de celo ostenduntur. Vespere ab aquilone celum rubeum efficitur ut ignis intermixtis per igneum ruborem clarioribus lineis in hanc speciem deformatis. Luna obscuratur. Cometes appetit et multa alia, que non esse ociosa ostendit instans rerum consequentia” (II, 11, 8, 3). Vocabula typis inclinatis expressa Th. — quod indicium suae est sententiae — non transcripsit e textu Antonini.

Ethium ... patricium — Flavius Aetius (obiit anno 454) dux, ultimus magnus defensor imperii Romani occidentalis erat. Dignitas patricii ei anno 433 data est. Eum artissima cooperationis vincula cum Hunnis coniungebant. Pannoniam e foedere eis concedit, filium obsidem dedit, armis autem eorum iterum ac saepius adiutus est (Pauly—Wissowa, I, 701 sqq.).

Ethium ... subsidium advenisse — Antoninus: “ad subsidium Galliarum advolavit patricius Romanorum Ethius et ipse Theodorici regis Visigothorum ... aliarumque gentium copiis militaribus” (II, 11, 8, 3).

132 *Mirrhammon* — Nomen, quod in omnibus variantibus fontis Th. in forma aucta invenitur (Miramammona, Miramaniona, Miramanniona: SRH I, 265), e vocabulo Arabico emir-al-mumnin deformatum est, quod significat

'dominus fidelium' et titulus caliphorum sultanorumque erat (Du Cange, I, p. 225, "Amir"; idem, V. p. 406, "Miramomelinus"; Eckhardt 620).

Gallicie — Provincia Galicia in regione septentrionali et occidentali Hispaniae est. Hanc commemorans Th. monstrare voluit, quantum in geographia instructus esset.

urbe Sibile — Hodie urbs Sevilla est.

strictum Sibile — Hoc vocabulum loci fretum Gaditanum significat.

Marochiam — Hodie Marocco (Arabice al-Mamlaka al-Maghribija) dicitur.

Tertiam ergo ... se recepit — Fieri potest, ut clades caliphi anno 1212 ad Navas da Tolosa accepta atque post hanc fuga per Hispalem (Sevillam) in Marochiam ad narrationem historiae Hunnorum multum contulerit (Dománovszky pp. 56 sq.; Eckhardt 620 sqq.). Fons Th., historia Hunnorum sine ullo fundamento verba Iordanis et Godefridi Viterbiensis in falsam sententiam detorquens Hunnos in Hispania producit (SRH I, 265, adnot. 3 sq.). Sed fieri potest, ut memoria expeditionis Hungarorum in Hispania animum auctoris saeculi XIII commoverit et ipse excursionem Hungarorum in historiam Hunnorum transcriperit. De hac excusione Liudprandus de rebus circa annum 943 actis scribens sequentia dicit: Italicus rex Hugo se liberatus a Hungaris in Italiam medium ingressis et usque ad regionem Romae vagatis, decem modios pecuniae eis dedit, atque persuasit eis, ut in Hispaniam pergerent. Hungari ei obsides dederunt, ipse autem ductorem itineris praebuit. Finis itineris Cordoba erat. Ad hanc autem urbem non pervenerunt, quia, cum iam tres dies per regionem desertam aqua indigentes — profecto in parte orientali Aragoniae — proficiserentur, metuentes ne equi et ipsi siti perirent, ira inflammati ductorem corripuerunt et usque ad necem verberibus ceciderunt et iter intermittentes repente reversi sunt (Antapodosis, Gombos, II, p. 1474). Caliphus Cordobae anno 940, tempore expeditionis Hungarorum, Abderrahman III. erat, maximus imperatorum Muhamedanorum in Hispania, idem, qui in Hispania primus emir-al-mum-nin se appellavit. Paurer (Szt. István pp. 73 sq., 171) admonet populos Turcicos expeditionem usque ad fines Hispaniae facientes etiam a Mas'údi memoratos esse (Paurer—Szilágyi p. 279).

Rodano flumine — Fluvius Rhône est.

urbem Aurelianam — Hodie urbs Orléans est in Francogallia.

urbem ... obsedit — Antoninus: "Aurelianis [!] autem urbem obsidentibus Hunis cum rege suo" (II, 11, 8, 3).

Ne igitur Wissegothi ... in Gallis manentes — Visigothi anno 375 e regno 133 inter Carpathes et Borysthenem sito a Hunnis expulsi, anno 414 Aquitaniam in Gallia occupaverunt et obsederunt, ubi sedes eorum Tholosana civitas (hodie Toulouse) facta est.

Theodoricum ... regem — Theodericus I. (Theoderich) rex Visigothorum annos 419—451 regnavit.

Ne igitur Wissegothi ... contraxit in societatem — Antoninus: "Attila

calliditate barbarica previdens non fore tutum sibi, si Gothi, qui intra Galliam morabantur, ad bellum Romanis iungerentur, amicum se Gothis simulans solum adversus Romanos se asserit pugnaturum. Quas astutias Ethius non minori acumine previdens legatos ad Theodoricum, qui illo in tempore apud Tolosam imperabat, dirigit petens, ut cum Romanis contra Hunos pacis federa sociaret. Annuit Theodoricus Romanorum legatis et iuxta Ethii votum Romanis federatus est, non minus sibi quam eis prospiciens" (II, 11, 8, 3).

134 *eventum ab illo sciscitatus est* — Antoninus: "inquirit ..., quis esset belli futurus eventus" (II, 11, 8, 3).

136 *austeritatis gladium* — Vocabulum, quod a Th. posterius iteratur, de facto gladium quendam significat. Erat enim gladius, quem saeculo XI regia familia Hungarorum possidebat, qui gladius Attilae habebatur et identificabatur cum illo a Prisco Rhetore aut Iordane descripto. Hic erat gladius dei bellorum — Aris sive Martis —, quem secundum istos duos scriptores reges Scytharum ut rem sacram colebant. Pastor quidem vestigia cruenta vitulae claudicantis sequens gladium invenit et Attilae attulit, qui eum signum imperii orbis terrarum esse putavit (Iord., Getica 183). Secundum ethnologos vere erat mos orientalis originis gladium acie sursum versum in terram defodere. Herodotus morem huius modi apud Scythas vixisse comprobat, fabulae Hungarici populi autem opinionem vitam longam habuisse testantur (Heller B., Isten kardja [= Gladius dei], Ethn. 23 [1912] 323 sqq.). Lambertus Hersfeldensis saeculi XI in annalibus suis ad annum 1071 enarrat, quid gladio posterius acciderit. Mater Salomonis regis Hungariae eum duci Bavariae, Othoni de Nordheim donavit eo adiuvante sellam regiam Hungariae filio suo recuperatura. Dux gladium filio marchionis Dedi dedit, qui autem occisus est. Gladius nunc ad regem Henricum IV. Germanorum perlatus est, qui eum militi dilecto, Leopoldo de Merseburg dedit. Sed etiam hic fatali gladii exitu periret: cecidit de equo et incumbens gladio suo mortuus est. Secundum chronographum aequales gladium mirabilem letiferum esse possessori arbitrabantur, atque opinionem gladio annexam affirmatam esse putabant, scilicet ut gladius idem esset, quem Attila quondam habuit. Adeo, addit, "ut gladius ipse vindex irae dei sive flagellum dei a barbaris quoque diceretur" (Gombos, II, pp. 1391 sq.). Gladius, qui anno 1063 per viduam Andreae I. — per matrem Salomonis — ex aerario regio Hungarico in Bavariam delatus est, etiam hodie exstat: idem est atque ille una cum signis imperatorum Romanorum custoditus, qui dicitur gladius Caroli Magni. Hic a Benzo anno 1085 "gladius ultionis" nominatus est, quem, ut ipse arbitratus est, Henricus IV. in manu habet. Gladius coronandi, sicut constitui potest, non ex aetate Attilae remansit: secundum formam ornamentaque eius saeculo IX excusus est et similis est gladiis in sepulcris aetatis occupationis patriae Hungarorum repertis. Tantum opinio gladio annexa, quae tamen iam saeculo XI ostendi potest, illum cum nomine Attilae coniunxit et eundem esse voluit ac ille gladius, qui

apud Iordanem describitur (Tóth pp. 204 sqq.; Schramm, Herrschaftszeichen, II, pp. 487 sqq.).

Romanis prelio inferior eris — Antoninus: “Attile iniusta denunciant” (II, 11, 8, 3).

extinguetur imperium — Spectaculum eremitae a Th. inventum est (Eckhardt, Attila a mondában [= Attila in legenda], in Németh, Attila pp. 205 sqq.). Petz (p. 52) non recte intelligens narrationem Amadei de Thierry (Attila-mondák [= Legenda de Attila], Pest 1864, p. 16) affirmavit legendam Lupi, episcopi Trecacensis descriptionem spectaculi continere. In textu legendae (Acta Sanctorum Boll. Jul. VII, pp. 72—82) nihil de hoc agitur. Non est fortuitum, quod Th. eremitam producit. Comparatus ad collegia monachorum mendicorum, qui moribus suis aggredientibus fortasse animos Hungarorum aetate Th. a se abalienaverunt, ordo eremitarum Sancti Pauli admodum gratus apud populum erat. Monasteria eorum, in quibus modeste, se abscondentes vitam agebant monachi, a membris regiae aulae sicut domicilia tranquillitatis et silentii conspici poterant, vita autem similis actioni religiosae laicae in Batavia, quae “devotio moderna” nominabatur, videri poterat (Mályusz E., Zakon Paulinów i devotio moderna. Mediaevalia w 50 rocznice pracy naukowej Jana Dąbrowskiego [= Ordo Sancti Pauli et devotio moderna. Mediaevalia in opera litteraria Iohannis Dąbrowski 50 annos exercita], Warszawa 1960, pp. 263 sqq.). Monasterium eorum a Buda ad septemtriones in pulchra silvestri regione aedificatum, quod sedes primaria ordinis erat, ipse Matthias rex libenter frequentabat.

aruspices et ... casurum predixerunt — Antoninus: “auruspices atque ¹³⁷ divinos ..., qui gentili ritu exta pecudum scrutantes ... hoc tamen quantumcunque solacium fore, quod ex parte hostili summus duxtor in futuro bello occumberet” (II, 11, 8, 3).

Cathalanicos agros — Scilicet inter urbes Troyes et Châlons-sur-Marne in ¹³⁸ Champagne. Cf. A. Eckhardt, Une tradition hongroise sur les Champs Catalauniques, Revue des Études Hongroises 6 (1928) 105 sq. Opinio A. Alföldi, quod descriptio totius pugnae e vocabulis Eutropii falso perceptis atque perperam interpretatis manaret (ibid. 108 sq.), non probata est.

antique enim ... fuisse tradunt — Th. hoc loco necesse putat fontem ¹³⁹ Hungaricum memorare (SRH I, 265), quamquam iam superius ex eo sumpsit.

Anthoninus ... et Sigilbertus — Posteriorem Th. tantum e significatione ¹⁴⁰ Antonini novit. Antoninus: “fuerunt preterea Romanis auxilio Burgundiones, Alani, Franci cum eorum rege Meroneo, Saxones, Riparioli, Lambrianes, Sarmate, Armeratiani, qui nunc Brittones dicuntur, Luteriani, ubi nunc est Parisius ac pene omnis populi occidentis” (II, 11, 8, 3).

Alanos — Pars Alanorum e patria Caucasia tunc iam in Galliam migravit, et in regione Aurelianensi vitam agebat. Aetius et Theodericus, quia eis diffidebant, ante pugnam ad Catalaunum in media acie eos posuerunt, ne ad hostes transfugerent.

Francos — Significatio nominis est: 'liber'. Primum confoederationem populorum Germanorum praeter Rhenum inferiorem incolentium significavit.

rege ... Meraueo — Meroveus sive Merowech rex Francorum Salicorum medio saeculo V secundum fabulam eponymos stirpis Merovingiensis erat.

Saxones — Sedes nota eorum veterima praeter Albim superiorem sita est. Imperium Romanum a saeculo IV vexabant.

Ripariolos — Hoc est nomen gentium Francicarum habitantium praeter ripam dexteram Rheni.

Lambriones — Apud Iordanem (Getica § 191) memorantur Olibriones, incolae Gallici in valle Mosellae (Mosel) habitantes, qui Alobriges nominantur.

Sarmatas — Principio nomen collectivum est, quale etiam nomen Scytharum erat, significans populos incolentes Europam Septentrionalem et Orientalem. Saeculo I p. Chr. n. populus in Magna Planicie Hungarica vitam agens et Sarmaticus dictus, saeculo V a Gothis subactus e conspectu elapsus est.

Brittones — Apud Iordanem hi Armorici sunt nominati, igitur nomen incolarum Armoricae (Bretagne) est. Apud Th. nomen Brittones plus valuit, quam Armorici, ideo ab Antonino tantum "recentiorem" formam nominis transcripsit.

Luterianos — Apud Iordanem nomine "Liticiani" memoratus populus iam ab Antonino idem esse ac Luteriani, incolae regionis Parisiorum (Lutetia Parisiorum) dictus est. Nomen quidem Liticiani sive Laeti non populum, sed statum socialem significavit. Sic in Gallia Germani sua sponte se dediti nominabantur, quos Romani obligaverunt, ut militiam capesserent, et qui inter liberos et servos existebant (Pauly—Wissowa, XXIII, 446 sq.).

Gothorum regem ... occasum manentem — Index nominum, quem Th. ex Antonino transcripsit, usque ad Iordanem redit, sed iam amplificatus, immo etiam nonnulla nomina distorta continens. A Iordane (Getica § 191) insequentes octo populi enumerati sunt: *Franci, Sarmatae, Armorici, Liticiani, Burgundiones, Saxones, Ripari, Olibriones*. Ex Antonino Th. his Alanos addidit, Armorici autem cum Brittonibus permutavit. E nominibus reliquis pro Liticianis Luteriani, pro Riparis Riparioli, pro Olibrioniibus autem Lambriones scripti sunt, quod eos a Th. ignotos esse indicat. Index nominum conscriptus a Iordane iam etiam Simoni de Kéza notus erat, quorum autem ipse tantum summam fecit et a vocabulis "aliaeque nonnulli Celticae vel Germanicae nationes" additis decem eos fuisse scripsit (SRH I, 153 sq.).

141 *etiam cum interitu ... non formidabat* — Antoninus: "de Ethii interitu, quem summe desiderabat futurum, existimans non dubitavit cum suorum interitu bellum committere" (II, 11, 8, 3).

Convenerunt igitur ... differri nequibat — Antoninus: "post aliqua levia

certamina convenerunt utriusque partis exercitus in Catalanicis campis, qui ducenta in longitudine miliaria et septuaginta in latitudine continent. Cumque ad locum iam ventum esset, ubi certamen differi non poterat” (II, 11, 8, 3).

Quapropter advesperascente ... traheret peremtorum — Antoninus: “Et ^{142–143} advesperascente iam die pugna committitur hoc animo, ut, si Attila superaretur ab hostibus, noctis beneficio cum suis facilius evaderent. Itaque ab utraque parte acies concurrunt bellumque inchoatur, quale vix ulla narrat hystoria ... multaque milia hominum hincinde prostrantur. Repleta erat omnis illa planicies cadaveribus adeo, ut necesse esset etiam supra occisorum corpora ipsorum pugnare bellatores ..., tantusque ibi effusus est sanguis tum ex hominibus tum ex equis, ut parvus rivulus, qui medio campo fluebat, adeo excresceret, ut torrens effectus cadavera secum traheret peremtorum” (II, 11, 8, 3).

Cecidit in hoc ... cuneos interfectus — Antoninus: “rex Gothorum ¹⁴³ Theodoricus inter fortissimos hostium cuneos occiditur” (II, 11, 8, 3).

ex utraque parte ... perisse traduntur — Antoninus: “Referunt hystorie ex utraque parte in hac pugna centum octuaginta milia hominum cecidisse” (II, 11, 8, 3). Ex vocabulis Th. credi possit eum multos scriptores perscrutatum esse, re vera autem verborum suorum fundamentum non nisi haec sententia Antonini est.

in chronicis Hungaricis ... fugisse posuerint — Narratio Gestorum de fuga ¹⁴⁴ regum sociorum occidentalium: SRH I, 266.

Sigilbertus ... ac Anthoninus — Partes singulae proelii, quae e narratione Iordanis (§ 194–217) manant, authenticae esse videntur: nimium atrox proelium sero tempore postmeridianum commissum est, Attila in carraginem repulsus est, rex Hunnorum moriturus ad mortem se praeparat, Aetius Attilam non perditurus, solum repulsurus erat (cf. Váczy op. cit., in Németh, Attila pp. 132 sq.).

cum diu equo ... inter munimenta continuisset — Antoninus: “a diuque equo Marte pugnatur acerrime ... cessit Attila exercitus ... Attila se fugatum ac victum confitens cum suis intra plaustrorum munimenta se continuuit” (II, 11, 8, 3).

Thorismundus — Thorismund (Thorismundus) rex Gothorum occidentalium annis 451–453 regnavit.

sequenti vero die ... auxiliariis dispersus est — Antoninus: “sequenti vero die ... Thorismundus ... regis Gothorum filius, qui cum patre contra hostes pugnaverat, mortem patris Hunorum sanguine vindicare volens castra Attile oppugnare cum suis Gothis dispositus. Quod postquam Attila competit, et de vite fiducia iam desperans ex equitum sellis struem magnam componi iussit. Quam ascendens mandavit suis, ut si hostes urgerent, igne supposito potius cremaretur a suis, quam hostium gladiis interiret aut captus a Romanis aut Gothis ludibrio fieret et rex tantarum et fortissimarum nationum in manus hostium deveniret. Ethius vero incaute perpendens

perempto Attila ac eius exercitu usque ad internitionem deleto Romanos posse facile a Gothis opprimi, Thorismundo quasi eius rebus consulens persuasit, ut domi quam citius revertatur et regnum paternum acciperet. Addens, quod si ab eius invaderetur germano, acerbius illi esset cum suis quam cum hostibus dimicandum. Hoc ille consilium tanquam sibi expediens libenter amplectens domi reversus copiis regnum paternum sine controversia aliqua suscepit” (II, 11, 8, 3).

147 *horum quidem ... hispanos vocatos* — Secundum Simonem de Kéza a Hunnis capitanei ex ipsis electi sunt, a communitate autem capitaneus, qui non integer erat, honore submoveri potuit. Capitanei ita descripti a Simone de Kéza identificantur cum comitibus, qui saeculo XIII comitatibus praefuerunt, scilicet cum baronibus magna potestate, quibus a rege munus mandatum est et tantum ab ipso revocari potuerunt. Eo, quod capitanei Hunnorum identificantur cum comitibus Hungaricis apud Simonem de Kéza, exprimitur opinio nobilium hominum, qui postulare cooperant, ut comitatibus ii comites praesessent, qui e nobilibus electi essent, atque a communitate nobilium revocari possent (Kristó 1972, 10 sq.). De significacione vocabuli “capitaneus” in Latinitate Hungarica v. caput 〈30.〉, sent. 206.

horum quidem ... accepisse tradunt — Annominatio, quae a scriptore historiae Hunnorum excogitata est, tantum in lingua Hungarica habet rationem. Vocabula comes vel capitaneus significant in lingua Hungarica “ispán”, nomen Hispanum Latine est Hispanus, ergo vocabulum pronuntiatum “Hispanus” idem est atque comes. Secundum Györffy nomen comitis Simonis ad etymologiam inveniendam impulsum dedit, qui in duobus diplomaticis regiis datis anno 1243 “Yspanus” ‘Hispanus’ et “de Yspenia” ‘Hispaniensis’ nominatus scribitur (Györffy p. 172.).

〈18.〉

Caput e duabus enuntiationibus historiae Hunnorum (SRH I, 267) atque e chronico Antonini conscriptum est.

148 *Stella cadit ... maleus orbis* — (Walther omittit.) Fons, e quo Th. hexametrum transcripsit, ignotus est. Vocabula a poeta quodam et quidem admiratione digno scripta sunt, itaque veri simile non est, quod auctor ipse Th. esset. Tali opinioni etiam deliberationes ad argumentum pertinentes contradicunt, quia verba iam saeculo XIII in chronicis variis leguntur, ubi tamen ea imperatori Friderico II. adscribuntur:

Fata monent stellaeque docent aviumque volatus,
Quod totius ego malleus orbis ero.
(Walther 6281.)

Imperator esset primus, a quo sententiam pronuntiatam esse traderetur,

atque Th. transtulit Attilae auctoritatem verborum ei quoque convenientium — sic quoque cogitare possemus. Hoc autem minime veri simile est. Et augurium et auspicum elementa vetera famae Attilae sunt, quae iam Iordanes quoque conscripsit. Igitur multo veri similius est sententiam e fabula Attilae notam, quae rem de eius vita facete narratam exprimit, ab existimatione vulgi imperatori Friderico attributam esse. Similitudo, quae exstat in necessitudine Attilae et imperatoris cum papa, multum adiuvabat, ut declaratio transferri posset, quippe ambo ei adversati essent. Nam regem Hunnorum non verecundia papae, sed visus divinus exercitum reducere coegit. Simile elementum commune est rejectio vaticinationis, in casu Attilae ab eremita, in casu autem Friderici responso, quod papa imperatori minitanti — secundum Chronica Mantuana circa annum 1275 scripta — dedit:

Fata silent stellaeque tacent, nil praedicat ales,
Solius est proprium scire futura dei.
(Walther omittit.)

Hexameter a Th. traditus, contra illum annotatum saeculo XIII, veterior ac verior esse putatur, quia vera poetica virtute scriptus videtur. Amplificari item adhuc in fabulis de Attila narrantibus potuit; saltem quod ad casum pertinet, qui ad Aquileiam evenit. Th. ita fabulam, quae e fonte incerto ante saeculum XIII tradita est, posteritati servavit (Trencsényi-Waldapfel I., "Csillag esik, föld reng ...", Magyar Századok. Irodalmi műveltségünk történetéhez [= "Stella cadit, terra intremiscit ...", Saecula Hungarica. Ad historiam eruditionis litterariae Hungaricae], Bp. 1948, pp. 253 sqq.). Non ignorantis rationem scribendi Th. — famam oralem omnino et a primo neglegere debemus — fontem eius talem auctorem esse iudicamus, de quo gloriari ipse Th. noluit, non magis quam appellando Pompeium (cf. caput (236.), sent. 872) de Petro Comestore. Veri simile est Th. hunc auctorem cognovisse, cum studiis operam daret. Si igitur arbitramur Th. hexametrum non ex opere auctoris veri transcripsisse, sed e litteris in schola institutis, tum quidem explicari potest ex antiquis exemplaribus traditum esse, tamen putandum est eum aetate imperatorem Fridericum antecedenti ortum esse atque quidem in Hungaria per suboles ut unum ex lineamentis, quae imaginem Attilae componunt.

deinde — Post pugnam ancipi Marte ad Catalaunum pugnatam, quae Attilae re vera cladem attulit, rex Hunnorum exercitum in Pannionam reduxit, atque ita omnia, quae in Gallia (anno 451) evererunt et quae ad legendas oriendas occasionem praebuerunt, pro necessitate rerum ante pugnam ad Catalaunum facta sunt.

deinde ... aggressus est — Antoninus: "tanquam leo insaniens liber dimissus e carcere cum his, qui bello superfuerunt, quorum adhuc erat populus infinitus, iterum Gallie civitates aggreditur" (II, 11, 8, 4).

149 *Trecas* — Hodierna urbs Troyes in Champagne, etiam hodie sedes episcopalis est.

sanctus Lupus erat episcopus — De priore variatione legendae Sancti Lupi (M.G.H., Script. rer. Mer. III, 120 sq.), quae apud Antoninum invenitur, Eckhardt (op. cit. in Németh, Attila pp. 161 sq., 303) scribit.

divino obumbrante numine — Sententia Th. perspicua erit, si cum fonte comparatur. Antoninus solam interpretationem possibilem prodigium divinum esse putat, cur Hunni nil conspexerint, ut autem Th. tradit, hoc tantum nonnulli credunt, adversus quod secundum ipsum veri similius esset existimare episcopi humanitate, eo igitur habitu, qui specimen cultus humani saeculi XV erat, hostes obstupefactos esse.

Demum igitur ... transierunt per civitatem — Antoninus: “Deinde Trechas venit, in qua civitate sanctus Lupus erat episcopus, qui pontificali habitu decoratus cum suo clero obviam Attile venienti processit. Cunque coram illo venisset et ad eum fuisset admissus, ait: Tu quis es, qui terram dissipas atque conculcas? Cui Attila: Ego sum Attila rex Hunorum flagellum dei. Ad quam vocem iussit episcopus portas civitatis aperiri et ait: Benevenerit flagellum dei. Et induxit illos in civitatem, sed dei iudicio statim, ut ingressi sunt, omnes percussi sunt cecitate et transeuntes per medium civitatem nulli lesionem fecerunt” (II, 11, 8, 4).

150 *Remensem civitatem* — Hodierna urbs Remensis (Reims) est in Franco-gallia septemtrionali. Quod ab urbem Tolosam (Toulouse) pertinet, fons unicus Th. historia Hunnorum (SRH I, 267) fuit, sed vocabulis eius de oppugnatione urbis Remensis memorantibus quoque usus est. Quod Attila in urbem Tolosam ingressus sit, a historia Hunnorum fictum, sive a Iordanis narratione (§ 218), quae Thorismundum regno tranquille potitum esse refert, detortum est.

151 *Depopulata igitur ... obsidione circumveniens* — Antoninus: “interea civitate obsessa et omni regione depopulata christianos tamen velut deorum suorum inimicos et moribus suis contrarios delere cupiebat” (II, 11, 8, 2). Vocabula typis inclinatis expressa Th. omisit.

Erat civitate ... insignis virtutibus — Antoninus: “Clarebant in Galliis Nicasius Remensis civitatis episcopus et Anianus Aurelianensis episcopus magnis virtutibus insignes” (II, 11, 8, 2).

sororem Ewtropia denominatam — Antoninus: “cum sorore Eutropia” (II, 11, 8, 2).

152 *Subveni ... se subiciamus* — Secundum textum Antonini cives interrogant, subiciantne se. Incertum est, utrum ratio commutata vocabulorum celeri opera Th. interpretandum, an ludibrium habendum sit.

152—154 *Acrius igitur Hunis ... martyrii coronam animabat* — Antoninus: “illis fortiter circumquaque preliantibus cives terrore percussi ad sanctum Nicasium in oratione prostratum cucurrerunt interrogantes, quid utilius fieri decerneret, aut servituti gentium se tradere aut usque ad mortem pro salute urbis dimicare. Qui presciens ex revelatione dei urbem penitus subverten-

dam cum magna constantia respondit: Indignationem hanc iusto dei iudicio vestris sceleribus provocatam non ignoramus. Quapropter ad flagella divina compuncti non inviti aut desperantes, sed patientes devotissime cum summa spe salutis nostre suscipiamus mortis periculum, quatenus ipsa mors presens non supplicium nobis fiat, sed remedium. Ecce ego quasi pastor pro ovili mori paratus sum. Instantius oremus pro inimicis nostris salutem illis optantes tanquam amicis. Sancta quoque Eutropia germana sua expansis ad celum manibus plebem pro viribus ad martyrii coronam excitabat” (II, 11, 8, 2).

Adhesit pavimento anima mea — Psalm. 118, 25.

Inter hec Huni ... secundum verbum tuum — Antoninus: “Dum ergo furibundus paganorum impetus irruit, vir sanctus comitante sorore cum ymnis et cantis spiritualibus ad ostium basilice sancte genitricis dei Marie, quam in arcem sedis fundaverat, eis occurrit, moxque, ut ferratas acies vidit, manu silentium indicens ait: O nutibus divinis ministra fortitudo, quare contra naturam humane conditionis victoriam vestre dignitatis in rabiem convertitis. Nam veri iuris titulus quondam nobilium bellatorum inscriptus erat: parcere humilibus et rebellare superbos. Et ecce plebs christiana deo suo humilis et devota vestris in conspectibus prostrata remissionem peccatorum usque ad mortem obediens expectat. Penitemini et vos pro sceleribus vestris deum verum agnoscentes, ne forte indignatio eius, que per vos aliis fit ad correptionem salutis, vobis fiat stipendum tartaree damnationis. Quos si oves meas perseverante impietate queritis, trucidare me primum pro ipsis victimam divine maiestati libate, ut pariter celesti beatitudine digni mereamur inveniri. His dictis cum in oratione prostratus hunc versiculum episcopus decantaret: Adhesit pavimento anima mea, continuo ictu gladiatori sequente capite truncato verbum sanctitatis ab ore decollati non destitit, sed immortalitatis sententiam, quam petiit, adimplendo impetravit dicens: Vivifica me secundum verbum tuum” (II, 11, 8, 2). Versus citatus e Sacra Scriptura, cui Th. suo arbitrio verbum “Domine” adiecit, Psalm. 118, 25 est.

in quibusdam historiis — In sequentibus Th. fontem, quem adhuc habuit, 157
constanter sequitur, atque ita inserta vocabula tantum lecturos in opinionem adducere volunt, ut credant ipsum descriptionem e pluribus fontibus repetivisse.

Sancta autem virgo ... corpora condigne sepelivissent — Antoninus: 156—157
“Sancta vero Eutropia videns circa se impietatem mitigatam et pulcritudinem suam quasi litibus paganorum reservatam, super interfectorum sacerdotis insiliens ait: Heu tyranne crudelis magnum dei virum indignis manibus iugulasti et me tibi abutendam reservas. Divina nanque te iam sententia damnat. Tunc eum ad martyrium suum provocans saltu repentino raptis palpebris non feminea virtute sed divina ultione oculos eius vindex evulxit. Et sic confestim gladios consequentium incurvare, quam delectationibus paganorum assentiendo succumbere mallens, illico cum germano suo et

ceteris palmam martyrii promeruit. Universa autem expleta cede martyrii inundante sacro sanguine terror subitus persecutores invasit. Quasi dimicantes acies celestes videntes horribilique sonitu ecclesia ipsa roboante ita, ut relictis spoliis urbis per compita irrevocabiliter fugerent. Sicque diu solitaria permanente civitate sub custodia tamen angelica martyrium ibi corpora servabantur. Ita ut in noctibus a longe cernerentur lumina et suavissimi soni pro choreis supernarum virtutum sydereis a multis audirentur carmina. Unde et ex revelatione divina ac virtutis iam iamque confortati concives paucissimi, qui ad sepeliendum sanctorum corpora remanserant, divina providentia disponente ad urbem cum ieuniis et orationibus prope rantes ibique odorem suavissimum sentientes gemitum gaudio miscentes in locis congruis corpora sanctorum humaverunt" (II, 11, 8, 2). Legenda non omnium consensu ad Attilam adjuncta traditur. Sigebertus Gemblacensis saeculo XII quidem, sicut etiam Antoninus, fons Th. res aetate Attilae factas esse dixit, sed Vincentius Bellovacensis saeculo XIII Vandalos caedis Nicasii et Eutropiae incusavit (Eckhardt op. cit. in Németh, Attila p. 163). Textum legendae antiquissimum, qui excepto quod Vandalos pro Hunnis producit, haud discrepat narrationi, quae apud Th. legi potest, v. ad Analecta Bollandiana 1 (1882) 609—613, 2 (1883) 156—157.

(19.)

Caput ex historia Hunnorum et chronico Antonini conscriptum est, cui interpretatio duorum nominum et spectaculum fictum a Th. adduntur.

158 *Julium vel Gywlam* — Quod nomen Iulius atque Hungaricum nomen Gyula idem esse dicuntur, hoc loco primum invenitur.

civitatis Coloniensis — Scilicet Colonia Agrippinensis (hodie Köln) in Germania.

Agrippina — Interpretatio a Th. inserta est demonstratura ipsum geographiae haud ignarum fuisse.

Inter hec ... vocabatur, destinavit — Antoninus: "principes Maximus et Africanus gentiles ... miserunt nuncium ad Iulium cognatum suum principem regis Hunorum" (II, 11, 8, 7).

cetus ille undecim ... ad interitionem delevit — De martyrio Sanctae Ursulae et undecim milium virginum paucis verbis iam in historia Hunnorum quoque mentio facta est (SRH I, 267), atque ita descriptio copiosior Antonini a Th. facilius inseri potuit. Legenda ante saeculum IX non erat nota, atque nullum fundamentum historicum habet, a saeculo XII autem etiam in libris historicis inscripta est, primum in chronico Sigeberti Gemblacensis (Hauck, Realenc. XX, pp. 354 sqq.).

sancta Ursula ... sponsa suo — Antoninus: "sancta Ursula unica filia ...

Brittannorum principis ... a filio regis Anglie ad nuptias peteretur; sponsus Ursule Ethereus" (II, 11, 8, 7).

Cyriaco papa — Papa hoc nomine nominatus non est notus. Nomen eius saeculo XII apparebat. Anno 1155 enim coemeterio Sanctae Ursulae, ubi cadavera virginum martyrio occumbentium quaerebantur, multa sepulcra virorum inveniebantur cum titulis incisis, qui testari videntur ibi cardinales, episcopos, sacerdotes immo unum ex eis papam Cyriacum fuisse. Inscriptiones posterius insculpti sunt, ut explicaretur, quo modo cadavera virorum in coemeterio sepeliri potuissent. Sicut saeculo XII interpretabatur, papa signo divino motus catervam peregrinantium undecim milium virginum prosecutus est. Dignitate igitur sua se abdicavit, quod tamen clerus Romanus tantum vituperavit, ut nomen eius ex indice nominum paparum deletum sit (Wetzer—Welte III, col. 1280).

dictus prefectus ... ad interitionem delevit — Antoninus: "iniqui principes ... timentes ne ... nimis christiana religio augeretur, ... miserunt nuncium ... ut ... totam illam multitudinem trucidaret ... Ciriacus papa cum dicta multitudine virginum ac etiam associatis eis pluribus episcopis sanctis Coloniam proficiscebatur ... ad quas egressas de navibus Huni, qui tunc Coloniam obsidebant, ut lupi in oves omne illud sacrum collegium martyrio ad celum transmiserunt" (II, 11, 8, 7).

Harum sanctorum ... admitti condignum est — Antoninus: "hoc loco ¹⁵⁹ chronicorum suorum Sigilbertus describit harum passionem, quia sub Hunis passe sunt, qui isto tempore maxime invaluerunt in terra. Sed longe ante ex hystoria earum appetit eas passas, nam et ipsi Huni etiam longo antetempore coperunt sua loca originalia deserentes per orbem discurrere; passe sunt autem secundum alios anno domini CCXXXVII tempore Antheros pape et Maximiani imperatoris" (II, 11, 8, 7). Th. igitur ab Antonino comperit aliam opinionem quoque de anno martyrii esse. Antoninus, quia dubium erat, an legenda Ursulae vera dici posset (Iacobus a Voragine: Legenda aurea, Gobelinus Persona: Cosmodromium), tempus saeculi III quidem rectius esse putavit, Th. autem secum considerans, quando Hunni in Europa versati essent, sententiam Sigeberti secutus est.

omnem Galliam — Antoninus: "Gallie civitates" (II, 11, 8, 4).

Isinacum — Hodie Eisenach est in Thuringia.

Desiderabant enim... tranquillitate remisit — Principes vicinos ad Attilam ¹⁶⁰ adiisse Th. inseruit, hoc modo demonstratus, quo modo rex Matthias amicos futuros magnificentia obstupefacere atque donis sibi obstringere vellet. Hospitibus quidem munera afferre mos vulgatus erat, Matthias autem mirum in modum largiebatur sic adepturus, quod sibi proposuit. Maxime noti sunt conatus eius, quibus gratiam duorum marchionum Brandenburgensium consecuturus fuit. Fridericum Vratislaviae (1469) magno hospitio accipit, ei blanditur, se sororem patrualem eius uxorem ducturum esse promittit, atque offert permutando pro consiliis bonis duo milia florenorum et cum ille pecuniam accipere recusat, ad stationem

proximam itineris marchionis una cum epistula mille florenos praemitti iubet haud ignorans marchionem ab animo impetrare non posse, ut pecuniam repudiret (Hóman—Szekfű, III, p. 343; Fraknói V., Mátyás király és a Hohenzollernek diplomatai érintkezése [= Consuetudo diplomatica regis Matthiae cum familia de Hohenzollern], Tört.Sz. 3 [1914] 70 sqq.).

Dacos ... Prutenos — Populos enumeratos subigere Attila secundum historiam Hunnorum saeculi XIII sibi proposuit, itaque significatio nominum e medio aevo — non autem e tempore migrationis — definienda est. Ita nomen Daci idem est, quod nomen Danici significat, Normanni nominantur incolae viventes in hodierna Normandia. Frisones sunt, qui Hollandiam atque extremas regiones septentrionales Germaniae incolunt, nomina Litvani et Pruteni autem Lithuanos et Borussos significant. Nomen “Norvagii” in gestis Simonis de Kéza, forma autem nominis “Noruani” in S (SRH I, 156; 268) affirmant historiam Hunnorum Norvegos subigendos putavisse.

160—161 160—161 *Audivit post hec ... venit in Pannoniam* — Antoninus: “Attila ... audivit adhuc Romanos et Gothos simul iterum contra se copias adunare ac bellum instaurare. Quo comperto festinanter relictis Galliis rediit” (II, 11, 8, 4).

161 *Sicambriam urbem Atile* — Sedes Attilae eadem est ac Buda super ruinis Aquinci Romani saeculis XI—XII exstructa iam apud Anonymum, qui exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII vitam agebat. Historia Hunnorum adiciens coloniam Romanam Sicambriam appellatam esse, identificationem “urbis Attilae” et Budae accepit (v. caput (3.), sent. 18 et caput (13.), sent. 106).

Budawara — Haec forma “Budawara” nominis urbis Budae iam apud Anonymum in forma Buduar invenitur (SRH I, 35). Vocabula Hungarica város (civitas) et vár (castrum) saeculis XI—XII adhuc eundem sensum habent. Ambo coloniam aggeribus atque ligneis munimentis munitam significant, plerumque sedem singulorum comitatuum. Eas ita ortas esse cogitare possumus, ut iuxta sedem comitis, qui comitatui praeerat, opifices habitaverint, mercatores conditionis liberae domicilium collocaverint, fundamentum alicuius urbis futurae ponentes. “Budawara” sedes castrum regium erat, quod saeculo XIV in possessionem reginae venit.

Atila eundem ... manibus occidit — Antoninus: “Attila autem regni cupiditate adductus fratrem suum Bledam dolo circumventum occidit” (II, 11, 8, 1). Ex Iordane quoque cognitum est (Getica § 180, 181) Bledam ab Atilla occisum esse, hoc autem anno 445 factum est (Pauly—Wissowa, IV, 2244), prius igitur, quam bellum Gallicum ortum est.

162 *O Buda* — Óbuda (Buda Vetus) iam in gestis Simonis de Kéza quoque (SRH I, 156) memoratur. Buda enim a medio saeculo XIII adversus Pest post incursionem Tartarorum (1241—1242) civitas in monte condita nominatur. Nomen huius civitatis principio incertum erat: Novus Mons Budensis, Mons Pestiensis, Castrum Pestense, Castrum Budense atque alia nomina habuit (Györffy, Budapest p. 298), brevi autem nomen Buda stabilitum est

atque simul civitas prima nomen “Buda Vetus” accepit. Buda Vetus (Óbuda) igitur post medium saeculi XIII ortum vocabulum loci est. Anno 1270 rex Stephanus V. “in Veteri Buda” diploma edit (Reg. Arpad., II/1, num. 1967). Adhuc prior est mentio anno 1261 adnotata, quae ut veterrum notum argumentum in nominatione capituli Budensis legitur: “Veteris Budensis” (ibidem II/2, num. 2123). Bleda igitur nil ad Budam pertinet, sed e contrario, historia Hunnorum e vocabulo loci Buda nomen Bleda in formam Buda transformavit (Horváth, Hun-tört. p. 466).

Eczelpurg — Nomen e cantu heroico Nibelungorum ortum est, in quo adhuc generaliter Etzelnbürge, Etzelen purc nominatur castrum Etzel (Attilae), neque epicum opus Biterolf, quod saeculo XII exeunte atque saeculo XIII ineunte ortum est, certum locum eius constituit, quamquam hic Etzelburg iam vocabulum loci est (Heinrich G., Etzelburg és a magyar hun-monda [= Etzelburg et fabula Hunnorum apud Hungaros], Ert. nyelvtud., X/2, Bp. 1882, pp. 5, 17, 21 sq.; Hóman B., Geschichtliches im Nibelungenlied, Ungarische Bibliothek, Erste Reihe, 9, Berlin und Leipzig 1924, p. 29). Sed opus “Historia de expeditione imperatoris Friderici”, quod ab Ansberto scriptum esse putatur, et descriptionem expeditionis pro sacris Christianis susceptae ab imperatore Friderico I. et notitias observationesque testium et spectatorum continet (Lhotsky pp. 226 sq.) locum, ubi legati imperatoris anno 1189 regem Hungarorum reperiunt, ita designat: “apud civitatem Ungarie, que Teutonice Czilnburg (recte: Ezilnburg) dicitur” (Gombos, I, p. 296) et Arnoldus Lubecensis (obiit anno 1212) in opere “Chronica Slavorum” item de bello tertio pro sacris Christianis suscepto narrans, Budam Veteranum “urbem Adtile” nominat (Gombos, I, p. 305). Apud aequalem eorum, Anonymum “civitas Athile regis” item eadem est atque Ecilburg Germanorum (SRH I, 35, 94).

licet ipse rex ... eodem nomine vocant — Vocabula locorum e nominibus personarum derivata e vicinis orta dici possunt. Nam id constituere, quod agrum quendam quis possideret, vicinorum intererat — ut situm loci accuratius circumspicere quirent —, non autem possessoris, qui una cum familia domesticisque ibi habitabat. Quamquam, quia usitatum erat nomina locis dare, itaque vocabula locorum sua sponte orta sunt, sententia Gestorum, ex qua vocabulum loci cuiusdam iussu aliquo mutari non potest, vero non repugnat. Secunda parte quidem saeculi XIII diploma quoddam simile institutum regium continet. Anno 1266 tunc adhuc rex iunior, qui postea rex Stephanus V. nominatus est, comiti Parabuch plus agrorum dedit, atque eundem ac possessorem aliorum agrorum, quos comes a rege Bela IV. dono acceperat, confirmavit. Nomina vetera horum agrorum, in comitatu Arad Tömörkény, in comitatu Chanadiensi Felgödös et Vonuz rex delevit et omnes illas terras in posteritate Parabuch nominari iussit, ita affirmaturus, ut dona nunquam interitura essent, diplomata autem de his edicta in dubium non revocanda essent (“ut ipse collaciones obtinere dignoscantur roboris perpetui firmitatem et ne ullo unquam tempore aliquo

ingenio contra ipsas literas aliquas debeat attemptari, nomina earundem terrarum mandamus penitus aboleri et Parabuch nomine singulas ordinamus et statuimus apellari". Ortvay, Temes p. 4. Cf. Reg. Arpad. II/1, num. 1856). Iussus regis numquam ratus factus est, tres possessiones vocabula primaria sua servabant, neque ulla earum Parabuch nominata est (Györffy, Tört. földr. I, pp. 187, 857, 877).

Tandem rex ... annis quievit — Hic atque in capite insequenti Th. ex historia Hunnorum scribit quinque annos post pugnam ad Catalaunum et post mortem Bledae peractos esse usque ad bellum Italicum. Vere post bellum Gallicum iam insequenti anno bellum Italicum incohatum est. Inter mortem Bledae et bellum Gallicum quidem quinque anni transierunt, sed quid historia Hunnorum ordinem temporum minus certe describit, approximativa convenientia tantum fortuitae opportunitati tribui potest.

163 *Jadria Dalmacie civitate* — Zara (Iadera) hodie Zadar est in Dalmatia.

164 *Messiam ... Tracias* — In historia Hunnorum provinciae Pannonia, Pamphylia, Phrygia, Macedonia, Dalmatia hoc loco iam iterum enumerantur (SRH I, 269). Sicut Th. haec nomina nominibus primum apud Antoninum repertis (caput 16.), sent. 125) transmutavit, nunc quoque idem fecit. Descriptio non certo definitoque eventui convenit. Ab anno 334 usque ad annum 447 Hunnis tributum Byzantio impositum annum 350 librarum auri ad summam 2100 librarum augere contigit. Postquam autem imperator Martianus tributum pendere recusavit, Attila non nisi bello Italico perfecto, anno 453 impetum facturus erat (Pauly—Wissowa, IV, 2243 sqq.).

contiguarum provinciarum ... incursibus gravabant — Antoninus: "circumstantes provincias scilicet Macedoniam, Mesyam, Achaiam et utrasque Thracias immanissime devastabat" (II, 11, 8, 1).

Walachis ... remanentibus — Populus linguam Latinam loquens, qui in provinciis Romanis, in Pannonia et Norico usque ad occupationem patriae Hungarorum permansit, a Germanis nomine Walch, a Slavis Vlachъ, aut in numero plurali Vlasi (e quo vocabulum Hungaricum: olasz ['Italicus'] derivatum est) nominabatur. In Latinitate medii aevi nomen eorum Vlachi aut Blachi erat (M. Gyóni, Les Volochs des Annales primitives de Kiev, Études Slaves et Roumaines 2 [1949] 67 sq., 81 sq.; Györffy, Tanulm. p. 98). Ab Anonymo inter populos in regione Hungariae a Hungaris patriam occupantibus repertos praeter Slavos et Bulgarios memorantur: "Blachii ac pastores Romanorum" (SRH I, 45), ubi vocabulum negotii pro appositione nominis populi valet. Pastores sine tecto ac sede passim in montibus Moesiae vagantes natione eorum neglecta Vlachi nominabantur (K. Schünnemann, Die "Römer" des anonymen Notars, Ung. Jahrb. 6 [1926] 451 sqq.). Apud Th. nomen vlach omnino idem est ac negotium pastoris, item et in prioribus chronicis conscriptis (Deér J., A románság eredetének kérdése a középkori magyar történetírásban [= Quaestio originis Rumanorum in historia Hungarica medii aevi], Deér J.—Gáldi L., Magyarok és románok

[= Hungari et Rumani], I, Bp. 1943, p. 95; I. Tóth op. cit. Száz. 79—80 [1945—1946] 57), ideo vocabulum vlach pastorem nationis qualiscumque — sive Rumaniae, sive Ucrainicae — pariter significare potuit etiam aetate ipsius Th. Vocabulum e fabula Slavica meridionali vel Dalmatica ortum esse putat C. A. Macartney ("Pascua Romanorum", Száz. 74 [1940] 5 sqq.). Secundum Györffy (op. cit. Ethn. 76 [1965] 418 sq., 426) in Gestis veteribus Vlachi imperio Illyrici Marciani subditi memorantur.

Apuliam — Regio in parte meridionali et orientali paeninsulae Appenninorum in ora maris Hadriatici sita est.

Quapropter non solum ... se transtulerunt — Descriptio memoria deformata transmigrationis Langobardorum e Pannonia in paeninsulam Appenninorum est.

⟨20.⟩

Caput ex historia Hunnorum et chrono Antonini conscriptum est.

De expugnatione Aquilegie civitatis — Index capitinis atque textus *V₃* et *V₄* 165 inter se congruunt: "De expugnatione civitatis Aquileiensis" (SRH I, 269).

novo milite reparato — Antoninus: "maximo conflato exercitu" (II, 11, 8, 4).

Stiriam — Nomen a saeculo XI vulgatum est (v. caput ⟨50.⟩, sent. 239). Saeculo X septemtrionalis atque media pars regionis, quae hodie Steiermark nominatur, eadem erat ac marchionatus Carinthiae.

Carinthiam — Secunda parte saeculi VI Carantania nominata pars imperii Avarorum erat, quae saeculo VIII imperio Francorum adiungitur (v. caput ⟨50.⟩, sent. 239 et caput ⟨74.⟩, sent. 332).

Salonam — Salonae, Solin, urbs antiqua, est caput Dalmatiae, iuxta Spaletum (Spalato), hodie Split, in Iugoslavia. Depopulationi Avarorum superesse non potuit. In Iugoslavia sita est una cum ceteris sequentibus urbibus.

Spaletum — Hodie Split (Spalato) in Iugoslavia est.

Traguriām — Hodie Trogir (Trau) in Iugoslavia est.

Sardoniam — Hodie Skradin (Scardona) in Iugoslavia est.

Sibinicum — Hodie Šibenik (Sebenico) in Iugoslavia est. E civitate Spaletu ad Aquileiam iter faciens primum Sibinicum deinde Scardonam pervenit. Apud Simonem de Kéza adhuc in recto ordine "Sebenicum, Scardonam" vocabula locorum scribuntur (SRH I, 157), quod Gesta saeculi XIV corruptum (SRH I, 270; v. Szűcs 576 sqq.). Hunc ordinem corruptum transcripsit Th.

Jadriam — V. caput ⟨19.⟩, sent. 163.

Nonam — Nin (Nona) est hodie in Iugoslavia.

Sceniam — Hodie Senj (Zengg) est in Iugoslavia.

Potentiam — Nomen est hodiernae urbis Potenza in Italia septemtrionali. Apud Simonem de Kéza adhuc ad viam geographicam aptum ordinem “Polam, Parentiam” legere possumus (SRH I, 157). Hae ambae urbes in Gestis saeculi XIV commutatae sunt (SRH I, 270; v. Szűcs I. cit.). Hic ordo corruptus a Th. transcriptus est, immo vero error ab eo auctus est, quia vocabula urbium “Parencia” (Parentium, hodie Poreč [Parenzo] in Iugoslavia) et “Potentia” inter se commutata sunt. Th. profecto vocabula urbium falso scripta esse putavit. Parencia quidem ad urbes in Hungaria notas non pertinebat, quia in paeninsula Istria sita est, vocabulum “Potentia” autem e capite (13.), in quo forma “Potentiana” legitur, a Th. nota erat.

Polam — Pula hodie in Iugoslavia est.

Chapisteriam — Capodistria in quadam insula sinus Tergestini est.

Terrestrinam — (Tergeste) in Italia est.

165—166 *egressus est de ... similiter civitates* — Pro certo putamus Simoni de Kéza suam viam Venetias ducentem exemplo fuisse ad iter exercitus Hunnorum describendum (Szűcs 579).

166 *pervenit* — Antoninus: “in ipso fonte Romani imperii Ytalam venit” (II, 11, 8, 4).

pervenit ad Aquilegiam — Bellum Italicum Attilae, cuius introductio erat oppugnatio Aquileiae, anno 452 gestum est. Res ipsa, ut Attila clade ad Catalaunum accepta iam insequenti anno una cum exercitu in Italia se ostenderet, Aetio omnino improvisa erat.

167 *Hec enim ... accepisse dicitur* — In capite (10.), sent. 90 de condendis civitatibus Patavio atque Aquileia scripta hic a Th. iterantur.

168 *ceterorumque ingeniorum* — Vocabulum vere idem significat ac machina. Apud Th. autem etiam ut tormentum bellicum describitur, atque ita arbitrari potest etiam hoc loco Th. non satis idoneum putantem transcribere vocabulum fontis sui, machinam, recentiores machinas in animo habuisse.

Obsedit igitur ... penuria laborarent — Antoninus: “civitatem Aquilegensem in ipso introitu Ytale sitam continuo triennio obsedit civibus strenue repugnantibus. Cunque ex longa obsidione cunctam regionem adiacentem eius exercitus expoliasset omniaque, que ad cibum necessaria erant, more locustarum abrasisset, non minori fame atque penuria obsidentes, quam obsessi laborant” (II, 11, 8, 4). Oppugnatio secundum historiam Hunnorum annum et sex menses, secundum Martinum Polonum tres annos durabat (p. 418). Th. e duobus fontibus opinionem Antonini, qui Martinum Polonum secutus est, accepit.

169 *conscensis equis* — Duo vocabula, quae Th. textui fontium addit, apta sunt ad producendum Attilam, ut qui — una cum comitatu suo — simile genus vitae ageret, quod milites aetate ipsius Th.

169—170 *Quapropter cum ... infelix civitas vexatur* — Antoninus: “cum die quadam rex Attila muros civitatis circuiret, consideravit aves ciconias, que in turribus civitatis ipsius nidificaverant, uno impetu ex urbe migrare atque fetus suos rostris sublatos per rura forinsecus deportare. Quo viso Attila his,

qui secum comitabantur, ait: Aspicite, ait, aves futurorum prescias civitatem perituram relinquere. Quo osteno irritatis barbarorum animis magno cum impetu urbem undique aggrediuntur” (II, 11, 8, 4).

Precepit enim, ut ... datus fuisse dicitur — Th. haec describens historiam Hunnorum sequitur (SRH I, 271). Sed secundum Iordanem Attila in proelio ad Catalaunum sellis congestis rogum militibus exstruere iussit se potius deleturus, quam fugam petiturus (Getica § 213).

Perdurante quoque ... pulcritudo, reservavit — Antoninus: “fessis recentes requiem negabant obsessis ... barbari civitatem ingrediuntur. Intrantesque opes diripiunt, omnes occurrentes sine discretione sexus aut etatis trucidantur. Solum matrone, quibus inerat aliqua forma, omni morte deterior ad barbarorum luxuriam reservantur” (II, 11, 8, 4).

fluvii — Fluvius Natissa (Iord. Getica § 219) nominatur.

Erat tunc civitate ... mortuaque ibidem expiravit — Antoninus: “Erat autem tunc in civitate mulier quedam secundum seculi dignitatem nobilis et corpore pulcra, sed castitate et pudicicia nobilior nomine Digna. Huius domus super ripam fluvii, qui per civitatem fluit, sita erat. Cum autem audisset, quod puelle a barbaris servarentur, timens, ne et ipsa ludibrium sordidissimis barbaris fieret et anime pulcritudinem illata libidine viciarent, mox, ut domui sue appropinquare sensit, involuto capite e summa domus sue arce se in gurgitem precipitem dedit” (II, 11, 8, 4). Legenda primum apud Paulum Diaconum legitur (14, 10. M.G.H., AA II, p. 204; Eckhardt op. cit. in Németh, Attila p. 156), quae Simoni de Kéza non erat nota. Th. eam ex Antonino cognovit.

⟨21.⟩

Caput ex historia Hunnorum et e chronicō Antonini est compositum.

De origine Venetorum — Index capitis et index compositionis Chronicī Picti inter se congruunt: “De ortu Venetorum” (SRH I, 272).

auri et agri possessione opulentam — Th. possessionem Venetiarum comprobans sententiam suam exprimit.

ut veteres canunt historie — Th. fontem, historiam Hunnorū hic non recte intellegit. Fons eius Venetos e Troia ortos demonstratus chronicō quoddam his vocabulis refert: “ut cronica canit veterorum”, id est recte sine dubio: “Venetorum” (SRH I, 272). Textus chronicī non est notus, sed, ut investigatorē censurā auctōrum — Cipolla, Simonsfeld, Eckhardt — confirmaverunt, in opere Andreae Danduli exscriptus est, cuius sententiarū ordo autem et enarratio Simonis de Kéza inter se adeo congruunt, ut credi possit: verba scriptoris historiae Hunnorū — atque ita verba Th. — in chronicō Veneto quodam saeculi XIII innisa esse (Eckhardt 480 sqq.).

Hec regis ... fundavit — Fama, quae tradit Attilam Venetias invitum fundavisse, primum apud Constantinum Porphyrogenitum (obiit anno 959) litteris mandata appet, quam saeculis insequentibus historiographia Veneta magis magisque certam esse habuit. Tempus urbis conditae accurate die 25 mensis Martii anno 421 fuisse creditum est. Re vera tempus Venetiarum conditarum cohaeret cum regno Langobardico condito atque cum Aquileia diruta et cum fuga patriarchae Gradensis (Kretschmayr, I, pp. 18 sqq.).

cum rex ipse ... Venetas appellaverunt — II, 11, 8, 4: “Venetie, dum Aquileia obsideretur et tandem destrueretur, in dyocesi, que Castellum dicitur, edificari civitas cepit. Nam locupletes viri provincie Venetie fugientes exercitus Attile direptiones cum famulis suis et pretiosa supellectilia portantes propriis sedibus relictis navibusque onustis recedentes in insulis, que dicebantur rivas altus, securi a barbarorum impetu, quibus non erat navium usus, ad vim aliis inferendam et *cum arene habitacula non sufficerent, navibus vehentes arenas ex industria mansiones munierunt et ex communi provincie vocabulo Venetas dixerunt*”. (Vocabula typis inclinatis expressa Th., quia his iure offendi potuit, omisit.) Cf. P. Kulcsár: La fondation de Venise dans l'historiographie humaniste en Hongrie, in: Venezia e Ungheria nel Rinascimento, a cura di V. Branca, Firenze 1973, pp. 358 sqq.

Castellum — In insula Olivolo, quae nomine Isola di S. Pietro pars hodiernarum Venetiarum — ab ecclesia Sancti Marci ad orientem — est, saeculo VIII Veneti episcopatum condiderunt. Insula de castello, quod in ea aedificatum erat, a saeculo XI iterum ac iterum Castello nominabatur, item et episcopatus. Insula usque ad tempus bellorum pro sacris Christianis susceptorum sedes cultus humani Venetiarum erat (Kretschmayr, I, pp. 51 sqq., 84, 209). Secundum famam contemporaneam cum historia Hunnorum, ut in Chronico Marci legitur, descensus primus Troianorum sedes episcopatus fuisse traditur: “Si qui vero scire voluerint prime constructionis locum, dicatur quod fuit Castellum ubi est sedes episcopi Castellani” (H. Simonsfeld, Venetianische Studien, München 1878, I, p. 163). Ut ex insequentibus eminet, Th. situm Castelli notum non habuit et alicubi in terra a Venetiis procul Castellum aedificatum esse putavit.

Vetus Venetia — Vecca Venezia, Antiqua sive Vetus Venetia nominata est regio, ubi secundum sermonem medii aevi Troiani habitaverunt (Eckhardt 482). Attributum “Vetus” ad accuratius demonstrandum fontem Gestorum Th. grave argumentum videtur. In Chronico Picto “Vera” legitur (SRH I, 271), atque ita vocabulum “Vetus” Chronicus Budensis testimonio est Th. Chronicon Budense, non autem Chronicon Pictum hoc loco secutum esse.

Rivus Altus — Scilicet hodiernus Rialto, qui ab ineunte saeculo IX sedes gubernaculi erat.

prioris agri — Gens Illyriorum in ora septemtrionali-occidentali maris

Hadriatici habitans nomen “Veneti” habebat, regnum autem eorum, quod anno 183 a. Chr. n. in potestatem Romanorum redactum est, ut provincia Romana “Venetia” nominabatur.

Tandem postquam ... Venetas appellaverunt — Th. textum Antonini et historiam Hunnorum haud feliciter connexit. Series: Aquileia — Vetus Venetia — Rialtus in ordine historiae Hunnorum et series apud Antoninum: Aquileia — civitas id est rivus altus a Th. sic enumerantur: civitas et Aquileia — Vetus Venetia — rivus altus. Id est falsam enumerationem historiae Hunnorum ipse Th. servat atque ita Vetus Venetia nec apud eum civitatem a Troianis conditam significat, Antoninum autem non recte intellegens alicubi in terra inter Aquileiam et rivum altum sita urbem quandam aedificatam esse scribit. At Th. iudicium sanum habuisse arbitrari possumus, quod e narratione Antonini descriptionem non transcripsit, quae transmigrantes in insulam aream aedificandarum domuum maiorem posses-suros navibus arenam in syrtes vexit tradit.

quorundam fuerit opinio — Th. commemoratione multum praesagienti 175 haud sane fontem quandam novum indicat, sed tantum vocabula historiae Hunnorum “ut quidam opinantur” (SRH I, 272) iterat.

quorundam fuerit ... illustratam fuisse — Th. descriptionem fontis saeculi XIII, historiae Hunnorum iterat, quae autem fundamento omni historico caret. Nam Sabariae academia non erat medio aevo et nemo Venetos e Pannonia ortos esse dixit. Scriptor historiae Hunnorum solum Sanctum Martinum Sabariae natum esse cognitum habuit. Haec civitas hodie Szombathely est. Sed erat etiam altera fama, quam primum Hungaricum monasterium ordinis Sancti Benedicti coluit. Haec fama Sanctum Martinum in villa Sabaria Sicca prope monasterium sita natum esse tradidit. Ipsum monasterium in Monte Sacro Pannoniae in honorem Sancti Martini erat deditum, itaque ibi memoria illius sancti a monasterio condito culta erat, in diplomatis pontificis autem saeculo XII “ecclesia sancti Martini in Sabaria” memoratur (Horváth T. A., Szent Márton születési helyének okleveles adatai [= Argumenta loci natalis Sancti Martini in diplomatis], Acta Savariensis 4 [1944] 62 sqq.). Simon de Kéza igitur opinionem vulgatam monachorum Sancti Benedicti approbans Sabariam (Sicciam) ac monasterium in Monte Sacro Pannoniae situm idem esse putavit, sed rem, sicut est mos eius, in maius vero fert, itaque ex eo, quod monasterium aetate ipsius centrum cultus humani habitum est, ibi iam pridem academiam fuisse arbitrabatur (Eckhardt 612 sq.; Csóka pp. 584 sqq.).

Allaricum ... regem — Th. in fonte suo, in historia Hunnorum nomen “Arcellaus” invenit (“quidam rex Gottorum nomine Arcellaus” SRH I, 272). Quia nomen ei ignotum erat — rex Gothorum hoc nomine nominatus ne hodie quidem notus est (Pauly-Wissowa, III, 445 sq.) — a Th. nomen Alarici (obii anno 410), qui anno 410 Romam occupavit, est scriptum, nam sonus huius nominis elegantior erat.

Papia — Hodierna Pavia est in Italia septentrionali.

flumen Ticinum — Hodie Ticino est, unus e flaviis, qui in Padum sinistra parte influunt.

incolatum recepisse — Langobardos emigrantes e Pannonia et sedem sibi in Italia septemtrionali deligentes Simon de Kéza, ut credi potest, ideo cum Pavia coniunxit, quia Sanctus Martinus hic Ticini, in civitate vetere educabatur, quae posterius caput Langobardorum facta est. Id est migrationem eius Sabaria Paviam factam in transmigrationem omnium Langobardorum amplificavit (Eckhardt 610, 615).

tradunt historie — Hoc scribendo Th. fecit, ut aliquis suspicari posset, quasi ipse in refutatione alium fontem sequeretur, re vera autem non nisi narrationem historiae Hunnorum repetivit.

⟨22.⟩

Caput connexis partibus cunctis historiae Hunnorum atque chronicis Antonini factum est.

176 *De optentu ... Rauenne* — Index, similiter indicibus capitum ⟨23—26.⟩, ab ipso Th. conscriptus est.

Concordiam — Haec civitas in Italia septemtrionali ab Aquileia ad occasum hodie nomine Concordia Sagittaria nominatur.

Capta igitur ... Fori Iulii situatam — Hodierna Provincia del Friuli in Italia septemtrionali est, quae nomen a civitate antiqua “Forum Iulii” traxit. A Simone de Kéza tantum “civitas Concordia” Friulensis (SRH I, 159) memoratur. In Gestis saeculi XIV praeter Concordiam etiam mentio ipsius Civitatis in Friuli sitae fit: “Destructa itaque civitate Aquilegie et Concordia, demum in Foro Iulii destruxit Civitatem” (SRH I, 273, in variantibus Chronicus Budensis pro vocabulis “et Concordia” “Concordiam” legitur). Fieri potest, ut hoc loco textus Simonis de Kéza temere ac fortuito corruptus sit, sed id quoque, ut iure ac recte vocabulum insertum sit, quod deletam Civitatem, Civitatem Austriae, hodiernam civitatem Cividale (cf. Schmidinger p. 57) memoriae tradit. Th. hanc posteriorem interpretationem quoque possibilem esse non cognovit, in textu eius tantum inferius, ad multas civitates pertinens vocabulum “civitates” legitur.

ducatu Longobardie — Incertum est, cur a Th. vocabulum “marchionatus”, quod in fonte eius, in historia Hunnorum invenitur (SRH I, 273), in formam “ducatus” transformatum sit. Denominatio etiam in historia Hunnorum falsa erat, quia a Langobardis in Italia regnum conditum est, comitatus autem, cuius sedes Padova erat, tantum saeculo X ab imperio Romano ordinatus est. Saeculo XIV, cum civitati familia Carrararum praeesset, civitas Padova ad cultum atque res civiles multum contulit, Carrarae tamen tantum “domini Padue” et vicarii imperii, nunquam duces nominabantur (DRTA, IV, V, index). Anno autem 1406 civitas Padova sub

imperium dicionemque Venetiarum cecidit, potestatem omnem amisit, itaque Th. veterem aetatem gloriosissimam eius ne reminisci quidem potuit.

Pictauiam — Pictavia erat nomen civitatis Poitiers in Francogallia. Intellegi non potest, quo modo apud Antoninum — in fonte Th. — nomen Padovae facta sit.

Veronam ... Ferrariam — In Italia septemtrionali hodiernae civitates Verona, Vicenza (Vincentia), Brescia (Brixia), Cremona, Mantova (Manthwa), Bergamo (Pergama), Ferrara (Ferraria) sunt. Index nominum in historia Hunnorum praeter Cremonam, Manthwam et Ferrariam (SRH I, 273) congruit indici nominum apud Antoninum, quoniam ab ambobus auctoribus e fonte communi transcriptus videtur. Ipsum Th., quia mutuatio textuum ei haud nota erat, concentus operis, in quo historia Hungarorum tractatur atque operis, in quo historia universalis conscripta est, adducere potuit, ut horum descriptiones in ceteris partibus quoque alteram cum altera coniungere studeret. Memoratae civitates Italiae septemtrionalis: Cremona, Manthwa, Ferraria admonent nos ipsum Simonem de Kéza fortasse Patavii sive Bononiae litteris et artibus studuisse (Szűcs 579).

Capta igitur ... affluentes cepit — Antoninus: “Captaque civitate ... deleta Aquileia Attila circumstantes urbes aggreditur atque velut fulgur ipsas demoliens funditus destruit. Hoc est Concordiam, Pictavium, que hodie Padua vocatur, deinde per universas Venetiarum urbes scilicet Veronam, Vincentiam, Brixiam, Pergamum aggredientes capiunt” (II, 11, 8, 4).

agrum Emilianum — Aemilia est regio Italiae inter Lombardiam, Venetias, Toscanam, Umbriam et mare Hadriaticum sita, in qua inter alias civitates Ferraria, Bononia, Mutina, Ravenna aedificatae sunt.

Dehinc venenosο ... deditοnem recepit — Antoninus: “Post dirruptionem Aquileie et aliarum civitatum provincie Venetiarum Emilie urbes eodem modo diripiuntur” (II, 11, 8, 4).

Rauennam — Civitas (hodie Ravenna) in ora maris Hadriatici est. ¹⁷⁷ Argumenta historica Attilam in bello anno 452 gesto huc pervenisse non confirmant.

Erat civitate ... perfidia politus — Ex archiepiscopis Ravennae, quibus nomen erat Iohannes, aetate Attilae vixit Iohannes II. (452–477), cui autem descriptio in historia Hunnorum minime convenit. Ut fertur, ipse aderat inter legatos, qui duce papa Leone I. Attilam adierunt, et quia post mortem sanctus est veneratus, ecclesiae Romanae adversari non potuit. At de Iohanne IV. (575–595), quamquam re vera auctoritatem papae approbavit (Wetzer—Welte X, coll. 825 sqq.), Paulus Diaconus haec adnotavit: “a tempore papae Vigilii vel Pelagii a Romanae ecclesiae desciverat societate” (Historia Langobardorum 3, 26), atque ita hunc posteritas sectatorem Arii iudicare potuit. Post mortem autem Theodorici Magni (526) doctrina Arii a Roma haeresis dicta omnino abolita est, atque ita archiepiscopus, qui exeunte saeculo VI vixit, sectator huius sectae esse non potuit. Auctor historiae Hunnorum notionem haeresis Arianae probabiliter

ideo Ravennae adiunxit, quia haec civitas ab anno 493 sedes Theodorici Magni, regis Gothorum orientalium, sectatoris haeresis Arianae erat.

civibus parceret — Mirum in modum tegmini cuidam ecclesiastico, quod Maximinus, archiepiscopus Ravennae (546—556) parari iussit, margaritis et gemmis haec inscriptio assuta est: “Parce domine, parce populo tuo” (Wetzer—Welte X, col. 827).

177—178

Archipresul iste ... commoratus est — Antoninus: “Iohannes eius urbis episcopus suo clero comitatus in albis extra urbem ad Attilam in suburbii obdidentem cum suo exercitu supplex accelerat oratque, ut urbi et civibus parcat. Attila vero episcopi audita opinione respondit: Parcere volo. Sed ne cives tui suo consilio vel viribus gloriantur nostre obstitisse potentie, urbis portarum postes prius volo deponantur et nostri exercitus equorum ungule illos conculcent. Quam conditionem Ravennates cives libenti animo suscepserunt. Transivit ergo Attila per Ravennam cum suo exercitu non aliter civitatem devastans” (II, 11, 8, 4). Th. indolem archiepiscopi Ravennae describens, lineamenta contraria duarum personarum inter se discrepantium haud feliciter in unum connexit. Narratio vitae archiepiscopi Iohannis, transcripta ex Antonino, qui ipse descriptionem hagiographicam Agnelli saeculi IX repetit, nam haec archiepiscopo eas partes tribuit in liberatione Ravennae, quas Nicasius Trecis (Troyes) egit (Eckhardt op. cit. in Németh, Attila pp. 169, 310). Narratio historiae Hunnorum a Th. in re gravissima temperata est: omittitur, quod Attila, quem archiepiscopus sectator doctrinae ARII hortatus est, fideles religionis catholicae in civitate inventos morte multari iussit (SRH I, 273). Attila igitur non est barbarus caedis avidus, sed imperator, qui rationes ecclesiae Romanae respicit, id quoque respondet contentionibus aetatis scriptoris, scilicet ut rex Hungarorum defensor ecclesiae ostendi possit.

179 *Liguriam* — Hodie Liguria est nomen regionis, quae in parte occidentali Italiae septentrionalis inter montes Appenninos et mare Mediterraneum a finibus Francogalliae usque ad sinum, qui hodie Spezia nominatur, porrigitur. Liguria antiqua quidem ad septentriones et ad occasum longius porrecta est, tamen trans Padum non patuit, Mediolanum autem medio aevo pars Lombardiae erat.

Mediolanum — Hodie Milano nominatur.

Ticinum — Hodie civitas Pavia est prope fluvium Ticinum, ubi hic se in Padum effundit.

Minutius — Fluvius hodie Mincio nominatur, qui in Padum sinistra parte, inter Veronam et Mutinam circiter dimidia via influit.

Alarici Gothorum ... non supervixit — Alarius anno 410 Romam occupavit et eodem anno mortuus est.

Abinde moto ... ire differebat — Antoninus: “Inde in Liguriam progressus Attila Mediolano ac Ticinio captivatis vel occisis civibus diripit. Novissime occisione hominum et preda satiatus eo loco, quo Minutius fluvius in Padum influit, castra posuit. Ibique consistens animo revolvere cepit, utrum

Romam adiret. Sed Alarici exemplum pavens, qui capta urbe atque expoliata non diutius supervixit, ire differebat” (II, 11, 8, 4).

⟨23.⟩

Caput ex historia Hunnorum et e chronicō Antonini est conscriptum, in quo exprimeretur, quam officiosus Attila in pontificatum fuisse, simul tamen quantum potentia ac viribus praevaluisset.

Leonem papam — Papa Leo I. (Magnus) (440—461) prospero cum 180 eventu nitebatur, ut primatus episcopi Romae universe comprobaretur, munus eius autem ratione atque usu pariter fundamentum ecclesiae fieret (Hauck, Realenc. XI, p. 373. Cf. E. Caspar, Geschichte des Papsttums von den Anfängen bis zur Höhe der Weltherrschaft, I, Tübingen 1930, pp. 556, 563).

capitaneum Zoward de genere Zoward — Dux Hungaricus Zward, filius 181 Hulec in narratione occupationis patriae ab Anonymo saepius producitur (SRH I, 552, index), genus Zuard autem a Simone de Kéza memoratur, item inferius in Gestis quoque (SRH I, 292). Nomen generis Hungarici possidentis in comitatu Comaromiensi (Karácsonyi III/1, pp. 149 sqq.) Hungarice Szovárd dictum est (Györfy pp. 105 sq.). Quia a Th. nomen, cum in fonte tantum in formis Zuard, Zoard, Zorard inveniretur, in formam pronuntiationi Hungaricae accommodatam (Szovárd) Zoward transformatum est, conici potest nomen generis et memoriam proavi generis historici etiam exeunte saeculo XV superfuisse. Szovárd atque Hungaricus dux Salardus idem esse dicuntur (SRH I, 274, adnot. 3, Györfy p. 142), qui ut in compluribus fontibus occidentalibus traditur, inter quos etiam Chronographia Sigeberti Gemblacensis et Antapodosis Liudprandi (III, 2) inveniuntur (Gombos, III, p. 2126, II, p. 1473), anno quodam inter annos 924—926 cum Hungaris pervagantibus in Italia pugnavit. (Textus fontium: Gombos, I, pp. 25, 170, 217, 351, 522, 581, II, pp. 826, 1036, 1128.) De condicione non probabili identificationis Szűcs 837, adnot. 17.

Apuliam — V. caput ⟨19.⟩, sent. 164.

Terram Laboris — Terra di Lavoro nominata est provincia Caserta ad septemtriones a Neapoli sita.

Calabriam — Pars occidentalis-meridionalis est paeninsulae Appenninorum inter mare Tyrrhenum et mare Ionium.

Regionem — Th. fontem suum, historiam Hunnorum non recte intellegens in nomen commune transformavit nomen proprium “Regiona”, quod sine dubio Rhegium ad fretum Siculum situm significavit, quod hodie Reggio di Calabria est.

Cathonam — Locus Catona in proxima vicinitate civitatis Reggio di Calabria in ora maritima situs est, qui traiectus inter terram Italiae et

Siciliam est. Nomina geographica Italiae meridionalis Simon de Kéza coniunctione stirpis Arpadianae cum stirpe Andegavensi ductus in chronicō suo adnotavit. Inter annos 1269—1271 quinque legationes Hungarorum in aulam Neapolitanam missae sunt, ex quibus unius etiam Simon de Kéza particeps fuit (Szűcs 837 sq., 841 sqq.).

Chatone philozopho — Medio aevo gratus acceptusque liber praeceptorum erat “Dicta Catonis”, et quia huius auctor M. Porcius Cato (Censorius, Sapiens) habebatur (a. Chr. n. 234—149), scriptor historiae Hunnorū eum evidenter philosophum Catonem esse putat. Catona tantum adnotatio-ne hominum nasutorum cum nomine Catonis coniungi potuit.

Tandem Leo ... Atilam venit — Secundum historiam Hunnorū congressus prope Ravennam factus esse potuit. Th. eo, quod etiam sententiam Antonini respexit, apte ad casus (Váczy op. cit. in Németh, Attila p. 134) res in castris ad ostium Mincii positis factas esse scripsit.

illi exhibuit honores — Vocabulum, quo Th. descriptionem fontis amplificavit, observantiam imperatorum — regis Matthiae quoque — erga papam ostendendi causa scriptum esse videtur.

182 *petitiones apostolice* — Vocabulo “postulata” historiae Hunnorū in vocabulum “petitio” mutato, item omissis quibusdam vocabulis, scilicet quod “papa imperavit, Attila autem obtemperavit”, Th. haud ambigu profert, qualem videat coniunctionem regis sui, Matthiae cum papa. Rex papae roganti satisfacit, et quidem benevolens, sicut vocabulum descriptioni a Th. insertum “benignitas” demonstrat.

non tantum urbi ... mihi minabatur — Antoninus: “non solum Romane urbis, sed etiam totius Ytalie salutem reportavit ... Recedente autem pontifice interrogatus Attila a suis, cur ultra morem solitum tantam reverentiam Romano pontifici exhibuisset et cur ad omnia, que non petisset modo, sed etiam imperasset, obtemperavit, respondisse fertur: Non ego eius personam, qui advenit, honoravi, sed iuxta ipsum stantem alium virum in sacerdotali habitu forma augustiorem canicie venerabilem illum mihi evaginato gladio terribiliter mortem minantem, nisi cuncta, que ille petebat, explessem” (II, 11, 8, 5. Vocabula typis inclinatis expressa a Th. omissa sunt). Congressus etiam apud Iordanem descriptus est (Getica § 222, 223), et accipi potest Attilam indulgentem precibus legationis, quae papa duce advenit, consilium abiecisse exercitus ad meridiem ducendi, partim quia superstitione imbutus timuit, ne sibi ipsi quoque casus Alarici iteraretur atque Roma capta moreretur, partim quia in castris fames et pestilentia orta sunt (Pauly—Wissowa, IV, 2247). Nec Iordanes, nec Godefridus Viterbiensis visum Attilae commemorant. Scriptor historiae Hunnorū legendam fabulosam a Martino Polono, sive a Sigeberto Gemblacensi transcribere potuit (SRH I, 275 adnot. 1).

183 *archipresulem iugulare fecit* — Supplicium archiepiscopi Ravennae, qui, ut fertur, sectator Arii fuit, a scriptore historiae Hunnorū commentum est.

cum cuncta ... in Pannoniam — Antoninus: “Igitur Attila tali modo a sua

duricia repressus ex magna parte expoliata opibus Ytalia atque civibus aliis occisis aliis captivatis Pannonias repetivit” (II, 11, 8, 5. Vocabula typis inclinatis expressa a Th. omissa sunt).

eunuchus Honorie ... expeteret, detulit — Ex opere Iordanis chronographi medii aevi compertum habuerunt Valentinianum III., principem imperii Romani occidentalis (425—455) suam sororem in claustrum claudi iussisse, cum autem haec amatrix procuratoris facta esset, Constantinopolim misisse. Honoria autem clam se Attilae despondit, simul anulum, signum sponsalium ei misit, quo argumento Attila usus est, ut sororem imperatoris et una cum ea dimidium imperii Romani occidentalis sibi tradere posceret (Getica § 223, 224; J. Moravcsik, Attilas Tod in Geschichte und Sage, Kőrösi Csoma-Archivum 2 [1926—1932] 101, lapsu in scribendo facto Honoriam filiam Valentiniani III. dicit). Haec autem omnia ante bellum Gallicum (451) facta sunt atque pro causa huius belli movendi.

eunuchus Honorie ... vita superfuisset — Antoninus: “Ad quem non multo post Honoria Valentiniani principis soror, dum a fratre ob decus pudicicie districtius servaretur, eunuchum suum dirigit petens, ut ipsam a fratre suo in matrimonium extorqueret. Quo nuncio accepto Attila, quia iam Ytalie fines accesserat, nec nisi fatigato exercitu ad Ytaliam regredi poterat, missa legatione Valentiniano imperatori mandat et minitans se peiora in proximo occidentali imperio illaturum, nisi mox ei germanam suam cum parte imperii mitteret copulandam coniugio” (II, 11, 8, 5).

⟨24.⟩

Caput secundum historiam Hunnorum — cum praefatione amplitudinem Attilae praedicanti — compositum est, cuius descriptionem etiam Antoninus eodem fonte usus affirmat.

Rex Atila ... ingeri non formidabat — Ad descriptionem Th. Matthiam e 184 bellis in sedem revertentem sibi ad exemplum proponere potuit.

mare transire ... animo disponebat — Th. hic effusam enarrationem fontis sui, historiae Hunnorum repetit. Re vera Attila anno 452 meditari de armis trans maria in Asiam et Africam proferendis nequivit. Imperator imperii Romani orientalis, Marcianus imperium adeptus (450) tributum pendere recusavit, in occidente autem ei eventus bellorum ab Aetio gestorum impedimento fuerunt.

Aliter tamen iudicia disponunt divina — Antoninus: “Sed mox divino 185 iudicio ex hac vita discessit” (II, 11, 8, 5). Verba Th. forma quidem vocabulis Antonini “divino iudicio” congruunt, re vera tamen ab eis abhorrent, quia directum iussum Dei minus praedicant.

contubernio — Vocabulum, quod Th. non e fonte suo transcripsit, in sermone Latino Hungarorum ‘collegium opificum’ (Hungarice ‘céh’) signifi-

cavit, quo utendo Th. res oeconomicas aetate sua magis, quam saeculo XIII evolutas esse demonstrat.

Bactrianorum regis natam — Bactriani (βακτριανοί) bellicosi incolae satrapiae Bactriae in Persia septemtrionali sunt. Scriptor historiae Hunnorum Mycolth certe ideo filiam regis Bactrianorum fuisse scripsit, quia prima coniunx Alexandri Magni, Roxane, filia cuiusdam nobilis viri Bactriani, nomine Oxyartis erat (Pauly—Wissowa, IV, 2805 sq.; ser. II, tom. 1, 1155). Simon de Kéza figuram filiae regis Bactrianorum ex Exordia Scythica transferre potuit: “ad postremum in Bacterianis Rohane uxorem eleganti forma accepit filiam Ioastre rege Bacterianorum” (M.G.H., AA XI/2, p. 321; Eckhardt 607).

Mykolth — Nomen ultimae uxoris Attilae apud Iordanem, a quo totam descriptionem scriptor historiae Hunnorum transtulit, Ildico (Getica § 254) est. Nomen scriptor historiae Hunnorum inane esse putavit, atque ideo id alio nomine permutavit, quod ab auctoritate Attilae minus alienum esset. Nomen uxoris regis David, filiae Saul, quae secundum Sacram Scripturam Micol est nominata, aptum visum est (I. Reg. 18, 27; Eckhardt S., Micolt, MNy 26 [1930] 167 sq.). Feminam autem hoc nomine nominatam scriptor historiae Hunnorum notis propinquarum Roxane, uxoris Alexandri Magni adornavit, atque ita eam ab Attila non alienam fecit.

186 *superis disponentibus* — Vocabulum, quo Th. descriptionem fontis sui amplificavit, sicut etiam vocabulum “iudicia divina” — abhorrens a sermone medii aevi erat — proprius usus verborum est hominum, qui studiosi humaniorum litterarum erant simulque mentem exprimit eorum.

187 *Eadem etiam nocte ... arcum fractum vidisse* — Secundum Antoninum in somnis imperatoris “dominus” apparuit et arcum confractum Attilae ostendit. Descriptio ex opere Iordanis manat, in quo pro vocabulo “dominus” vocabulum “divinitas” legitur (Getica § 255). Ita profecto ambo vocabula Deum significant. Mirum in modum iam in historia Hunnorum Deus produci neglegitur. Th. eo, quod ex Antonino figuram Dei in enarrationem suam restituere recusavit, sibi constanter egit, nam ipsum Deum rebus humanis interponendum memorare ubique omisit. Commemorationes historicas et fabulares de morte Attilae factas copiose interpretatur Moravcsik op. cit. Körösi Csoma-Archivum 2 (1926—1932) 83 sqq.

Huni Ticie applicuerunt — Th. Hunnos ad Tisciam apparuisse in capite (12.), sent. 96 et 99 anno 373 descripsit.

Postquam autem ... annus unus — Sic pugna ad Cesumaur anno 378 commissa esset, Attila autem rex anno 379 creatus esset, cum secundum caput (15.), sent. 115 creatio anno 401 facta esset. Historia Hunnorum igitur cum anno 379 descripto sententiae suaes priori contradicit.

ducatum — Ducatus id tempus regni Attilae significat, cum ipse una cum Bleda regnavit. Vocabulum in historiam Hunnorum e historia Hungarorum transcriptum est. Saeculis XI—XII consuetudo erat, ut rex partem regni fratri suo concederet, qui dux, regnum autem suum atque regio, quam sub

potestate sua habuit, ducatus nominatus est. Quamquam in historia Hunnorum prius Attila rex fuisse ostenditur, qui regnum cum fratre maiore communicat, scriptor hic recte coniecit Bledam cum Attila potestatem hoc postulante communicavisse. Totum tempus regni Attilae annorum 44 tantum ita efficitur, ut regnum convenienter capiti (15.), sent. 115 ab anno 401 initium sumat, quinque anni ducatus autem addantur.

centum et viginti quattuor — Numerus fictus historiae Hunnorum est.

ab incarnatione ... clausit extremum — Annus 453 est, quo Attila mortuus est. Annum 445 et — praeter annum 373 — omnes priores annos scriptor historiae Hunnorum ad suum arbitrium statuit (SRH I. 282).

⟨25.⟩

Caput e historia Hunnorum conscriptum est parte brevi inserta atque parte omissa.

Detricus de Verona — Rex Gothorum orientalium, Theodoricus Magnus 188 post Attilam vixit (obiit anno 526), itaque in bellis, quae post mortem regis Hunnorum gerabantur, eum producere nullum argumentum habet. In fabula, quae dicitur Detrici, nil de hac re narratur. Ratio scribendi auctoris historiae Hunnorum facilior facta est eo, quod Theodoricus Magnus in opere “Gesta Theoderici regis” saeculo XII inter bellantes contra filios Attilae memoratur (M.G.H., Script. rer. Mer., II, p. 203.; Bleyer op. cit. Száz. 39 [1905] 904 sqq.; Eckhardt op. cit. in Németh, Attila pp. 199 sq., 313).

Chaba — In fonte Th., in historia Hunnorum sine dubio filius Attilae, qui 189 Irnik nominatus est, nomine Chaba producitur. Secundum Priscum Irnik filius natu minimus idemque dilectissimus patri erat, quia vaticinatum est eum fore, qui genus suum sustentaret (Váczy op. cit.; Eckhardt op. cit. in Németh, Attila pp. 121., 152). Nomen apud Priscum in forma Érnakh — apud Iordanem in forma Hernac — invenitur, quod e Turcico verbo “er”, “ir” significanti ‘vir’ recte derivatum et Graece transcriptum est (Németh, A hunok nyelve [= Lingua Hunnorum], in Németh, Attila pp. 223). Scriptor historiae Hunnorum matrem Irnik filiam Honorii (393—423) imperatoris imperii Romani occidentalis fuisse suo arbitrio scribit. Ut ex rebus cunctis conici potest, nomen Honoriae, sororis Valentiniani III., quae ex Iordane nota est, scriptorem adducit, ut putet Attilam consilium exsecutum esse atque sororem imperatoris uxorem duxisse, cuius autem aequo ac Valentiniani, Honorus non pater, sed avunculus erat. Chaba et nomen personae et vocabulum loci in Hungaria saepe invenitur (Kristó—Makk—Szegfű I, p. 62). Incertum est, unde nomen ortum sit (Etym. Szótár, I, coll. 783 sqq.). Fieri potest, ut homonymum sit cum vocabulo Turcico

čoban 'pastor, vagans' (Pais, *Anonymous p. 110.*; Kálmán B., *A nevek világa [= Orbis nominum]*, Bp. 1973³, p. 161).

Aladarius — Filius Attilae hoc nomine nominatus in fontibus ignotus est. Simon de Kéza Ardaricum, regem Gepidarum, qui a Iordanem memoratur, filium Attilae fecit, nomini eius autem formam sonitus Hungarici dedit. (Bleyer op. cit. 911 sqq. etiam explicat, quo modo nomen transformatum sit.) Ambo viri partes easdem agunt: in historia Hunnorum filius Attilae, apud Iordanem rex Gepidarum aequaliter contra Hunnos bellum gerebant.

Kremheylich — Secundum cantum Nibelungorum originis Bavaroico-Austriacae saeculi XIII Kriemhild Burgundica, vidua occisi Siegfried erat uxor Attilae. Eam in historia Hunnorum producendo scriptor propensum in populos Germanicos studium Aladarii demonstratus erat.

190 *Detrico suggestente ... est dissensio* — Nonnulli doctorum sententiam Hóman sequentium auctorem historiae Hunnorum, qui descriptionem veteris chronici cuiusdam Hungarici renovavit, partes dolosas huiusmodi Detrico Bernensi dedisse arbitrantur. Ex hoc chronicò vetere comperiri potuit, quo modo comes Vid discordiam inter regem et duces concitatetus fuisse, et quoniam ita descripta res ad enarrationem scriptori historiae Hunnorum clariorem ac dilucidioram reddendam opportuna visa est, ipse Detricum vi et natura personae Vid exornavit (Hóman, Hún-hagyomány, pp. 28, 74, 102 sq.; Eckhardt op. cit. in Németh, Attila p. 200). Comparatio textuum tamen Simonem de Kéza figuram Vid exemplo habuisse haud certe indicat.

191 *Scribitur enim in antiquis Hungarorum chronicis* — E significatione censeri posset articulum priorem a Th. e fonte quodam alio sumptum esse. Re vera autem ibi quoque Th. historiam Hunnorum fontem sibi habuit.

potare valuissent — Mirum in modum Th. e vocabulis sequentibus nil ad usum suum transtulit: "Istud est illud prelum, quod Hungari (Huni) Crumheld prelum vocant usque in diem istum" (SRH I, 277). Praetermissio ideo notanda est, quoniam Th. alias omni modo opus suum amplificare studuit, atque eo interpretari possit, ut aetate eius vocabulum "Crumheld prelum" ignotum fuerit. Ceterum nec aetate Simonis de Kéza hoc vocabulum satis pervulgata nominatio esse potuit. Secundum opinionem quandam proelium anno 1047 commissum ad Kelenfeld, quod in lingua Germanica Kreenfeld est identificatum, in historiam Hunnorum reiectum est a Simone de Kéza, atque ipse id "Crumheld prelum" dixit (Hóman op. cit. p. 72; Eckhardt op. cit. in Németh, Attila p. 199). Ut Sicambria sive Etzelburg tempore procedente nomina publice usitata facta sunt, ita nomen Kriemhild quoque vocabulum loci factum est teste nomine rivi in Buda Vetere fluentis, qui "Krumhelt ferdeje" nominatus est in diplomate anno 1388 scripto (Eckhardt op. cit. p. 199). Iure existimari potest, quod Th. mentionem de nomine Kriemhild facere non omisisset, si id aetate sua adiunctum proelio notum fuisse.

192 *Tandem ad ... fugisse perhibetur* — Certamen supremum Ardaricus atque

socii sui anno 454 in Pannonia ad fluvium haud notum Netao cum filiis Attilae decertaverunt. In pugna etiam Ellak occisus est (Váczy op. cit. in Németh, Attila p. 136). Honorius, ut supra dictum est, avus Chabae, secundum verba autem hic descripta historiae Hunnorum avunculus fuit. Vocabulum “avunculus” hoc loco recte scriptum est, quia frater Honoriae, matris Chabae vere imperator fuit, tamen non Honorius, sed Valentinianus. Auctor historiae Hunnorum evidenter tantum fortuito vocabulum rectum invenit. Oblitus est se paullo prius Honorium pro Valentiniano scripsisse, nunc autem avunculum pro avo scripsit.

Chaba cum fratribus ... fugisse perhibetur — Quia imperator Honorius anno 423 mortuus est, inter alias causas Chaba iam propter hoc ad eum profugere non potuit. Ceterum imperator non Byzantii, sed imperii Romani occidentalis erat, qui Ravennae vixit.

sui regni participem — A Th. suo arbitrio insertum est, quod imperator nepotem socium regni sibi adiuncturus fuit. His additis scriptor auctoritatem filii regis Hunnorum aucturus fuit.

natalis patrie dulcedine ductus — Vocabulum reddit, quo modo Th. senserit et aptum videtur ad sensus suscitandos, qui homines loci natalis, id est patriae dulcedine afficiunt, quos sensus etiam divitiae pulchritudoque patriae alunt.

Chaba cum fratribus ... infra revolutionem devenit — Narratio, in qua 192—193 continentur, quo modo Hunni duce Chaba in Graeciam, mox in Scythiam migraverint, narrationem Iordanis et sermonem popularem Hungarorum complectitur. Secundum Iordanem (Getica § 266) Irnik in finibus regionis nominatae “Scythia minor”, ergo in regione capitis Histri septemtrionali, in hodierno Dobrodicio consedit, duo cognati eius in “Daciam ripensem” cesserunt, multi Hunnorum autem in imperium Romanum orientale se removerunt, qui ibi aetate Iordanis Sacromontisi et Fossatisii nominati vitam agebant. Secundum popularem sermonem Hungarorum, qui etiam saeculis XII—XIII supererat, pars quaedam Hungarorum saeculo X in paeninsulam Balcanicam migravit, et quidem, ut Anonymus tradit, duce Zuard, qui ibi matrimonium inicit et postea nunquam in patriam reversus est (SRH I, 92 sq.). Ab Anonymo haec reliqua pars populi nomine Sobamogera (id est Hungari Chabae) nominatur. Ceterum Chaba secundum fontem quandam Germanicum humaniorum litterarum studiosum dux Hungarorum pervagantium saeculo X erat. Scriptor historiae Hunnorum sermonem popularem Iordani accommodans Hungaros ad orientem migrantes cum Hunnis identificavit, Chabam pro Zuard substituit ac filium Attilae eundem esse dixit, qui mox eos in Scythiam reduxit. Quod idem scriptor Irnik ut Chaba producit, coniunctum esse videtur cum sermone de parte populi “Sobamogera”.

consortem sibi ... duxisse fertur — Patria gentis Corosminae (Chvârizm, 193 Chorezm) a Th. ex historia Hunnorum in capite 〈7.〉, sent. 61 iam memorata est. Corosmini Hungarice “kálizok” nominati sunt, qui religio-

nem Mahumeti profitebantur et lingua Iraniana loquebantur. Partim armati, partim dispensatores proventuum regalium et monetarii erant. Ut Abū Hāmid al-Andalusī al-Garnatī, qui medio saeculo XII in Hungaria peregrinatus est, tradit, hic milia eorum vitam agebant, qui palam Christiani, clam autem Mahumeti sectatores erant (Györffy, Tanulm. p. 51). Simon de Kéza eo, quod Chabam non uxorem Scythicam — neque Graecam — habuisse scripsit, rumorem malum, quo dominus suus, Ladislaus IV. ob originem carpebatur, compescere voluit. Nam mater Ladislai IV. — uxor regis Stephani V. — originis Cumanicae erat. Bela IV. anno 1254 (Paurer, II, p. 205) ideo filium, Stephanum V. cum filia ducis Cumanorum matrimonio coniunxit, ut hoc modo vagantem gentem bellicosam, quae sedem in Hungariam transtulit, sibi obligaret. Matrimonium autem apud primores Hungarorum haud par dignitate visum est, atque illi Ladislaum IV., qui ex hoc matrimonio natus est, despiciunt habere non celabant. Simon de Kéza igitur coniuge Corosmina memorata demonstratus erat matrimonium cum uxore orientalis originis contractum nullum regem dehonestare posse, si filius ne Attilae quidem id alienum esse a dignitate sua putabat.

Chaba genuit ... illius Ed — Ed et frater eius Edumen primum in Gestis Anonymi apparent, in quibus ut duces Cumanorum memorantur, qui una cum populo toto suo in Ruthenia se Hungaris adiungunt, participes patriae occupandae et possessores regionum latarum fiunt (SRH I, 42, 46, 58, 73). Filii Chabae in historia Hunnorum facti sunt, quasi auctor admonitus esset prognatos ex Edumen — id est genus Abae —, qui nobilitatem suam ostentabant, ne propter matrem Cumanicae originis Ladislaum IV. superbe contemniant, nam proavia generis Abae quoque originis orientalis est. Nomen Edumen amplificatio Turcica nominis Ed est (Pais, Anonymus p. 113). Nomina Ed atque Edumen, quamquam raro, in Hungaria tempore stirpis Arpadianae inveniuntur (Kristó—Makk—Szegfű, I, pp. 61 sq.).

⟨26.⟩

Caput e lectione historiae Hunnorum in Chronico Picto servata conscriptum est cum adnotationibus, quae Th. de Siculis addidit.

194 *prelio de predicto* — Th. vocabulum “prelio Crumheldino” hic quoque e textu suo omisit (cf. sent. 191).

Czyglamezew — In gestis Simonis de Kéza “campus Chigle” (SRH I, 162) invenitur. In omnibus variantibus textibus, in quibus historia Hunnorum continetur, vocabulum “campus” in linguam Hungaricam conversum tautologia adhibita et — excepto uno textu (SRH I, 279, adnot. a) — suffixo possessivo addito vocabulum “campus Chiglamezei” scriptum est. (Ad significationem vocabuli “campus” ’castra’ v. Horváth, Hun-tört. 474.) Th.

forma grammaticae recta utitur. Significatio vocabuli “csigla” (chigla) est: ‘saepes alta, saepimentum, agger, vallum, indago’, atque significat etiam ‘terram indagine munitam’ (Thúry J., A székelyek eredete [= *Origo Siculorum*], Erdélyi Múzeum [= *Museum Transylvanicum*] 15 [1898] 207 sqq.). Csiglamező (Chiglamezei) ut vocabulum loci, ergo nomen regionis, quae primum domicilium et descensus Siculorum putari possit, ignotum est. Nomen villae Csögle in comitatu Vesprimensi in Transdanubiana regione anno 1340 in forma Chigla invenitur (Németh Gy., A székelyek eredetének kérdése [= *Quaestio originis Siculorum*], Száz. 69 [1935] 135); atque ita, quoniam Simon de Kéza res in Hungaria gestas historiae Hunnorum in hac ipsa regione Transdanubiana accidisse putavit, credi potest eum in Siculis Hunnos subsistentes quaerentem et invenientem arbitratum esse domicilium Siculorum hoc loco fuisse (Györffy p. 145; Idem prius: A székelyek eredete és településük története [= *Origo Siculorum et historia descensus eorum*], in Erdély és népei [= *Transsylvania et populi eius*], Bp. 1941 pp. 57 sq. vocabulum idem ut nomen commune interpretatus est). Quamquam non est dubium, quin Siculi Hunnorum prognati residui esse possint, vocabulum “csigla” ut vocabulum loci Siculos milites fines regni custodientes fuisse recordari videtur. Nam pro vero constat et singulas colonias Siculas et domicilia continua Siculorum prope fines regni — ubicumque ii constituti erant — porrecta esse; v. chartam geographicam Györffy, Erdély és népei (= *Transsylvania et populi eius*) pp. 40/41.

Erdewelwe — Erdőelve est nomen Hungaricum Transylvaniae mediæ aevi; significat: ‘regio trans silvam’, quod Latine simpliciter translatum “Transylvania” est (Etym. Szótár, I, coll. 1596 sqq.). Meridionalis-orientalis pars Transylvaniae etiam hodie domicilium et sedes Siculorum est.

ad Erdewelwe ... se transtulisse — Scriptor historiae Hunnorum eo, quod Transylvaniam eam regionem esse declarat, quo Hunni se receperunt, Csiglamező, ut hoc per se intellegitur, alicubi a novo domicilio eorum ad occasum fuisse putavit. Quod autem e narratione historiae Hunnorum tantum excogitari potest, id a Th. his vocabulis “Pannonia, regio Pannonica” certe affirmatur. A Th. tamen Pannonia non solum ipsa provincia Romana, id est regio Transdanubiana, sed tota Hungaria — praeter Transylvaniam — putatur.

Hos etiam ... denominasse perhibentur — *Origo Siculorum* est una e quaestionibus studiorum historiae Hungaricae, de qua plurimum disputatum est. In litteris uberrimis diversae sententiae atque opiniones sunt ortae et comprobatae (Ember Ö., A székelyek eredetének irodalma és annak hatása a nemzeti népi törekvésekre [= *Litteratura originis Siculorum et effectus eius ad conatus populares nationis*], Debrecen 1940). Siculi ortu non solum Hunni, Scythae, sed etiam Gepidae, Avari, Onoguri, Bulgari, Kazari, Kabardi Caucasi, Bisseni, Iasyges, Cumani, Rumani, id est Vlachi dicti sunt (Györffy op. cit. in Erdély és népei [= *Transsylvania et populi eius*], p. 34). Ut veri simillimum est, Siculi non posteri unius nationis sunt,

sed ineunte saeculo X gens quaedam composita erat, cui munus finium regni tutandorum a regnanti stirpe Arpadiana datum est. Haec gens ex elementis variis nationum diversarum plerumque tamen lingua Hungarica loquentium composita est.

195 *Hi Siculi ... dubitantur per neminem* — Th. ex historia Hunnorum constituit Siculos sine dubio originis Hunniscae esse. Argumenta, quibus descriptionem historiae Hunnorum in sequentibus approbaturus est, tantum ideo ad probandum apta vidit, quia ipse non percepit ea haud sane memoriam aetatis hunnorum servare, etsi residua vitae communis priscae essent, quae rebus saeculi XV vetustiora erant.

in ipsorum generatione — Th. hic statum gentilem Siculorum indicat. Secundum monumenta litterarum saeculorum XV—XVI in una ex sedibus septem Siculorum, in sede Marusiana (Hungarice Maros-szék) incolae Siculi in genera sex divisi vitam agebant, horum unum quidque in quaternas lineas dispergitum erat; et secundum argumenta eiusdem aetatis, quorum tantum fragmenta restant, in ceteris sedibus quoque simili modo vivebant (Németh op. cit. Száz. 69 [1935] 144 sqq.). Huic ad normam directo statui sociali congruenter ordinatus esse potuit status Hungarorum tempore occupationis patriae, cuius memoria autem propter evolutionem celeriorem saeculo XV iam omnino oblivione deleta est.

in ipsorum ... permixta sanguine — Sententiam, ex qua Siculi sanguinem purum servavissent, Th. scriptori historiae Hunnorum adversaturus effert. Ille enim Siculos cum Vlachis, id est cum Rumanis se permiscentes vixisse affirmavit. Th. enim, qui animo nimium nationi suae favebat, perferre nequivit posteros Hunnorum non Hungaros puro sanguine esse, atque ideo verba fontis iudicio animi sui contraria non solum omisit, sed etiam verba eis contraria profert. Hoc faciendi ius habere se putavit Th., nam ipse res Siculorum saeculo XV ab excogitata narratione scriptoris historiae Hunnorum re vera abhorruerunt.

in moribus severiores — Siculi in angulo regni a capite Buda longissime remoto vitam agebant. Secundum affirmations glottologiae et ethnologiae, quae praecipue ex opere Gilliéron—Edmont “Atlas linguistique de la France” (1903—1910, 1921) manant, apud omnes populos in iis regionibus, quae a sede cultus longe distant, quia istuc novae consuetudines sero afferuntur, conditiones vitae atque praecepta de moribus, quae aliis locis iam transacta erant, praevalent. Res etiam apud Siculos saeculo XV haud aliter erant.

in divisione agri — Communis possessio agrorum, id est communio agrorum, sicut in simili gradu evolutionis viventium populorum omnium, ita etiam Hungarorum insigne proprium erat, qui etiam arva communiter possidebant, hoc valuit toto territorio Hungariae saeculo XIV. At communio agrorum primum in possessione arvorum iam dissolvi incepit, atque ita, ut mox commodis possessorum latifundiorum valere coeptis rustici in usu pratorum, pascuorum silvarumque reprimerentur. Communio agrorum

necessitatem agrorum cultorum ad tempus redividendorum secum tulit. Quod vere modo divisionis ab Engels descripto haud dissentiens erat. Ut agri possessi a communitate dicti Mark, etiam in Hungaria agri culti secundum situm atque qualitatem soli in partes, deinde hae partes in tot aequales particulas, in tractus longos tenuesque terrae (sortes) dividebantur, quot legitimos consortes communio habuit, mox sortitione statutum est, quis quem sortem terrae obtineret (Tagányi K., A földközösség története Magyarországon [= Historia communionis agrorum in Hungaria], Magyar Gazdaságtörténeti Szemle [= Acta Historiae Oeconomicae Hungaricae] 1 [1894] 199 sqq., editio nova cum praefatione Erik Molnár 1950; Székely Gy., A földközösség és szerepe az osztályharcban [= Communio agrorum et partes eius in certamine classium societatis], in Székely, Tanulm. pp. 80 sqq.) Apud Siculos communio agrorum atque cum ea artissime coniuncta conformatio gentium per tempus multo longius permanuit, quam in ceteris partibus regni. Nec apud eos quidem deerant conatus, ut nonnulli partem suam e communione eriperent (Györffy Gy., A székely társadalom [= Societas Siculorum], in Székely, Tanulm. pp. 104 sqq.), atque consortes prius gentilicios potestate iudiciali possessionalique usi iobagiones suos facerent. Sed progressio rerum feudalium apud Siculos saeculo XV adhuc longe afuit ab ea, quae aliis locis conspici potest. Res veteres conservatas esse eo explicari potest, quod Siculi milites limitanei officium finium regni tutandorum suscepérunt. Regi ad fines regni meridionales-orientales contra Turcos tutandos equitatum levi armatura Siculorum habere necesse erat, atque ideo ipse conatibus primorum Siculorum feudalibus non favebat. Favore huius modi autem deficiente ius possessorum latifundiorum confirmari non potuit.

dicarum adinstar — Dica primo id bacillum est nominatum, in quo vectigaliarius summam a iobagine exactam incidit, quod mox in duas partes considit et partem alteram sibi retinuit, alteram autem apud iobagionem reliquit; duabus partibus inter se aptatis iobagio si dubitatio iniecta est, testari potuit se tributum pependisse. Item ipsum tributum dica nominatum est. Vocabulum saeculo XV pervulgatum est. Significatio vocabuli 'incisura' est, et idem significat, ac vocabulum Francogallicum "taille", quod item etiam vectigal significat.

Hi nondum ... utuntur — Scriptura incisa originis Turcicae, sicut nomen eius et ipse Th. eam recte describens testantur, ad significandas voces talibus litteris usa est, quae non penna scriptae sunt, sed cultro in ligno incidebantur. Quia ordo litterarum scripturae incisae ad significandas proprias voces Hungaricas, ut *f* et *h* litteris Graecis adiectis amplificatus est, haec consuetudo Graeca—Hungarica autem non nisi in ora Ponti Euxini fieri debuit, pro certo haberri potest scripturam incisam iam ante occupationem patriae non solum ad conservandum sermonem Hungaricum aptam fuisse, sed etiam pro scriptura Hungarica censeri potuisse (Németh Gy., A magyar rovásírás [= Scriptura incisa Hungarica] A magyar nyelvtudo-

mány kézikönyve [= *Enchiridion glottologiae Hungaricae*] II, 2, Bp. 1934, pp. 14 sqq., 29). Quod scriptura incisa vere scriptura Siculorum erat, Th. contra narrationem fontis sui, Chronicus Picti affirmandum putavit. Nam auctor Chronicus Picti, congruenter Simoni de Kéza — quamquam grammaticae haud indubia voce, quia vocabulum “ipsorum” ad ipsos Siculos quoque pertinere potest — Siculos cum Vlachis, id est cum Rumanis se commiscentes scriptura eorum usos esse declavarit (SRH I, 279: “Vlachis commixti litteris ipsorum uti perhibentur”). Sententia Th., in qua falsam narrationem fontis sui emendavit, omnino subtilis est. Vere monumentum non superest, quod usum scripturae incisae apud populum Vlachum (Rumanicum) approbaret, at monumenta scripturae incisae in lingua Hungarica etiam e saeculo XVI servata sunt, id est scriptura etiam tunc adhuc usitata erat (Sebestyén Gy., *A magyar rovásírás hiteles emlékei* [= *Monumenta vera scripturae incisae Hungaricae*], Bp. 1915, pp. 69 sqq.).

Hi etiam ... Ruthenia occurserunt — Secundum Anonymum partim Siculi, qui in Byhor (Bihar) remanserunt, partim Cumani ducibus Ed et Edumen in Ruthenia habitantes se ad Hungaros adiunixerunt. Cum historia Hunnorum scriberetur, Siculi iam in Transylvania habitabant, atque ita scriptor eos in Byhor producere anachronismum putavit, partim autem quia tempus immigrationis Cumanorum, qui se a Tartaris receperunt, omnibus notum erat, eos tempore occupationis patriae adiunctos esse ipse scribere non potuit. Byhor atque Cumanis omissis reliqua elementa narrationis copulans locum, quo Siculi se adiunixerunt, Rutheniam fuisse designavit (Györffy pp. 144 sq.).

196 *Tunc redeas ... Grecia revertetur — Sententia scriptoris historiae Hunnorum, ex qua dictum huiusmodi apud Siculos saeculo XIII pervulgatum erat, probabilis est (Riedl F., Csaba és berni Detre a magyar mondában [Chaba et Detricus Veronensis in sermone Hungarico], in Gragger pp. 5 sqq.; Hóman, Hún-hagyomány p. 76). Proverbiū memoriam reliquae partis populi Hungarorum servat, quae post occupationem patriae in Graeciam migravit. Ut Anonymus tradit, dux horum Hungarorum quidem Zuard erat, tamen etiam ipse testis coniunctionis huius populi cum Chaba est haec dicens: “populus ille, qui nunc dicitur Sobamogera, ... in Grecia remansit” (SRH I, 93). Recordatio igitur ducis cuiusdam Chabae vetustior est illo tempore, cum historia Hunnorum scripta est. Tamen Chabam et Irnik, qui filius natu minimus Attilae erat, eosdem fuisse a scriptore historiae Hunnorum excogitatum esse veri simile videtur. Hic tamen observandum est in indice ducum Bulgarorum, qui in duobus manuscriptis saeculo XVI ortis, quae hodie Moscoviae et Leninopoli servantur, permansit, Irnik proavum fabulosum trecentos annos regnante primo duci Avitochol (Attila) nominato successisse. Praesentia nominis eius demonstrat memoriam Attilae non solum apud populos occidentales servatam esse et de figura eius sermones ortos esse, sed etiam apud populos, qui in oriente quandam Attila regnante remanserunt, ita etiam apud Bulgaros. Quia autem in classe*

societatis praevalenti Hungarorum innumerabilibus vocabulis linguae Hungaricae affirmantibus elementa Bulgaro-Turcica valida erant, iure existimari potest hunc ordinem praevalentem opinionem de propinquitate, immo etiam de identitate Hunnorum atque Hungarorum secum tulisse et eam ut famam Hungaricam coluisse et aliquam memoriam ducis Hunnisci ad orientem profugientis et regni Attilae in Pannonia servavisse (Gombocz Z., A bolgár-kérdés és a magyar hunmonda [= Quaestio Bulgara et fabula Hunnisca apud Hungaros], MNy 18 [1922] 21).

Chaba vero ... opprobrio erat — Reges Hungarorum consequenter e familiis principum externorum sibi uxorem duxerunt, quia ad vincula internationalia artius coniungenda nuptiae huiusmodi maxime aptae videbantur. Saeculo XIII res non mutatae erant. Uxor Belae IV. filia Theodori I. Lascaris, imperatoris Nicaeae erat, sed Stephanum V. matrimonio cum puella Cumanica coniunxerunt (Wertner pp. 460, 501). Simon de Kéza, ut videtur, haec duo matrimonia in tempus Hunniscum rettulit. Impossibile est putare eum auctoritatem regis Ladislai IV., nati matre Cumanica minuere voluisse, item non veri simile videtur ipsum genus Abae collaudaturum fuisse. Clericum fidelem non magis decuit dominum suum offendere (Horváth, Hun-tört. 450), quam collaudare genus Abae, cuius e membris Fintam rex etsi palatinum fecerat, sed anno 1281 a palatinatu removit, immo etiam contra eum ad bellum profectus est, mox anno 1285 Omodeum, anno 1286 autem Mokianum palatinum creavit (Paurer, II, pp. 376 sqq.; Karácsonyi, I, pp. 23 sqq.). Simon de Kéza, ut videtur, sensum in facetiis habuit. Nobilibus enim suaे aetatis gentem Hungarorum nobilissimam et probabiliter superbissimam apposuit “ornatam” iisdem conexibus familiaribus, quae — similes aut congruentes — apud “nobilitatem”, cum res Ladislai IV. tractarentur, in magna offensa erant (Horváth, Hun-tört. 448 sqq., 474).

Edemen vero ... generationem processisse — Ab Anonymo rex Aba¹⁹⁷ Samuel atque una cum eo genus Abae e ducibus Cumanicis Ed et Edumen oriundi dicti sunt (SRH I, 73). Genealogia ex Edumen generis Abae denique etiam id ostendere posset, quod prognati ex Aba materna stirpe orientalis, Chorosmianaе originis essent. Regio, ubi Abae descensum habebant, vere eadem erat, in qua posterius Palocii habitabant (Kovács B., Kabarok és palócock [= Kabari et Palocii], Az Egri Múzeum Évkönyve [= Annales Musei Agriensis] 1969, pp. 161 sqq.), impossibile igitur non est Abas regulos gentis Kabarorum fuisse. Saeculo XIII gens adhuc memoriam mentibus infixam habere potuit originis a Hungaris alienae, tamen item orientalis (Györffy p. 144; S. P. Tolstov, Az ősi Chorezm [= Chorezm vetus], Bp. 1950. p. 233; Horváth, Hun-tört. 448). Quod Anonymus originem Cumanicam, Simon de Kéza autem genealogiam Chorosmianam describentes demonstrant. Hanc originem identificare facilius erat eo, quod genus Abae saeculo XIII progeniem nomine “Chaba” habuit, inter praedia

autem fuit villa, quae Chabamezey est nominata (Karácsonyi, I, pp. 3, 45, 60, Wenzel, X, p. 332).

198 *aut dispersit* — Th. hic iterum, et quidem iam tertio omittit, quod scriptor fontis, Chronicus Picti “prelum Crumheldinum” indicat.

Swathepolug — Svatopluk, princeps Moraviae (870—894) dizione Germanorum excussa dominationem ultra regionem fluvii Moravae in fines Bohemiae, in regionem, ubi fluvius Vistula oritur, in regiones fluviorum Nitriae et Vagi, immo etiam Grani et — secundum A. Huber (Beiträge zur älteren Geschichte Österreichs, MIÖG 2 [1881] 374 sqq.) et Paurer (Szt. István pp. 27, 146) — in terram inter fluvios Danubium et Tisciam iacentem quoque extendit. Fines Moraviae longius ad orientem et ad meridiem-orientem dilatos esse in hodierna historiographia Slovaca vulgo affirmatur, sed argumentis non probatur (Dejiny Slovenska [= Historia Slovaciae], I, Bratislava 1961, p. 106; P. Ratkoš, La conquête de la Slovaquie par les Magyars, Studia Historica Slovaca 3 [1965] 11). Moravia post mortem Svatopluk, qui autem non in pugna cecidit, cito dissoluta est, ad quod incursio Hungarorum multum conferebat. (Regino, ad annum 894: “Circa haec etiam tempora Zuendibolch rex Marahensium Sclavorum, vir inter suos prudentissimus et ingenio callidissimus, diem clausit extremum; cuius regnum filii eius paucō tempore infeliciter tenuerunt, Ungaris omnia usque ad solum depopulantibus.” Gombos, III, p. 2039.) Res, id est eversio Moraviae, quae in Gestis inferius iterum atque iterum memoratur (SRH I, 288, 290, 304; Th. (30., 50.)), non solum ab auctore Gestorum eventus gravis, sed vere magni momenti fuit. Non solum Palacky sic opinatur, qui fautor civilis nationis sua erat (“Die Invasion der Magyaren und ihre Festsetzung in Ungarn ist eines der folgenreichsten Ereignisse in der Geschichte Europa’s; sie ist das grösste Unglück, das die Slavenwelt im Ablauf der Jahrtausende betroffen hat”. Fr. Palacky, I, p. 195), sed etiam Ranke (“Ein Ereignis von der grössten Bedeutung für die allgemeine, für die deutsche Geschichte”. L. v. Ranke, Weltgeschichte, München und Leipzig 1921⁴, VI, p. 40). Formae nominis Zuataplug, Zuatapolug, quae in lingua Hungarorum inveniuntur, derivatae e nomine pristino Svetoplk esse non possunt, sed tantum mutuae formae nominis Bohemici Svatopluk sunt, quod posterius, post saeculum XI ortum est (Melich J., Svatopluk, MNy 18 [1922] 110 sqq.). Forma nominis posterius orta demonstrat nomen sic in Gestis veteribus saeculi XI adhuc non scriptum esse. Quia apud Anonymum omnino non memoratur, fieri potest, ut id scriptor historiae Hunnorum textui inseruerit (Hóman pp. 24, 70; Györffy p. 105).

filium Marothy — E nomine populi, ut est consuetudo chronographorum medii aevi, fictum est nomen personae. Significatio nominis est: ‘Moravus’ et ad Slovacum vocabulum “moravec” (plur.: “moravci”) referri potest. Etiam nomina vicorum, qui hodie in Slovacia nomine “Moravce” nominantur, in diplomatis mediis aevi in lingua Hungarorum “Marót” scripta sunt (Paurer, Szt. István pp. 201 sqq. Cf. Melich I. cit. 225). Scriptor Gestorum

eo, quod patrem Svatopluk Marot fuisse scripsit, memoriam populi Mavorum servavit, qui tempore occupationis patriae in parte septentrionali-occidentali Hungariae medio aevo regnum tenebant (Hóman, Hún-hagyomány pp. 28, 61).

natione Polonum — Sententia scriptoris historiae Hunnorum est, quae nullis argumentis confirmari potest.

Bulgaris — Exeunte saeculo IX regiones orientalis meridionalisque Hungariae medii aevi additis Transylvania et Syrmia sub dicionem Bulgarorum in patriam suam hodiernam exeunte saeculo VII migrantium redactae sunt (Pauler, Szt. István p. 30).

Messianis — Incolae Moesiae sunt, igitur Bulgari, qui in litteris Byzantinis nomine “Muσού” memorantur (Hóman, Hún-hagyomány p. 61; I. Tóth op. cit. Száz. 79–80 [1945–1946] 53 sqq.). Sanctus Ladislaus “Ungarorum et Messie rex” a se nominabatur (Fraknói V., Szent László levele a montecassinoi apáthoz [= Epistola Sancti Ladislai ad abbatem Montecasinensem], Ért. tört. tud. XIX/8, Bp. 1901, p. 3). In Chronico Picto nonnullis versibus superius incolae Pannoniae ante occupationem patriae Hungarorum memorantur: Slavi, Graeci, Vlachi atque advenae Teutonici quoque (SRH I, 281). Fieri potest, ut Th. omnes hos populos, imprimis Teutonos fortuito aequo ut considerate omiserit, si autem considerate factum est, hoc exprimit, quam adversarie Teutonis ipse senserit.

series infrascripte historie plenius exprimet — V. inferius in capite {30.}.

pontem Bani — Hodie — nomine Bánhida — pars oppidi Tatabánya est in comitatu Comaromiensi.

Voluere tamen ... invenissent dominantem — In historia Hunnorum secundum Györffy (p. 20) sententia scriptoris Gestorum veterum indicatur, nam vocabulum “quidam tradunt” (SRH I, 282) descriptionem scriptoris Gestorum veterum significat. Origo nominis Marot, quod e nomine populi formatum est, simul autem nomen Svatopluk, cuius apud Anonymum nulla mentio facta est, atque forma nominis illius post saeculum XI conformata demonstrant Marot in Gestis veteribus ut adversarium Hungarorum et principem Pannoniae memoratum esse et nomen Svatopluk non nisi posterius in historiam Hunnorum insertum esse. Haec opinio eo quoque affirmatur, quod Regino libris chronographis Hungaricis non prius, quam exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII fonti erat (Kristó 1970, FK 112 sq.), unde nomen Zuendibolch transcriptum esset, sed iam in ea forma, quae ad illud tempus apta erat omissa consonanti nasali. Ita etiam in ea parte Gestorum, quae archaica dici potest, describitur (Th. cap. {30.}).

Wezprem — Hodierna civitas Veszprém (Vesprimum) est a lacu Balaton ad septemtriones sita. Vocabulum loci e nomine personae ortum est. Bezprem ut nomen personae et in monumentis Polonicis et in Bohemicis invenitur. Significatio eius est: ‘iniquus, inquietus’. Bezprem est nominatus filius regis Poloniae Boleslai (Bolesław) (992–1025) natus uxore secunda, quae soror natu maior Sancti Stephani erat (Melich pp. 398 sq.).

⟨27.⟩

Communis textus duorum variantium est Gestorum additis significationibus Th. ad suum tempus aptis.

200 *Incipit ... Hungarorum — Index congruit indici Chronici Budensis: “Incipit prologus secunde partis cronice Hungarorum”* (SRH I, 283).

Hunorum sive Hungarorum — In omnibus variantibus codicum hic Hunni memorantur. Hungari tantum in V₅, ubi autem vocabulum “Hunni” omittitur.

quique finis ... obtigit — A Th. insertum est.

numerus armatorum — In omnibus variantibus Gestorum est vocabulum “armatorum” (SRH I, 283).

qualiter de novo ... usque in diem — Textus a Th. auctus est. Ambobus amplificationibus Th. Hungaros admonitus erat, quam magni momenti esset ipsos patriam habere. Quamquam vocabulum “patria” non descriptsit, ipse tantum de patria cogitare potuit. Textus amplificatus opinioni vulgatae saeculo XIII comparatus scriptorem totum in affectionibus esse demonstrat. Simul Th. regnum domicilium eius modi esse videt, in quo Hungari summam imperii obtainent. Th. certe a communi opinione classis praevalentes — nobilium, possessorum agrorum — ne in hac re quidem dissentit.

⟨28.⟩

Th. caput e duobus variantibus Gestorum Chronicon Pictum potissimum sequens et textum illius non nihil mutans composuit. Textus Gestorum saeculis XIII—XIV scripti sunt, sed partes e prioribus chronicis quoque continent.

201 *Narratio ... foeliciter — Index est immutatus index in B et D: “Hec secunda pars coronice est de secundo ingressu Hungarorum in Pannoniam et de vita et morte regum eorundem in dicto regno hinc inde successorum”* (SRH I, 284).

Porro — Th. hic textum familiae Chronici Budensis secutus est, nam vocabulum “Porro”, quo enuntiatio initium capit, tantum hic invenitur.

Eleud — Significatio vocabuli Eleud incerta est: sive ‘proavus’, sive ‘primogenitus’, ‘natu maximus’ (Pais, Anonymus p. 113; Etym. Szótár, I, col. 1532), sed omni modo vocabulum Hungaricum elő ‘primus’ in eo delitescit. Et historice, et grammaticae differt a forma Levedi (Λεβεδίας), qui, sicut Constantinus Porphyrogenitus informationes Hungarorum sequens adnotat, primus vaivoda Hungarorum erat, et contradicens kagano Kazarorum optanti, ut princeps totius populi Hungarorum fieret, pro se voivodam alterum, Almum commendavit confirmans hunc etiam filium,

nomine Arpad habere (Konstantín pp. 170 sq.). Levedi igitur stirpi aliae praeesse potuit atque Almus vel Arpad, simul in nomine Levedi forma quaedam Hungarici verbi lenni 'esse' includitur (Györffy Gy., A honfoglaló magyarok települési rendjéről [= Quo modo Hungari patriam occupantes descensus ordinaverint], AÉ 97 [1970] 210).

filius Vgek — Ugek apud Anonymum pater Almi est, in Gestis — in fonte Th. — avus Almi fuisse legitur. De Ugek ut persona magni momenti in historia saeculi IX argumentum vel commemoratione non superest (Németh p. 280). Ei compar nomen saeculo XIV (Vgech), nonnulla comparia vocabula locorum autem medio aevo inveniuntur (Kristó—Makk—Szegfű I, p. 42). Nomen Ugek (Ügyek) secundum Pais (Anonymus p. 113) e vocabulo Hungarico "ügy ~ egy" 'sanctus' Hungarica syllaba paragogica addita formatum est. Secundum J. Balázs (Contributions à l'étude des vestiges linguistiques relatifs à la religion primitive des Hongrois, Acta Linguistica Acad. Scient. Hung. 6 [1959] 145 sq.) radix vocabuli "ügy—" e vocabulo Turcico oritur, quod 'dominus, deus' significat. Györffy (Tanulm. pp. 82 sq.) vocabulum e nomine dignitatis Turcicae derivatum esse putat. Ut ipse arbitratur, id e vocabulo Turcico "ügä" Hungarico suffixo -k addito formatum est et significat: 'minister, ratio; prudens, peritus homo e populo, dignitas proxima est dignitati ducis'; ea res autem, quod in genealogia stirpis Arpadianae memoratur, affirmat proavos Arpad hac dignitate functos esse, immo etiam ipsum Arpad ügä fuisse, antequam potestate principis potitus est. D. Pais interpretationem Györffy non repudiens vocabulum Turcicum "öge" e verbo quodam "ög" 'laudat, aestimat' derivatum esse putat (Pais p. 303).

Enodbilii — In Gestis a Th. transcriptis: Eunodbilia, Ennodbilia (SRH I, 284), apud Anonymum in forma pleniore: Eunedubelianus (ibidem I, 38) invenitur. Secundum Györffy (pp. 11 sqq.) Anonymus e sequentibus nominibus composuit: Enech (= cerva, proavia Hungarorum), Dula (= princeps Alanorum), Belar (= nomen Bulgari populi), mox nomini ita composito -ianus suffixum Latinum additum est. Haec nomina in fabula originis Hungarorum et in fabula raptus feminarum inveniuntur. Cerva, quae personam proaviae Hungarorum gerit, Hungaros in patriam novam, in Maeotiam dicit, quo Hungari incursione in campum incultum facta etiam uxores filiorum Belar et duas filias principis Dulæ secum ferunt. Fabulam Anonymus in opere suo non adnotavit, quia raptus feminarum opinioni ethicae suae contrarius erat, tamen concedi posse putavit, ut filia Eunedubeliani, cuius nomen e supradictis nominibus compositum est, Emese uxor Ugek et proavia stirpis Arpadianae fieret. Admonente Horváth (p. 16) artem fingendorum nominum medio aevo insolitam fuisse, ex qua nomina nova syllabis compositis fingerentur, immo etiam e contrario exempla inventa demonstrare nomina propria in syllabus partita enodata esse, Györffy interpretationem suam abiecit. Nova explicatio eiusdem (Tanulm. p. 82), ex qua nomen repetit vocabulum Turcicum "Āwin-Edebalinij"

'fetus Edebali', igitur fabulam originis domus principalis Osman, recusata est (Czeglédy K., Oszmán apósa Anonymusnál? [= Socer Osman sit apud Anonymum?], MNy 55 [1959] 519).

in Scicia — Hoc vocabulum Th. e familia Chronicci Picti transcripsit, in familia Chronicci Budensis hoc loco "in Magor" (in D "in Scitia Magor") invenitur (SRH I, 284).

Almus — Nomen Almus testibus diplomatibus medii aevi etiam posterius appareat. Radix nominis, ut conici potest, vocabulum Hungaricum "álm" 'somnus' in forma vetere "almu" est, ex quo suffixo blandienti addito nomen Almus factum est. Almus in indice nominum principum apud Constantinum Porphyrogenitum Ἀλμούτζης est. (Forma Σαλμούτζης secundum Gy. Moravcsik — Levente és Álmos [= Levente et Almus], MNy 22 [1926] 83 sq. — falso lecta est.) Tamen fieri potest, ut nomen Almus nomini Almyš, principis cuiusdam Bulgarorum circa annum 920 ad Volgam viventium congruat, et tunc nomen Almus Turcicam etymologiam habet (Etym. Szótár, I, col. 79; Németh pp. 281 sq.).

avem quandam in forma austuris — Totem stirpis Arpadianae astur palumbarius erat, cuius nomen Hungaricum in Gestis Simonis de Kéza adnotatum "turul" (SRH I, 152) est. De vocabulo Latino "austur ~ astur" lege Gáldi L., Contributions à l'étude des lexiques latins-hongrois du moyen âge (Eötvös Füzetek — Fasciculi Eötvös — XI), Bp. 1938, p. 23. Contra haec cf. Gerics J., Krónikáink és a Szent László-legenda szövegkapcsolatai (= Coniunctiones textuum inter Chronica Hungarica et legendam Sancti Ladislai), in Horváth—Székely pp. 135 sq. Hungaricum vocabulum "turul" e vocabulo Turcico "toyrul, toyril" 'Falco rusticulus altaicus' derivatur (Thúry J., A turul madár [= Avis astur], Turul 4 [1886] 124 sqq.; Gombocz Z., Árpádkori török személyneveink [= Hungarica nomina personarum e Turcicis nominibus derivata], MNy 10 [1914] 296 sqq.; Pais D., Turul [= Astur], MNy 45 [1949] 37, 40; Györffy p. 46).

Porro ... reges propagati sunt — Textus fabulae originis stirpis Arpadianae, familiae regnantis Hungarorum, qui apud Th. legitur, post complures mutationes in hac forma descriptus est. Adhuc incertum est, utrum fabula in forma prima e societate paterni, an materni iuris orta sit. Responsum in eo positum est, quo modo nomen in fabula repertum explicetur, quod apud Anonymum in forma Emesu servatum est (SRH I, 38). Nomen proaviae in fabula e vocabulo Hungarico "eme" 'mater' syllaba paragogica deminutiva-blandienti addita Emesu est, cuius significatio 'matercula' est (Etym. Szótár, I, coll. 1545, 1548; Pais, Anonymus p. 113; Pais op. cit. MNy 55 [1959] 78 sq.; ad vocabulum emse v. TESZ I, pp. 764 sq.). Si nomini Emesu, quod in fabula invenitur, haec significatio subiecta est, ergo personam sustinet, sive officium praestat, tunc in Emesu vocabulum Hungaricum emse, cuius significatio 'matrix (sus)' est, inesse haud necesse videtur. Itaque omittitur, quod sus *unum* ex totem stirpis Arpadianae erat, atque non est, cur fabula monumentum societatis materni habeatur (Pais pp.

308 sq.). Tamen non est dubium, quin fabula tota iam res patriarchatus significet, nam secundum fabulam mater in somnis ab astre gravida facta est, ex quo certe totem stirpis Arpadianae astur fuit. Apud populos Asiae Mediae et Siberiae originatio a proavo animali pervulgata fuit. Exempli causa Turci et populus Ujgurorum proavum lupum, populi Kara-Kirgiz et Baskir nominati canem, Tartari Altaici ursum colebant. Fabulae Hungarorum proxima est fabula quaedam Kirgiz, ex qua uxor tertia Samambet, qui proavus generis Džankytej populi Kirgiz erat, quia stirpem nullam liberos rum habens a marito non amata est, in loca deserta fugit. Ibi diu plorabat, mox defatigata obdormivit. Tum bubo advolavit, in humero eius consedit, consolatoria verba ei in aures insusurrabat. Femina somno excitata se gravidam factam esse sensit; domum reversa est et brevi filios duos peperit (Györffy p. 40). Hungarica fabula Almi in notis suis omnino respondet rebus vitae Hungarorum, quam ipsi tempore primo proprie vivebant. (Primum studia glottologica et ethnographica aperuerunt, quales notas totemismi fabula haberet; historia autem his observatis tantum posterius usa est. Sebestyén, Mondái, II, pp. 60 sqq.; Gombocz op. cit. MNy 10 [1914] 244 sqq.; Róheim G. op. cit. Ethn. 28 [1917] 77 sqq.; Németh pp. 68 sq.; Deér, Heidnisches pp. 49 sqq.; Zichy I., Magyar őstörténet [= Historia vetus Hungarorum], Bp. 1939, pp. 18 sq.; Molnár p. 45. Bibliographiam studiorum ad fabulam pertinentium tradunt: Györffy p. 40, Kristó 1970, 116; v. etiam Dümmerth D., Álmos fejedelem mítosza és valósága [= Mythus et veritas ducis Almi], FK 17 [1971] 404 sqq.) Adhuc non constitutum est, quis chronographorum primus fabulam asturis descripserit. A vero non abhorret, quod eam scriptor Gestorum veterum propter sententiam fidei Christianae contrariam posteritati non tradiderit. Pro certo affirmari potest fabulas asturis, quae apud Anonymum et in Gestis saeculi XIV servatae sunt, e communi fonte scripto ortas esse, sed incertum est, quo tempore hic fons communis ortus sit, immo etiam credi potest paullo ante Anonymum descriptus esse. (Litteraturam quaestionis v. Kristó 1970, 116 sq.) Anonymus quidem elementa ficta fabulae accepit et in Gestis descriptsit, tamen naturam vimque rei accurate obtegens. Anonymus enarrat: filius Emesu "ab eventu divino est nominatus Almus, quia matri eius pregnanti per sompnium apparuit divina visio in forma asturis, que quasi veniens eam gravidavit et innotuit ei, quod de utero eius egredetur torrens et de lumbis eius reges gloriosi propagarentur, sed non in sua multiplicarentur terra. Quia ergo sompnium in lingua Hungarica dicitur almu et illius ortus per sompnium fuit pronosticatum, ideo ipse vocatus est Almus" (SRH I, 38). Sicut igitur Anonymus fabulam transcripsit, mater coire cum totem tantum somniavit, hic caelestis visus posteros gloriosos fore praesagitus fuit, ceterum autem mores Christiani ne cogitatione quidem laedi possint, mater somnio oblato iam grida est, id est prognati eius non a totem oriuntur. Attamen Anonymus satis aperte elementa quaedam fabulae secundum mores Christianos transformatae conservaturus fuit, et elementa fabulae ex

totemismo orta esse satis aperte ostendit, nam Emesu, quae iam gravida erat, in somnis ab asture *iterum* praegnans fit. In textu Gestorum saeculi XIV — fontis Th. — omittitur mater ab asture gravida facta esse, hic iam astur non nisi officium fatidicum habet praesagiendo gloriam prognatorum matri Almi, quae in Gestis nec iam Emesu vocatur (Györffy pp. 39 sq.; Horváth pp. 15 sqq.). Th. sententiam veram textus, quem in manibus habuit, magis explicaturus narrationem ita describit, ut totam in somnum quoddam transformaverit. Igitur ipsa mater videt in somnis torrentem diffundi, item videt asturem — hoc quoque a Th. inventum est — caput gremio suo demittere. Hoc supplementum demonstrat Th. fabulam Almi e sermone populari iam non notam habuisse atque elementa fabulae e totemismo orta ei prorsus incredibilia facta esse. Opinio Róheim (op. cit. 79) et Z. Tóth (Szt. István legréggibb élétirata nyomán [= De vestigiis legendae veterimae Sancti Stephani], Száz. 81 [1947] 39), ex qua descriptio Th. et Ránsani quasi e fonte quodam — cum Gestis non coniuncto — oriri potuerit, nullis argumentis probatur (Györffy p. 47).

reges propagati ... regnavere — Re vera vocabulum Hungaria rectius esset, quia reges in tota Hungaria, non autem tantum secundum propriam et principalem sententiam verbi in Pannonia, id est in regione Transdanubiana, aut in ea parte regni, quae a Transylvania ad occasum porrigitur, regnabant. Vocabulum Pannonia potissimum a Th. usitatum affirmat eum humaniorum litterarum studiosum fuisse.

202 *vocatus fuit Almus* — Apud Th. hoc loco sine dubio per errorem vocabula: “qui fuit Eleud” — contra verba prima huius capititis et textus Gestorum — omittuntur. Fr. Hirth genealogiam apud Th. conservatam veram esse putat, atque eam ab erudito quodam viro externo, qui in aula regis Hunnorum aderat, adnotatam esse arbitratur, immo vero congruentem cum indice nominum imperatorum populi Hiung-nu in fontibus Sinensibus descripto videt ex huiusmodi insolitis identificationibus factis: nomen Turcicum Baktur in lingua Sinensi Mau-tun transcribitur et idem est ac Bezter, nomen Ujgurense Mingi in lingua Sinensi est Lau-sang et idem est ac Mike, porro Miske idem est atque I-tsi-sö, Kulche idem est atque Hu-lu-ku, Leuente idem est atque Hü-lü-k'üan-k'ü (Sinologische Beiträge zur Geschichte der Türkvölker I, Die Ahnentafel Attila's nach Johannes von Thurócz, Bulletin de l'Académie Impériale des Sciences de St.-Péterbourg, ser. V, tom. 13, num. 2. pp. 221—261 et “Attila családfája” [= Stemma gentile Attilae]. Keleti Szemle [= Acta Orientalia], Revue Orientale pour les études ouralo-altaïques 1 [1900] 81 sqq.). Explications et ex toto et in omnibus partibus falsas refutat L. Ligeti (Attila családfája [= Stemma gentile Attilae], Eötvös Füzetek [= Fasciculi Eötvös], V. Veszprém 1926). A viris doctis hic index nominum omnibus rebus circumspectis summatim pars compositionis cuiusdam saeculo XIV conscriptae esse putatur (G. Fehér, Bulgarisch-ungarische Beziehungen in den V—XI Jahrhunderten, Keleti Szemle [= Acta Orientalia] 19 [1921] 93; Váczy P.,

Anonymus és a Justinus-kivonat [= *Anonymus et excerptum Iustinianum*], Turul 58–60 [1944–1946] 10; Csóka p. 595). Györffy magistrum Acus, qui idem esse ac scriptor historiae Hunnorum putatur, compositorem genealogiae dixit (Györffy pp. 46, 146, 173 sq.). Secundum Horváth hic index genealogiae in hodierna forma tantum a compositore saeculi XIV conscriptus esse potest, ipse tamen credit traditum textum Chronicum Posoniensis (SRH II, 34) observans iam magistrum Acus ad indicem nominum septem ducum adiecisse indicem nominum Hungaricarum familiarum nobilium e Scythia egressarum. Magister Acus ita non solum septem duces Hungariam occupavisse et cum comitantibus incolis frequentavissem, sed praeter eos etiam multos alios nobiles e Scythia ortos esse demonstratus erat. Index nominum ab auctore rectissime in initio historiae Hungarorum positus est; ibique in textu Chronicum Posoniensis servatus est (SRH II, 34). Compositor saeculi XIV indicem nominibus e historia Hunnorum sumptis supplevit et confusionem eo auxit, quod nomina, quae principio genera singula significabant, unum ex altero orta esse — formulam in Sacra Scriptura inventam “qui fuit” adaptans — scripsit (Horváth pp. 364 sq.). Index nominum hanc formam servans in Chronicum Posoniensi iterum quoque invenitur (SRH II, 31).

qui fuit Ed — Item per errorem omitti potuit, nam prius coniunctionem genealogicam accurate demonstravit: “qui fuit Chaba”.

sive Atila — Interpretatio a Th. inserta est; Gestis deest.

Turda — Medio aevo saepe et nomen et vocabulum loci in frequentem usum venit (Kovács, Index pp. 699, 708; Kristó—Makk—Szegfű, II, p. 44), quod etiam ut nomen unius ex comitatibus Transylvaniae notum est.

Scemen — Idem est ac nomen generis Zemen (Szemény) in historia Hunnorum (v. caput (12.), sent. 96).

Ethei — Nomen in forma Etey, Ethey in diplomatis invenitur (Kovács, Index p. 229; Pais D., Budapest kialakulásának kezdetei [= Primordia Budapestini conformandi], MNy 50 [1954] 509; Gyóni M., Kalizok, kazárok, kabarok, magyarok [= Kalizi, Kazari, Kabari, Hungari], MNy 34 [1938] 165; Györffy, Tanulm. p. 52). Ut vocabulum loci quoque in frequentem usum venit (Kristó—Makk—Szegfű, I. p. 54).

Opos — Homines hoc nomine nominati in fontibus saeculorum XI—XIII inveniuntur (SRH I, 538; Kovács, Index p. 498).

Kadicha — V. caput (12.), sent. 96.

Berend — Et nomen et vocabulum loci notum est (SRH I, 500, v. Th. caput (124.), sent. 518; Kristó—Makk—Szegfű, I. p. 39).

Sulthan — In Gestis: Zulta, Zultha, in V₅: Zwlka (SRH I, 285) legitur. Discrepantia videtur ab ea re orta esse, quod Th. hoc nomen idem esse putavit ac nomen Zoltan, filii Arpad, quod inferius scriptum est.

Bulchu — De duce Bulchu in Gestis mentio fit atque ea sequens Th. de eodem inferius in capite (52.) scribit.

Bolug — Et in nominibus et in vocabulis locorum saepe invenitur

(Kovács, Index p. 98; Kristó—Makk—Szegfű, II, p. 7). Etiam duo genera — Balog et Balogsemjén — nomen Balog continent (Karácsonyi, I, pp. 174 sqq., 181 sqq.).

Zambur — Idem dici potest atque hodiernum nomen Zombor, quod et vocabulum loci et nomen in diplomatibus saeculi XIII pari modo invenitur (Györffy, Tört. földr. I, p. 878; Karácsonyi, III/1, p. 26; Kristó—Makk—Szegfű, I, p. 57).

Zamur — Ut vocabulum loci congruit cum vocabulis locorum Zamur in comitatu Strigoniensi (Wenzel, XII, p. 145), ac Zamoly in comitatu Albensi (medio aevo Zamur, Zamor, Csánki, III, p. 357), quod e nomine personae derivatum esse videtur (Mikos J., A fehérvári kereszesek 1193. évi oklevele mint magyar nyelvemlék [= Diploma cruciferorum Albensium anno 1193 scriptum ut monumentum linguae Hungaricae], MNy 31 [1935] 299).

Leel — De duce Lel, Lehel Th. secundum Gesta in capite (52.) accurate scribit.

Leuente — De fratre regum Andreae I. et Belae I., cui hoc erat nomen, Th. iterum commemorat.

Kulche — Comes Kölce, qui de genere Scentemaguch (Szentmágócs) est ortus, medio saeculo XII vixit atque etiam exeunte saeculo XIII alias quidam de eodem genere nomen Kulchey habuit. Nomen e formis Culcey, Kulchey (Külcsej) saeculi XII gradatim transformabatur et Külcsej>Külcse>Külcse>Kölce factum est (Pais D., Kölce, MNy 25 [1929] 127 sq.; Karácsonyi, III/1, pp. 62 sq.). In Gestis nomen iam in forma recentiore saeculi XIII invenitur. Ut vocabulum loci quoque notum est (Kristó—Makk—Szegfű, II, p. 41).

Ompud — Ampod (Ampodinus) nomen est, quod in diplomatibus saeculorum XI—XII saepe invenitur (Reg. Arpad. I, p. 522; Kovács, Index p. 496).

Miske — Nomen e forma blandienti nominis Michaelis Miska concentu vocalium derivatum est (Kovács, Index p. 449; Szamota—Zolnai col. 661; Melich J., Kereszneveinkról [= De praenominibus Hungaricis], MNy 10 [1914] 194).

Mike — Veri simile forma blandiens nominis “Miklós” (Nicolaus) est. In diplomatibus saeculi XIII persaepe legitur (Szamota—Zolnai col. 658; Kovács, Index pp. 445 sq.).

Beztur — Nomen Bezter, Beztur, quod in diplomatibus saeculi XIII invenitur, v. Kovács, Index p. 84. Congruentia ei vocabula locorum v. Kristó—Makk—Szegfű, II, p. 33.

Budli — In Gestis: Budli (Bodly, Buldy). Buldi est nominatus episcopus quidam comes Sancti Gerardi a paganis Hungaris occisus (SRH I, 339, 341; Th. caput (67.), sent. 299). Duo fratres Clemens et Saul, qui in Registro Varadiensi anno 1214 sic memorantur: “de genere episcopi Budlu” (Karácsonyi J.—Borovszky S., Regestrum Varadiense examinum ferri candardis

ordine chronologico digestum, Bp. 1903, p. 188), prognati ab eodem episcopo esse possunt.

Chanad — Frequens nomen et vocabulum loci est (Kovács, Index, p. 138; Kristó—Makk—Szegfű, I, p. 50), quod etiam nomen comitatus et nomen generis factum est (Györffy, Tört. földr. I, pp. 836 sqq.).

Buken — Buken (Bökény) non solum ut nomen in diplomatibus saepe invenitur, sed etiam vocabulum loci et nomen generis factum est (Kovács, Index p. 117; Kristó—Makk—Szegfű, II, pp. 13 sq.; Karácsonyi, I, pp. 284 sqq.).

Bondofard — Nomen huiusmodi in diplomatibus ignotum est.

Farkas — In cunctis variantibus Gestorum Farkas est. Nomen saepe in usu versatur, testibus permultis documentis gratum acceptumque fuit (Kovács, Index, pp. 233 sq.; Mikos op. cit. MNy 31 [1935] 246).

Othmar — Praenomen Teutonicae originis in diplomatibus commemoratum est (Kovács, Index p. 501).

Kadar — In Gestis Kadar est. Nomen in historia Hunnorum iam memoratum est (Th. caput (12.)).

Beler — Nomen Turcicae originis est. Anno 1292 in diplomate quodam Cumanicus possessor Christianus, nomine Petrus memoratur, cuius patri nomen Beler erat (Gombocz op. cit. MNy 11 [1915] 246). Hic Beler ergo aequalis magistri Acus erat.

Kear — In S: Quear est. In conscriptione Albei circa annum 1237 facta possessionum abbatiae in Monte Sacro Pannoniae vocabulum loci Kajár (hodie Balatonfőkajár) ex dissimilatione in forma Kear invenitur (Pannonh. I, p. 781). Kajár ita in nominibus personarum et in vocabulis locorum notum est (Pais pp. 63 sq.).

Keue — V. caput (12.), sent. 96

Keled — Nomen Keled e praenomine “Cletus” derivatum iam a saeculo XI in diplomatibus saepe legitur. Etiam in nomine generis (Gut-Keled) appareat (Kovács, Index p. 359; Jakubovich E., A tihanyi alapítólevél olvasásához [= Ad lectionem diplomatici fundationalis Tichoniensis], MNy 20 [1924] 11). Huic comparia vocabula locorum quoque nota sunt (Kristó—Makk—Szegfű, II, p. 20).

Dama — Veri simile est nomen e nomine breviore facto “Domokos” (Dominicus) derivatum esse (Berrár J., Női neveink 1400-ig [= Nomina muliebria Hungarica usque ad annum 1400], MNy 47 [1951] 188). In diplomatibus saeculi XIII iterum ac saepius legitur (Kovács, Index p. 182).

Bor — Nomen non solum in diplomatibus memoratum est, sed etiam nomen est generis praeclaris (Bor-Kalán) (Kovács, Index p. 100; Karácsonyi, I, 139 sqq.). In vocabulis locorum saepe invenitur (Kristó—Makk—Szegfű, II, pp. 8 sq.).

qui fuit Nemroth — Dehinc origo prognatorum in Gestis sic traditur: Thana — Japhet — Noe (SRH I, 285), id est haec genealogia scribitur, secundum quam Nemroth falso ex Japhet ortum esse putatur et haec

genealogia a scriptore Chronicus Picti adhuc non correcta est. Th. sententiam suam in capite (4.) descriptam consequenter servans genealogiam iam antea — et quidem: primo — conscriptam servato ordine incorrupto iterat: Nemproth — Chus — Cham — Noe.

genuit Arpad — Nomen e Bulgaro-Turcico vocabulo “árpa” ‘hordeum’ Hungarico suffixo *-d* addito ortum est (Pais, *Anonymus* p. 104). Medio aevo complura nominum et vocabulorum locorum Arpad nominata sunt (Kristó—Makk—Szegfű, I, pp. 42 sq.).

Zoltan — Nomen Hungaricum “Szoltán ~ Zoltán” e nomine communi Arabico sultan, quod ‘imperium, regnum’ significat, ductum est et una cum cultu Araborum, praesertim cum religione Mahumeti apud populos Turcicos, ita — argumentis confirmantibus — apud Cumanos Bissenosque divulgatum est. Nomen apud Hungaros dignitatem significavit et nomen commune nomen personae factum est. Forma nominis Zulta, quae in Gestis iam antea apparuit, atque quam *Anonymus* in opere suo consequenter scripsit, brevior forma nominis Zoltán in lingua Hungarica facta est (Melich pp. 42 sqq.; Németh pp. 290 sq.). Györffy (op. cit. AE 97 [1970] 198) formas Zoltán et Zolta disiungit, affirmans nomen Zoltán pro forma priore Zolta a magistro Acus inductum esse. Formae Zolta et Zoltán nomina personarum et vocabula locorum item inveniuntur (Kristó—Makk—Szegfű, I, pp. 44, 49 sq.).

genuit Toxun — Thocsun (*Taksony*) apud Constantimum Porphyrogenitum Taxis filius Zaltas (Konstantín p. 178) est. Nomen *Taksony* e vocabulo Turcico, quod ‘plenus, satur’ significat, derivatum est. Praeter Thocsun stirpis Arpadianae homines hoc nomine nominati non sunt, vocabula locorum huiusmodi tamen inveniuntur (Kristó—Makk—Szegfű, I, p. 45).

203 *Magyari* — Origo nominis haud dubie ita explanari potest: pars prima verbi compositi vocabulum mański Vogulorum est, quod in lingua Vogulica nomen commune populorum Vogulorum atque Ostiacensium est. Quia Voguli et Ostiacenses cum Hungaris artissima propinquitate linguarum coniuncti sunt, nomen pristinum a populo Hungarico — etiam patria communis relictum — conservatum indicium haberi potest, quanta communitas quondam trium populorum fuerit. Secunda pars autem verbi est vocabulum Turcicum “eri, iri”, quod Latine ‘homo, vir’ est. Nomen populi ‘mański-homo’ significat. Nomen mogyer, magyar sive megyer tempore occupationis patriae est nomen tribus primae ex septem tribubus foederatis. Cum autem huius princeps, Arpad dux cunctarum tribuum foederatarum factus est, populus totus nomen huius tribus accepit (Németh pp. 245 sqq.; Pais, *Anonymus* p. 126). Nomine Magyar genus quoddam iobagionum castri nominatum erat (Karácsonyi, III/1, pp. 181 sq.). Nomen Magyar in regione Carpathum medio aevo et nomen personae et vocabulum loci quoque adhibetur (Kristó—Makk—Szegfű, I, pp. 10 sq.).

Anno igitur ... sunt Pannoniam — Annus, quo Ungari excesserunt, ita a morte Attilae (ut Th. novit — v. caput (24.), sent. 187 — : 445) annus 301,

id est 746 — non autem 744 —, tempore imperatoris Constantini V. (742—775) et papae Zachariae (741—751) erat. (Th. hos annos, cum imperator et papa regnaverunt, e Martino Polono noverat.) Descriptio temporum quidem ab initio falsa est, quia primum documentum, quod historiam Hungarorum ad certum annum definitam memorat, ex anno 839 ortum est (secundum Georgium Monachum Hungari tunc ad Histrum aderant, v. Paurer—Szilágyi pp. 91, 102; Paurer, Szt. István pp. 14 sq.), tamen haud dubie rectius est, quam illud, quod in fonte Th., in Chronico Picto invenitur. Nam secundum scriptorem huius (SRH I, 284) Hungari anno 677, qui a morte Attilae annus 104. esset, temporibus imperatoris Constantini III. (643—671) et papae Zachariae (741—751) excesserunt. Quia, ut in Chronico Picto traditur (SRH I, 282), Attila anno 445 mortuus est, inde annus 104. respondet anno 549, qui annus accommodari non potest tempori Constantini III. aut Zachariae, quae tempora ipsa inter se quoque discrepant. Ad contradictionem submovendam, quae inter quattuor argumenta chronologiae inventa est, Th. sequenti modo coniecturam facturus fuit: tempus, quo papa Zacharias regnavit, certum et aptum, ad quod alia argumenta accommodari possint, iudicavit. E Martino Polono (p. 425) constituit, quando papa Zacharias regnavisset: 741—751, spatium temporis decem annorum in partes duas dividens annum 746 tempus rei peractae statuit, mox ex serie imperatorum ibidem (p. 460) aequalem papae Zachariae exquisivit. Quia aequalis Zachariae imperator Constantinus V. (742—775) erat, ipse fontem suum, qui Constantinium III. scribit, sine ulla adnotatione adhibita emendavit, mox computandum fuit, a morte Attilae quotus fuisset annus 746. Quoniam paullo ante Th. annum, quo Attila mortuus est, 445 constituit, differentiam annorum 301 repperit. Incommode accidit, quod ordo calculorum mendo librarii conturbatus est. Annus, quo Hungari excesserunt, secundum textum 744 est, id est pro “sexto” in textu “quarto” scriptum est, quod autem notis Romanis false scriptis IV pro VI explicari potest. Adnotatio scriptoris Chronicus Picti, in qua fontem quattuor argumentorum — inter se contradicentium — “cronica Romanorum” esse scribitur, a Th. omnino omittitur. Cronica Romanorum, id est Historia Romana vulgo opus Martini Poloni esse intellegitur (in codice quodam Monacensi index operis Martini: *Cronica Romanorum* [M.G.H., SS 22, 385], translationis eius autem in linguam Bohemicam: [anno 1488] Rymyska krónyka [= *Chronica Romana*] est; cf. Potthast I, p. 771; Mályusz E., Thuróczy János krónikája és a Corvina [= *Chronica Iohannis de Thurocz et Corvina*], FK 12 [1966] 297), quoniam in hoc opere Th. mentionem Hungarorum annis prius memoratis nullam invenit, fontem suum memorare considerate et recte omisit.

Transeuntes ... civitatem Kiio — Directio itineris eadem est, qua, ut in Gestis traditur, etiam Hunni processerunt (Th. caput (12.)), apud Th. mentio civitatis Kioviae quoque additur.

deinde transierunt ... eorum et equos — Elementum fabulae, quod aquilas

populos e patria expulisse enarrat, in operibus et Prisci et Suidae inveniri potest (Moravcsik Gy., Az onogurok történetéhez [= Ad historiam Onogororum], MNy 26 [1930] 6). Tamen in descriptione Gestorum fortasse rem veram percipere possumus: cladem illam, quam Hungari in Etelkuzu acceperunt. Sicut Constantinus tradit, Bisseni, postquam Turci (Hungari) ad bellum profecti sunt, agros eorum invaserunt, familias trucidaverunt, armatos domi relictos depulerunt, itaque Hungari e bello redeuntes inculta et vasta loca omnino relinquendo in patriam hodiernam demigrare rectius putaverunt (Konstantín pp. 176 sq.). Quia cogitatio stragis arte coniuncta esse cum aquilis, immo vero cum vulturibus solet, regio, unde Hungari secundum Gesta demigrare coacti sunt, eadem est ac descensus ultimus ante occupationem patriae (Györffy pp. 92 sq.; Idem, Tanulm., pp. 8, 112.). In hac parte Gestorum igitur elementum vetus fabulae conservatum esse videtur. In Gestis Hungari altis montibus superatis in Etelkuzu transmigravisse falso memorantur. Vere a regione Histri in Transylvaniam peregrinantes Hungari montes superare coacti sunt.

in confinium regni Pannonie — Vocabula aptiora, tamen minus usitata sunt quam haec: “in confinium regni Hungarie”, quae congruenti loco Gestorum leguntur (SRH I, 286). Terra Hungariae enim Transylvaniam quoque in se continuuit, dum Pannonia secundum Th. regionem a Transylvania ad occasum sitam significavit (v. etiam caput (26.)).

(29.)

Caput e Gestis saeculi XIII — ad magistrum Acus et Simonem de Kéza redeuntibus — conscriptum est nonnullis notis stili mutatis.

204 *De septem ... eorundem* — Index amplificatus est indicis capitis Chronicorum Picti: “De septem capitaneis electis” (SRH I, 286).

gentium — In Gestis hoc loco vocabulum “dominorum” legitur (SRH I, 286). Th. vocabulum certe ideo mutavit, quia ipse perferre nequivit vicinos praevalentes, id est dominos Hungarum metum inicere posse.

decanos — In Gestis idem vocabulum legitur, hoc loco autem nullam vim habet. Rectum vocabulum in gestis Simonis de Kéza: “decuriones” est (SRH I, 165).

constituerunt — Th. hic vocabulum quoddam magni momenti omisit. Secundum fontem eius Hungari exercitum “deliberato comuni consilio” (SRH I, 286 sq.) divisorunt et ordinaverunt. Quod Th. communitatem ad consultandum et decernendum multum conferre omittit, forsitan cum ea sua mente coniungatur, ut vim ordinum comminuat, quod quidem alio loco quoque observari potest.

Cunque terram ... septem continebat — Secundum scriptorem Chronicorum Picti singuli exercitus 3000, secundum scriptorem Chronicorum Budensis 30 000

armatos habuerunt. Numerum 30 857 Th. computavit et quidem textum reliquum fontis sui immutando. In Chronico Picto unaquaeque tribus 2000 milites habuerunt, secundum S numerus cunctorum militum — evidenter per errorem — 2000 erat, sicut autem B et D tradunt, 203 000 erat (SRH I, 287). Th. accurate et considerate computaturus numerum capitum 2000 per singula genera cum numero generum, id est cum 108 multiplicavit, atque ita factum numerum 216 000 cum septem dividens numerum uniuscuiusque exercitus 30 857 accepit. Centuriones et decuriones catervam supra numerum 30 000 explevisse arbitrari potuit; cuius rei coniectura inde capi potest, quod adversus scriptorem Gestorum Th. non praedicavit singulos exercitus sine centurionibus 30 000 milites habere.

Nam in seundo ... septem castra vocatur — Transylvania in lingua 205 Teutonica etiam hodie Siebenbürgen 'septem castra' vocatur, quod nomen non simpliciter per etymologiam popularem derivatum est. In Transylvania toto medio aevo septem comitatus erant, in regione, ubi Saxones habitabant, item septem sedes (Stuhl) ortae sunt, immo etiam in terra Siculorum tantundem, quamquam numero incolarum crescente atque quia regionibus saeculis XI—XIII rare incultis multi consederunt, saeculis XIV—XV recentiores comitatus vel sedes ordinari potuissent. Sed mirum in modum Teutoni, cum duae recentiores sedes separatim correctae a septem sedibus Saxonum conditae sunt, non novem sedes memorabant, sed veterem nominationem conservantes septem et duas sedes. Ratio dividendi in septem partes, quae principio apud Turcos usitata erat, et cuius memoriam etiam vocabulum "Hetumoger" 'septem Hungari' servat (Györfy, Tanulm. pp. 101, 105), in numero partium ad administrandum ordinatarum in Transylvania quoque omnino valuit. Sententiae, ex qua septem castra regalia condita atque circa ea singuli comitatus regales ordinati in Transylvania initium progressionis fuissent, nam Germani tantum medio saeculo XII immigraverunt et haec "septem castra" ut sedes septem comitatum (Szolnok, Doboka, Kolozs, Torda, Fehér, Küküllő, Hunyad) origo nominationis "Siebenbürgen" 'septem catra' fuissent (Karácsonyi J., Miért nem hívták a magyarok Erdélyt "Hét-vár"-nak? [= Cur Hungari Transylvaniam non "Septem castra" nominaverint?], Erdélyi Irodalmi Szemle [= Acta Litteraria Transylvanica] 1 [1924] 216 sqq.), non contradicit, quod septem comitatus in Transylvania non eodem tempore, sed gradatim, saeculis XI—XII conformati sunt (Kádár J., Szolnok-Dobokavármegye monographiája [= Monographia comitatus Szolnok-Doboka], I, Deés 1901, p. 232; Mályusz E., A magyarság a középkori Erdélyben [= Hungari in Transylvania medii aevi], Hitel [= Fides] 8 [1943] 267 sqq.). Ceterum aliis in casibus itidem castra regalia auctoritatem priorem perdiderunt, cum numerus comitatuum stabilitus esset. Divisio quidem in septem partes non solum in Transylvania valuit. Cumani saeculo XIII immigrantes item in septem sedes congregati sunt (Györfy, Tanulm. p. 106.), immo quidem saeculo XV iudicium civium nulli potestati obnoxium e legatis septem

civitatum constitutum est, civitates montanarum autem duas catervas maiores constituerunt, quae singulæ ex septem civitatibus congregatae sunt (Mályusz E., Geschichte des Bürgertums in Ungarn, Vierteljahrsschrift für Sozial- und Wirtschaftsgeschichte, 20 [1927] 385; Wenzel, Bánya-szat pp. 64, 98).

⟨30.⟩

Caput e varianti Chronicus Budensis Gestorum saeculi XIII grammaticis mutationibus adhibitis transcriptum est. In Gestis saeculi XIII textus chronicus prius compositi servatus est.

- 206 *De primo ... deauratis* — Prima vocabula indicis et index capitinis Chronicis Picti inter se congruunt: “Primus capitaneus” (SRH I, 287).

capitaneis — Vocabulum “capitaneus” in Latinitate Hungarica saeculo XIII usitatum est. (In diplomate monasterii Montis Sacri Pannoniae anno 1233 duces popolorum haud contentorum “principales capitanei” nominantur. Pannoh. I, p. 715. Circa annum 1270 in diplomaticis capitanei ut ‘ductores exercitus’, in diplomate autem quodam circa 1280 nobiles capitanei ut ‘iudices nobilium’ dicuntur. Kristó 1972, 10, adnot. 104; Szűcs 831, adnot. 5.) A magistro Acus et a Simone de Kéza vocabulum “capitaneus” pro vocabulo “dux” ‘princeps’ chronicorum prius compositorum scriptum est (Hóman B., A magyarok honfoglalása és elhelyezkedése [= Quo modo Hungari patriam occupaverint et descensus sibi delegerint], A magyar nyelvtudomány kézikönyve [= Enchiridion glottologiae Hungaricae], I, 7, Bp. 1923, pp. 17 sq.). Vocabulum “dux” in eo quoque chronicus (SRH II, 535: “septem duces”) scribitur, quo, ut Riccardus tradit, Dominicanus Hungarici utebantur (Kristó Gy., Egy 1235 körüli Gesta Ungarorum körvonalaiból [= De Gestis Ungarorum quibusdam circa annum 1235 conscriptis], in Horváth—Székely pp. 229 sqq.).

filii Vgeg — V. caput ⟨28.⟩, sent. 201.

Huius autem ... Pannoniam introire — Mos occidendi principis apud populos primitivos vulgatus erat. Si indoles, fortuna sive vis magica regem quemdam defecerunt, quapropter prosperitas populi periclitabatur, successor iunior et fortior pro eo substitutus est. In regno Kazarorum, cuius imperio etiam Hungari aliquamdiu subiecti erant, ut aequales Arabici auctores tradunt, hic mos vulgo valuit. Secundum Mas'ûdi, si regnum siccitate, periculo improviso vel bello affligitur, proceres regem (kaganum) iubent necare aut ipsis eum ad necandum tradere, nam hominem ominosum esse putant, quo regnante nil boni sperare possunt (Pawer—Szilágyi p. 259). Secundum Ibn Fadhlân kagano tantum quadraginta annos imperium obtinere licet; si his annis uno tantum die superstes sit, interficitur ut comprobatus dubiae sanitatis esse atque arbitrium labefactum habere

(Idem, p. 219). Ut İştakhrî et Ibn Hauqal tradunt, kaganum, cum regnum occupat et in potestate sollemniter constituitur, proceres funiculo serico intorto suffocare coeperunt interrogantes, quot annos regnaturus sit; tempus certum adnotatur, atque dum non praeterit, kaganus non violatur, si autem adnotato tempori superstes sit, occiditur (Idem p. 237). His analogiis adhibitis Róheim (op. cit. Ethn. 28 [1917] 66 sq.), item et Hóman (M. tört. I, p. 119) Almum re vera occisum esse arbitrantur. Sicut interpretantur, descensum novum quaerere, id est patriam novam occupare Hungaris tam magnum et grave visum est, ut hoc cum iuniore duce temptare melius existimarent, et ideo more Kazarorum Almum occiderunt, ut vis magica eius per successorem iuvenem populum adiuvaret. Simul quidem non est improbanda interpretatio, quae Almum propter cladem a Bissenis acceptam occisum esse dicit, quia proceres Hungarorum eum gratia superiorum excidisse putaverunt (Dümmerth op. cit. FK 17 [1971] 427). Incertum est, quando caedes Almi primum descripta sit. Secundum Györffy iam in gestis veteribus saeculi XI hoc elementum, quod ad sermonem veterem reddit, invenitur (Györffy pp. 93 sq.; Idem, Tanulm. p. 84; sententia Gy. Györffy de manuscripto libri Fettich N., Das altungarische Fürstengrab von Zemplín, AÉ 93 [1966] 282). Gy. Sebestyén (Mondái, II, p. 71) eo innitens, quod Anonymus Almum in Transylvania necatum esse non tradit, hoc momentum textui posterius insertum esse putat. Róheim (op. cit., Ethn. 28 [1917] 66, adnot. 5) sententiam Sebestyén indicat et adnotat: "Tempus adnotationis litterariae quaestionem non resolvit, certusne sermo sit, si eum argumenta valida intestina affirmant, ut in hac re." Secundum L. Erdélyi (Kézai p. 29) auctor quidam aetatis Ludovici I. ex Almo Mosen Hungarorum fecit, quem quidem in Transylvaniam pervenisse scripsit, tamen ei, ut terram promissam, Pannoniam conspiceret, non concessit.

In Erdelew... sua recreaverunt — Verba Gestorum eam formam sermonis de itinere peregrinantium Hungarorum patriam occupantium conservaverunt, ex qua Hungari fugientes Bissenos Etelkuzu reliquerunt et per transitus saltusque Transylvaniae Carpathes transgressi sunt. Sermo alter ab Anonymo saeculi XIII ineuntis adnotatus est, ex quo Arpad a regione septemtrionali-orientali per iugum Verecke, id est in valle fluvii Tisciae ad regionem meridionalem-occidentalem migravit. Duo sermones memoriam duorum itinerum Hungarorum patriam occupantium servant (Hóman, A magyarok honfoglalása, op. cit. pp. 34 sq.).

Kusid filium Kund — Nomen Kund idem est ac vocabulum Turicum kündü (kende), quod dignitatem significat (Pais, Anonymus p. 122). Sicut fontes orientales historiae Hungaricae tradunt, qui ad opus Dsaihanî, viri politici Bocharani (Bokhara) ineunte saeculo X viventis redeunt, rex maior Hungarorum kende nominabatur, dux autem, qui imperium vere obtinebat, nomen dsila (gyula) habuit (Pauler—Szilágyi pp. 167 sq.). Ambo nomina demonstrant institutum regni duplicis apud Hungaros parem formam habuisse, quam apud Kazaros. Quia nomen filii Kündü apud Anonymum

non Kusid, sed Curzan scribitur, Györffy interpretans additamenta, quae ad posteriorem adiungi possunt, ex variis et audacibus opinionibus coniectat institutum regni duplicis non in Levedia sublatum esse, sed etiam in patria nova occupata exstitisse atque Arpad in locum Chussal (Cusan, Curzan), qui anno 904 a Bavariis in fraudem pellectus est, tantum posterius successisse. Györffy adnotandum putat, cur in enarratione occupationis patriae, quam, ut ipse arbitratur, scriptor Gestorum veterum e sermone accepit, praeter Arpad tantum unum nomen commemoratum sit: nomen filii Kündü, qui personam regis primi fert. Hoc Györffy sic interpretatur: in sermone ambos regnantes duces Hungarorum fuisse narrabatur, sed stirps Arpadiana, postquam in locum Curzan successit et possessiones generis eius occupavit, ad sermonem — adiuvantibus poetis popularibus — secundum commoda domus regiae suae transformandum vim habuit, dignitas autem kende in Gestis veteribus in munus simplicis nuntii deminuitur (Tanulm. pp. 141 sq., 128 sq.). Annis praeteritis de sententia Györffy a compluribus doctis censura facta est (K. Czeglédy, Das sakrale Königtum bei den Steppenvölkern, Numen 13 [1966] 25 sq.; Dümmerth op. cit. FK 17 [1971] 427 sq.; Idem, A magyar fejedelemség kezdete és eszmevilága [= Ortus et imagines principatus Hungarorum], Az Egyetemi Könyvtár Évkönyvei [= Annales Bibliothecae Universitatis] 6 [1972] 205 sqq.; Czeglédy K., Árpád és Kurszán [Az Árpád-ház megalapításához] [= Arpad et Curzan (Ad condendam stirpem Arpadianam)], Zalai Tükör [= Speculum Zaladiense] 2 [1975] 56 sqq.), secundum eorum scripta haud confirmatum videtur principatum duplicum Hungarorum tempore occupatae patriae exstitisse. Nominibus Künd et Kusid complures personae et loca media aetate nominabantur, quorum indicem v. Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 52 sq. Idem Künd una cum filio Kusid ut unus ex septem capitaneis inferius unus memoratur (caput (33.)).

207 *rusticos* — In decretis Hungaricis saeculi XI vocabulum “rusticus” adhuc non memoratur (cf. Erdélyi pp. 56 sqq.). Vocabulum in diplomatisbus saeculi XIII iam saepius invenitur et in comparatione nobilium agricolam, qui agros colit, significat.

208 *Deus, deus, deus ... Hungaros usque modo* — Vocabulum “Deus vult” erat clamor praelium incohantium cruciferorum (Du Cange III, p. 91). Nomen “Deus” non solum saeculo XIII, ut ex adnotatione scriptoris Gestorum conici potest, sed etiam secundum narrationem Th. saeculo XV clamor proelium incohantium apud Hungaros erat (caput (213.)). Kristó (1970, 122) affirmat neminem chronographorum ante saeculum XIII scribere potuisse paganos Hungaros nomen dei clamavisse, ergo hunc clamorem anachronismum temporis descriptionis esse.

equum album — Vocabulum “album” textui Chronicus Picti deest (SRH I, 288), ex quo sequitur, ut fons Th. hoc loco varians Chronicus Budensis fuerit. In opinione samanorum equus albus etiam victima erat. Manibus bonis

servientes samani albi equum album victimam mactabant (Diószegi V., Samanizmus, Bp. 1962, pp. 66 sqq.).

auro Arabie — Scriptores antiqui Arabiam regnum auro, gemmis metallisque pretiosis abundantem esse arbitrati sunt. Cognitiones de auro Arabico ea res aluit, ut dum saeculis IX—XIII in Europa Media et Septentrionali usus cudendorum nummorum aureorum fere omnino intermitteretur, per imperatores Arabiae atque Byzantii adhuc semper magna vis auri in omnium usu versaretur. Sacra bella cruce signatorum commercia quoque orientalia frequentiora reddiderunt, itaque medio saeculo XIII in Europa Meridiana usus cudendorum nummorum aureorum de integro increvit (A. Luschin, Allgemeine Münzkunde und Geldgeschichte des Mittelalters und der neueren Zeit, München und Berlin 1926², pp. 41 sq.). Mentio de auro Arabico probabilius saeculo XI, quam saeculo XIII facta est, itaque mentio, quam in Gestis legimus, tempore Gestorum veterum orta esse videtur.

Arpad autem ... hereditario possidentes — Vocabulum “hospes” hic non simpliciter ‘hominem de externo regno ortum’ significat. Socios ordinis peregre in Hungariam migrantium significat, cui ordini iura peculiaria debebantur, imprimis libertas corporis. Hospites etiam inter proceres ut socii comitatus reginarum peregrinarum immigrare potuerunt, plurimi tamen eorum agri cultores fuerunt, qui agrum tributo quodam persoluto acceperunt (Erdélyi, Legkritikusabb pp. 125 sq.) et non “iure hereditario” habebant, sicut scriptor Gestorum quoque id adnotandum esse arbitratur. Item vocabulo “iure hereditario” chronographus demonstratus erat post Attilam Arpad ut hereditate sua terra, quae Pannonia latiore vocis notione nominata est, potiri. His verbis ipse sermones duos accommodatus unum alteri erat: alterum, id est emptionem, quae in fabula equi albi conservata est, et alterum, id est hereditatem, secundum quem stirps Arpadiana ab Attila, a regibus Hunnorum orta est, itaque hereditatem eorum accepit (Kristó 1970, 122 sq.).

propter emphiteosim ... cupiditatem terram — Vocabulum “emphyteosis” significat: ‘perpetua locatio’. (Du Cange, III, p. 260: “Praedii vel fundi sub certis conditionibus perpetua locatio”.) Vocabulum in diplomatis Hungaricis saeculorum XIV—XV etiamsi raro, tamen iterum ac non semel legitur, et unum modum usus praediorum ecclesiasticorum significat. Possessor est collegium quoddam ecclesiasticum, quod possessionem quamdam vacuam cultoribus et longius sitam, quoniam ipsum colere nequit, ad spatium longioris temporis eadem mercede annua definita locare cogitur. Redemptor autem plerumque vir summo loco natus aut possessor nobilis est, cui redemptio aperte parvo pretio contingit. Possessor ecclesiasticus tamquam necessitate cogitur: non ignorat se agrum pretio minore locare, hoc tamen melius esse, quam gratuito agrum amittere arbitratur. Necessitas quidem etiam sic eminere potuit, ut — sicut scriptor Gestorum rem explanatus addit — ea ex paupertate et avaritia efficeretur. Vocabulum “emphyteosis”

atque interpretatio adiuncta etiam saeculo XIII oriri potuerunt (de emphyteosi possessionis domus et fundi in civitatibus v. Pleidell A., *A magyar várostörténet első fejezete [= Caput primum historiae civitatum Hungariae]*, Száz. 68 [1934] 35).

proiciant ... abiciant — Sic solum in *V₅* est. In variantibus ceteris: “*interficiant ... proiciant ... abiciant*” (SRH I, 289) leguntur.

206–210

Audientes autem ... aquarum vehementia suffocatur — Svatopluk iam anno 894 mortuus est et Hungari non cum eo, sed cum filiis eius pugnabant (v. caput (26.)). In capite praesenti toto notae poetici operis popularis apparent. Pro certo haberi potest descriptionem e fama fabulae Hungaricae ortam esse et non ex opere litterario (sive Iordanis sive Widukind) in litteras chronicorum Hungaricorum transcriptam esse. (Proprietates poesis popularis Hungarorum discrepantes a scribendi genere Latino a Horváth pp. 293 sqq. accurate tractantur.) Sed ambiguitur, chronographus cuiusnam aetatis fabulam equi albi primus descripscerit. Maxime probabile videtur textum descriptum fabulae ad *Gesta vetera* referri, sed sunt, qui primam variam lectionem textus fabulae saeculo XII, ab Anonymo, immo vero — novissime — exeunte saeculo XII atque ineunte saeculo XIII ortam esse arbitrentur (bibliographiam fabulae v. Kristó 1970, 119 sqq.). Fabula ab Anonymo ita in peius mutata est, ut agnosci non posset, in *historia Hunnorum* autem omnino omittitur, nam et *Anonymus* et auctor *historiae Hunnorum* prorsus aliter occupationem patriae Hungarorum opinabantur.

211 *Retradidit autem ... Chanaan in hereditatem* — Ps. 134, 11–12: “[occidit] Sehon, regem Amorrhæorum et Og, regem Basan et omnia regna Chanaan. Et dedit terram eorum haereditatem, haereditatem Israel populo tuo”. Ut e variantibus appareat (SRH I, 289), textus, quo Th. usus est, idem esse ac *V₁* *V₂* aut *B D* non potest.

hanc haberet ... et probatam — Secundum *Gesta de privilegio stirpis Arpadianae*, secundum textum Th. de consuetudine gentis Scytharum agitur. In Gestis: “*hanc haberet ipsius generatio consuetudinem Scithica legitima et probata*” (SRH I, 290).

unus in ... fertur precessisse — Apud vagos populos Turcicos equestres agmen primum et novissimum ex eis gentibus comparabantur, quae e populis sive reliquis posterius ad se adiunctis ordinabantur. His, prorsus quia cum populo regnanti adhuc non coalescebant, duces non parcebant, et cum pugna commissa est, item cum fugam capessiverunt, illae gentes hostibus obstare atque impetum eorum repellere, itidem fines imperii defendere debuerunt (Tagányi K., Gyepű és gyepűelve [= Indagines et terra ultra indagines], MNy 9 [1913] 103 sqq.; Németh pp. 19 sq., 234 sq.). Fines regni ad occasum etiam adhuc saeculo XII partim Bisseni posterius immigrantes defendebant. Primus in certamen descendere et ultimus loco proelii excedere non honoris, sed e contrario contemptionis signum erat. Magister Acus igitur saeculi XIII, qui hanc partem ultimam capitis conscripsit, genera procerum et stirpem principis iure pari eodemque esse demon-

stratus auctoritatem domus principalis imminuit (accurate Horváth pp. 347 sqq.). Sed notandum est magistrum Acus res ipsas haud perverse interpretatum esse, etiamsi non intellegit, quanti momenti essent. Gentes auxiliariae, ita ex eis ordinata gens Siculorum in potestate et sub imperio ipsius ducis erant, quas igitur aetate gentium foederatarum quoque regebat (Mályusz E., A székelység eredetéről [= De origine Siculorum], Melich-Emlékkönyv [= Liber in honorem Melich], Bp. 1942, pp. 256 sqq.; Györffy, Tanulm. pp. 83 sq.).

castra fixit — Textum sequentem Gestorum Th. ordinem verborum commutando corrigit: “Eoque Arpad Zuatapolug cum ceteris Hungaris, ut superius dictum est, debellato et occiso castra fixit” (SRH I, 290).

Arpad cum ... monte Noe — Possessio Noe ab Alba Regia ad meridiem-orientem sita ineunte saeculo XV iam deserta dicitur, simul tamen templum lapidibus exstructum habuit, quo testificante possessio vetus esse videtur (Csánki, III, pp. 339 sq., 363).

Albam — Hodierna Székesfehérvár (Alba Regia) est.

sanctum regem Stephanum — Stephanus I. anno 1083 in sanctorum numerum relatus est. Pars textus igitur ita conscripta post hoc tempus orta est.

civitas Alba ... ibi prope — De civitate Alba Regia in diplomate a rege Bela IV. anno 1237 edito legitur cives eius privilegia a Sancto Stephano accepisse (Fejér IV/1, pp. 73 sq.). Quamquam de fide diplomatis ambigitur (Reg. Arpad. I, num. 619), sententia scriptoris Gestorum, ex qua civitas a Sancto Stephano condita est, vulgo nota fuisse existimari potest. Item non est dubitandum, quin iuxta sedem ecclesiae, ubi reges coronati et sepulti sunt, atque iuxta sedem comitum colonia Vallonum — “Latini” nominatorum — in diplomaticis posterioribus memoratorum ineunte saeculo XI conformari potuerit (Csánki, III, p. 312) eaque colonia — etsi non in forma diplomatis redacta — privilegia a Stephano I. acciperit. Pro certo haberri potest Arpad non in regione Albae Regiae conseditisse. Ex argumentis, quae Györffy profert, id haud multum valet, quod desunt civitati Albae Regiae vicina loca, quae nomina personarum stirpis Arpadianae ante annum 950 viventium conservabant (nam incertum est, utrum haec loca vere de hominibus stirpis Arpadianae, an de aliis, qui pariter nominati erant, tamen posteriore aetate vixerunt, nomen traxerint), sed id iam argumentum grave aestimatur, quod Arpad, sicut Anonymus tradit, anno 907 in civitate Buda Vetere sepultus est. Ita probabile videtur id, quod scriptor gestorum — res et condiciones saeculorum XI—XII revocando — sedem regum etiam descensum Arpad fecit (Györffy p. 102). E nomine ipso Albae Regiae longius concludere non possumus. Ex analogiis Albae Regiae in Europa Orientali nec Belogradum (Taurunum), nec Sarkel sedes principum erant, igitur castra, quae Alba nominabantur, vulgo sedes principum fuisse putari non possunt. Nomina de colore suo (albo) acceperunt (Györffy Gy., Székesfehérvár feltűnése a történelmi forrásokban [= Exortus Albae Regi-

ae in fontibus historicis], in Székesfehérvár, I, pp. 19 sq.). Nec argumenta archaeologica sedem gentilem (principalem) in civitate Alba Regia ab exeunte saeculo IX et ineunte saeculo X fuisse confirmant (Bakay K., Vitahozzászólás Székesfehérvár kialakulásának kérdéséhez [= Controversia, quo modo Alba Regia evoluta sit], TSz 12 [1969] 117 sq.).

⟨31.⟩

Caput textu Gestorum veterum amplificato a magistro Acus conscriptum est.

212 *Secundus capitaneus* — Index idem est atque index capitinis Chronici Picti: “Secundus capitaneus” (SRH I, 290).

Zobolch — Et ab Anonymo et in Gestis inter septem duces patriam occupantes memoratur. Nomen incertae originis est. Congruentia ei nomina et vocabula locorum enumerantur in Kristó—Makk—Szegfű I, p. 52.

ChaaK oritur generatio — Genus Chaak saeculo XIII unum ex potentissimis generibus erat. Viris compluribus ex eo genere natis dignitates publicae mandatae erant (Karácsonyi, I, pp. 291 sqq.). Chakuara villa hodie Csákvár dicta in comitatu Albensi, ab Alba Regia ad septentriones sita est. Vocabulum loci etiam in diplomatibus formam casus genitivi servans “Chakuara” seu “Chakwara” aut “Chaakwara” legitur. Quoniam nullae reliquiae exstant, quae affirment eo loco olim castrum e lapidibus exstructum fuisse (Csánki, III, p. 332), “vár” ‘castrum’, quod in vocabulo latet, munimentum terreum fuisse arbitrandum est. Hoc autem Chakvar (Csákvár) originem veterrimam habuisse demonstrat, descriptionem autem Gestorum affirmat (Mályusz 1971, p. 58). Possessiones veteres generis Chak vere circum Chakvar sitae erant (Kristó Gy., Csák Máté tartományúri hatalma [= Potestas Matthaei de genere Chak dominium possidentis], Bp. 1973, pp. 11 sq.).

Chak — Chak esse potuit, qui probabiliter aetate Stephani I. vixit — ab Anonymo nepos Zobolsu fuisse dicitur (SRH I, 99) — et qui nomen generi Chak veri simillime dedit. Nomen Chak incertae originis medio aevo et nomen et vocabulum loci crebro reperitur (Kovács, Index pp. 136 sq.; Kristó—Makk—Szegfű, I, p. 52).

Chak ... iussit appellari — Figura generi scribendi et interpretatio vocabuli loci congruunt cum iis, quae in historia Hunnorum de vocabulo loci “Budawara” (Budavár) leguntur (caput ⟨19.⟩).

Chak ... Zobolch dicebatur — Contradiccio quaedam inter descriptiones Anonymi et scriptoris Gestorum observari potest. Ut Anonymus tradit, sub silva Úertus (monte Clypeorum, h. Vértes) ad stagnum Ferteu (Fertő), quod hodie Velencei nominatur, nepos Zobolsu (Szabolcs) castrum Sac (Csák) aedificavit (SRH I, 99). Contra haec in descriptione Gestorum

castrum iam a Zobolsu (Zobolci) aedificatum est, at Chak castrum prius Zobolci dictum de nomine suo nominavit, quod ita Chakvara (Csákvár) factum est (SRH I, 290).

Andree ... commune consilium — Quia pater regum Belae I., Andreeae I. atque ducis Leuente in Gestis Zaar (Calvus) Ladislaus, non autem Vazul nominatur, significatio et itidem vocabulum “commune consilium” originem saeculo XIII habuisse testantur. (Györffy p. 103. Vocabula iam in Gestis veteribus memorata a Györffy restituuntur.)

Illud etiam ... est confractum — Pauler (I, p. 99) destructionem castri cum bello imperatoris Henrici III. anno 1051 gesto coniunctam atque partem defensionis Hungarorum esse putat. Hungari, ut ipse arbitratur, ante agmen Téutonorum ad Albam Regiam tendens omnia devastaverunt, incenderunt, in aquam coniecerunt, in foveis occultaverunt, incolas secum deduxerunt et castrum Chak quoque destruxerunt. Sed magister Acus, si destructio castri tam evidenter vere iactura pro salute communi fuisset, de hoc paucis saltem verbis eo magis commemoraret, quia excellentes personae generis tempore, cum ipse opus suum scripsit, ministeria prima suscepserunt. Commemoratio huiusmodi omissa atque modus ipse vocabulorum componentorum aliter interpretandi sunt. In hac re lege caput (46.).

⟨32.⟩

Caput textu Gestorum veteranum amplificato a magistro Acus conscriptum est.

Tertius capitaneus — Index idem est atque index capititis Chronicis Picti: 213 “Tertius capitaneus” (SRH I, 290).

Gywla — Vocabulum originis Turcicae est et dignitatem significat. Constantino et fontibus orientalibus haud ambigue testantibus apud Hungaros dignitate principem sequenti gyula fungebatur (Pauler, Szt. István, pp. 19, 139). Secundum Ibn Rosteh: “Vir, qui imperium vere tenet, dsila nominatur. Hungari omnes dicto dsila auditentes sunt, et iussa eius, quae ad impetum, defensionem et alias res pertinent, faciunt” (Pauler—Szilágyi p. 168). Constantinus: “Jila et karcha non nomina, sed dignitates esse omnibus constat” (Konstantín, p. 179). Dignitas “gyula” apud Bulgaros, Bissenos, Turcos Altaicos quoque exstitit (Melich p. 39; Németh pp. 45, 295). Dignitas in eadem familia hereditate tradi potuit. Gyula medio aevo nomen nonnullarum personarum et locorum erat, etiam in nomine generis Gyula-zombor servatum est (Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 56 sq.; Karácsonyi, II, pp. 109 sqq.). Nomen saeculo XIX renovatum est et hodie quoque frequenter adhibetur apud Hungaros.

Tertius vero ... Ladislai derivatur — De hoc Gyula, item de patre eius, Ladislao, praeterea de avo, Gyula in diplomatibus copiose legitur. Ille de

genere Kán (Kean) ortus est (Karácsonyi II, pp. 280 sq.). Avus, Gyula I. (circa annum 1238 mortuus est) dignitatibus vaivodae, iudicis curiae, palatini et bani functus est (Wertner M., Újabb nemzetiségi kutatások [= Recentiores quaestiones de generibus], Turul 23 [1905] 121 sq.), Ladislaus magister agazonum, iudex curiae, palatinus et banus prima parte saeculi XIII erat (Idem, Turul 26 [1908] 122 sq., 128, hic rectificata est tabella in Karácsonyi op. cit.), alter fratribus Gyulæ, qui e generatione tertia ortus est, vaivoda Transylvaniae, alter autem praetendens archiepiscopatus Strigoniensis erat (Pauler II, pp. 497 sq., 603; Hóman pp. 62 sq.). Scriptori Gestorum, magistro Acus homines de genere Kán noti erant (Györffy p. 168), et ipse ex identitate nominis Gyulæ eos consanguinitate cum duce Gyula patriam occupanti coniunctos esse arbitratus est. Fieri potest, ut coniunctio affinitatis inter homines de genere Kán vere nota fuerit (Mályusz 1971 pp. 59 sq.).

civitatem magnam ... constructa fuerat — Ex operibus chronicorum medii aevi solum in Chronico Posoniensi hoc castrum “civitas Alba in Erdeuel” (in Transylvania), id est Alba Iulia (Gyulafehérvár) fuisse dicitur, quae loco Apuli Romani lapidibus eius adhibitis aedificata est. Descriptio saeculo XVII restituta fundamentorum civitatis adhuc perspicue ostendit formatio-nes ordine castrorum Romanorum dispositas (Mályusz op. cit. Hitel 8 [1943] 282 sq.; Iczkovits E., Az erdélyi Fehér megye a középkorban [= Comitatus Alba Transylvaniae medio aevo], Bp. 1939, pp. 32. sqq.). Civitas “Fehérvár” (‘Alba’) nomen de colore castri accepit, v. caput (30.), sent. 211. Györffy, quia — ut ipse arbitratur — saeculo XI in aula regia Hungarorum Romanos in terra regni Hungariae vixisse iam notum erat, mentionem eorum Albae Iuliae coniunctam ad Gesta vetera reducit (Györffy p. 104). Sed quia in Europa saeculo XII mos prodiit, ex quo vetera diruta aedificia memoratu digna putantur, immo harum ruinarum spectatores desiderio quodam antiquae aetatis afficiuntur (Győry J., P. mester franciaországi olvasmányai [= Lectiones Francogallicae magistri P.], Magyarságtudomány [= Litterae Hungaricae] 1 [1942] 19 sq.), vocabula a magistro Acus scripta esse possunt.

Sarolt — Nomen ab Anonymo in forma Saroltu adnotatum est, ipse autem etiam aliam filiam Gyulæ nomine Karoldu cognitam habet (SRH I, 69). Ambo nomina originis Turcicæ sunt. Saroltu (sary + aldi) significat: ‘alba mustela’, Karoldu (kara + aldi): ‘nigra mustela’ (Melich pp. 45 sqq.; Pais, *Anonymous* p. 136), secundum alteram opinionem Saroltu est ‘albitudo’, Karoldu autem ‘nigritudo’ (Pais D., A magyar ősvallás p. 327). Personam Sarolt, figuram historicam eius memorant: Vajay Sz., Géza nagyfejedelem és családja (= Magnus princeps Geysa et familia eius), in Székesfehérvár, I, pp. 71 sqq.; Szegfű L., Sarolta, in Horváth—Székely pp. 239 sqq.

Geysa dux — Filius ducis Tocsun (Taksony), pater Sancti Stephani est. Veri similiter anno 971 potestatem obtinuit (Pauler, Szt. István pp. 99, 185

sq.). Prima forma nominis Gyeü est. Nomen originis Bulgaro-Turcicae cum nomine communi significanti: 'primus regnans' cohaeret. E nomine addito Hungarico suffixo blandienti -cs, -csa forma Gyeücsa educta est (Németh p. 292; Idem, Géza [= Geysa], MNy 24 [1928] 147–151; Czeglédy K., Géza nevünk eredete [= Derivatio nominis Hungarici Geysa], MNy 52 [1956] 325 sqq.). Nomina personarum et vocabula locorum, quae nomini principis congruunt, saeculis XI–XIV saepe inveniuntur (Kristó–Makk–Szegfű I, pp. 46 sq.). Nomen principis saeculo XIX falso in forma "Géza" renovatum est, quae forma hodie frequentem usum habet apud Hungaros.

Beliud — Nomen Beliud (Belyüd) Hungaricum nomen est e nomine communi bél 'intestinum' et ut nomen atque vocabulum loci in diplomatisbus aetate Arpadiana saepius invenimus (Melich p. 40; Kristó–Makk–Szegfű I, p. 73). De illo Beliud autem, qui aetate principis Geysae vixit, nil aliud compertum est.

terram Kulam — Melich (p. 40) nomen Kulan e nomine communi Turcico kulan derivatum esse interpretatur, quod significat: 'equus indomitus'. Hungaricum nomen Kulan igitur mutuatum nomen Turcicum esset. Pauler vocabulum loci Kalán ex hoc nomine Kulan eductum esse arbitratur (Szt. István p. 186), atque ita — "si hoc phonetice approbari possit", adnotat Melich — etiam vocabula locorum in Transylvania Kalán, Kalyán cum eo coniuncta esse possunt (Melich p. 45). Secundum autem Györffy Kulan ille, ut aequalis principis Geysae, proavus generis Kalán, alio nomine Bor haberet potest (Györffy, Tanulm. pp. 27, 99). Kristó–Makk–Szegfű (I, pp. 72 sq., II, p. 9) nomina et vocabula loci Kulán et Kalán separatim tractant.

Keam — Hungaricum nomen Kean idem est ac Turcicum nomen kayan,²¹⁴ quod significat: 'dux'. Avari, Turci, Uiguri, Kazari atque fortasse etiam Bulgari saeculis VIII–X ducem suum nominabant kayan. Hungaricum nomen commune keán ~ kán et ducem singularum tribuum Hungaricarum, et ducem Kazarorum sive Bulgaro-Turcicorum aequo significare potuit (Melich p. 40; de genere Kán [Kean] v. superius). Ut Györffy arbitratur, hic Kean aequalis ducis Geysae atque Stephani I. proavus generis Kán fuit (Györffy op. cit. Ethn. 76 [1965] 420 sq.). De nominibus "Kean(us)", quae in litteris librorum chronicis Hungaricis memorantur, et de nominibus et vocabulis locorum Hungaricis medii aevi cum nomine Kean congruentibus v. Kristó–Makk–Szegfű, I, p. 72.

Isti Beliud ... Beliud hereditavit — Narrationes Gestorum ad nomina Beliud, Kulan et Keán adiunctas nemo virorum doctorum probabiliter interpretatus est. Györffy nomen Kulan et nomen Salan ab Anonymo memoratum idem esse dicit (pp. 23 sq.; Idem, Tanulm. p. 99), quod autem ad quaestionem enodandam haud multum valet. Veri similiter pars e Gestis veteribus exempta (Györffy op. cit. Ethn. 76 [1965] 421) aliis — recentioribus — elementis immixta est. Secundum Gerics (A Táttony nemzetiségről [= De genere Táttony] TSz 9 [1966] 8, adnot. 46) fama de matrimonio ducis Geysae, etiamsi vocabulis linguae veteris conscripta sit, tamen ab auctore

saeculi XIII composita esse videtur. De quaestione v. caput (57.), sent. 256.
Pannionam est deductus — V. caput (56.).

Tandem cum ... ab illo tertius — Secundum haec verba, ut scriptor Gestorum arbitratur, Gyula saeculi XI nepos ducis patriam Hungarorum occupantis erat. Nomina quaedam intra idem genus tamquam hereditas a patre ad filium translata sunt illa aetate quoque, ex qua iam diplomata exstant, itaque coniunctiones affinitatis accurate constitui possunt. Fieri potest, ut nomina ante religionem Christianam susceptam saepius hoc modo imposita sint, praesertim si nomen initio dignitatem quandam significaverit, dignitas autem in familia hereditate tradatur. Hoc modo ex ipsis rei natura sequitur, ut filius atque prognati ducis Gyulae viventis tempore occupationis patriae Hungarorum item Gyula nominati sint.

(33.)

Caput e Gestis veteribus exoritur.

215 *Quartus capitaneus* — Index idem est atque index capititis Chronici Picti: “Quartus capitaneus” (SRH I, 291).

Cund ... Kusid — De ambobus nominibus v. dicta ad caput (30.), sent. 206.

Cupan — Forma rectior nominis apud Simonem de Kéza in forma Cupian (SRH I, 166) servata est. Sine dubio de nomine “Kaplon” agitur, quod Turcicae originis est et significat: ‘tigris’. Genus Kaplon, cuius memoriam villa eiusdem nominis in parte orientali regni, in comitatu Szatmár etiam hodie conservat, ibi possessionem habuit, ubi etiam in Gestis adnotatur (Karácsonyi, II, p. 289. Compositionem nominum et vocabulorum locorum Kaplon v. Kristó—Makk—Szegfű, I, pp. 53 sq.). Adhuc non explicatum est, quam ob rem genus Kaplon in Gestis cum Cund cuniunctum esset. Secundum D. Pais (Kék-kend [= Populus kék-kend dictus], Körösi Csoma-Archivum 1 [1924] 274) scriptor Gestorum personam Cund e nomine populi kék-kend regionem Nyr (Nyírség) incolentis induxit, simulque eum proavum generis Kaplon fecit, quia possessiones populi kék-kend et generis Kaplon vicinae erant. Györffy prius genus Kaplon unum e ramis stirpis Cund sive generis Curzan fuisse arbitratus est (Bud. Rég. 16 [1955] 19), sed posterius hanc opinionem abiecit (Tanulm. p. 147; Györffy op. cit. AÉ 97 [1970] 236).

Nyr — Regio, quae etiam hodie Nyírség nominatur, media parte comitatus Zabolensis, ubi solum arenosum est, porrigitur. Nomen ab arbore specifica illius regionis, a betula (Hungarice ‘nyír’) accepit. Etiam nomen maximae civitatis regionis Nyíregyháza in prima parte nominis (Nyír) idem significat (Németh P.—Mező A., A régi Nyíregyháza [= Nyíregyháza vetus], Nyíregyháza 1973, pp. 35 sqq.).

Cupan ... monasterium fundavere — Monasterium generis Sancto Benedicto sacrum in ipsa villa Kaplony exstructum est una cum templo Romanensi structurae genere aedificato. Templum in honorem Sancti Martini sacratum erat (Pannonh. XII/B, pp. 434 sq.; Maksay F., A középkori Szatmár megye [= Comitatus Szatmár medii aevi], Bp. 1940, p. 155). Quia ecclesiae in honorem Sancti Martini sacratae quidem in Hungaria veterimae sunt, monasterium in Kaplony adhuc saeculo XI condi potuit.

(34.)

Caput a magistro Acus conscriptum est, qui textu Gestorum veterum nisus est.

Quintus capitaneus — Index idem est atque index capititis Chronici Picti: 216
“Quintus capitaneus” (SRH I, 291).

Leel — Interpretationem nominis v. ad caput (52.), sent. 243.

Messianos, scilicet Bohemicos — Messiani iidem sunt atque incolae Moesiae et nomine eorum historia Hunnorum in eadem sententia utitur ac nomine populi “Bulgarus” (cf. caput (26.), sent. 198). Scriptor textus saeculi XIV Gestorum, qui aetati nostrae traditus est (SRH I, 291), eos ac Bohemos eosdem esse falso arbitratur; in Gestis Simonis de Kéza ut duo populi separati recte memorantur: “Messianis et Boemis” (SRH I, 166. Cf. I. Tóth op. cit. Száz. 79—80 [1945—1946] 53). Messianos et Bohemos memorare pariter saeculo XIII scripta esse ostendit Györfy (p. 105).

Golgat — Loco civitatis hodiernae Galgó (Hlohovec) in comitatu Nitriensi ad fluvium Vagum medio aevo castrum fuit. Vocabulum loci ad exemplum vocabuli Sacrae Scripturae “Golgota” formam “Golgata” accepit (Györfy p. 106). Vocabula locorum “Lél” in regione comitatus Comaromensis ad meridiem porrecti etiam hodie inveniuntur. Indicem vocabulorum locorum Lél v. Kristó—Makk—Szegfű I, p. 55.

Ex isto ... oritur generatio — Genus Zuard (Szovárd) unum e generibus notioribus Hungarorum est (Karácsonyi III/1., pp. 149 sqq.). Nomen congruens est primae parti nominis veteris Hungarorum, qui apud Constantiū Σάβαστοι ἄσφαλοι adnotati sunt (Pais, Anonymus p. 142; Németh p. 319; Györfy, Tanulm. p. 62 sq.), Anonymus facta militaria Zuard et fratri eius laudat (SRH I, 75 sq.), in Gestis Simonis de Kéza Zoard dux unius incursionum in Italiam factarum Attilae fuisse memoratur (SRH I, 160.), genus igitur Zuard hic memorare et affirmare illud e duce Lel originem duxisse sententiae scriptorum Gestorum convenit. Ignotum est, cur hoc genus mirum in modum a scriptoribus memoratum sit. Unus e ramis generis Zuard in comitatibus Strigoniensi et Comaromiensi in utrisque ripis Danubii possessor agrorum erat (Karácsonyi III/1. pp. 150 sqq.).

(35.)

Caput textu Gestorum veterum transcripto a magistro Acus compositum est.

217 *Sextus capitaneus* — Index idem est atque index capitis Chronicus Picti: “*Sextus capitaneus*” (SRH I, 292).

Uerbulchu — Et Anonymus et Simon de Kéza necesse habent interpretationi, et quidem demonstrando crudelitatem viri sic nominati, cur prima pars “vér” ‘sanguis’ nominis compositi Werbulchu adiuncta sit nomini Bulchu (“Bulsuu vir sanguinis” SRH I, 107); “Pro eo enim Werbulchu est vocatus, quia ... plures Germanicos assari fecit super veru et tanta crudelitate in eos dicitur exarsisse, quod quorundam quoque sanguinem bibit sicut vinum” (SRH I, 167). Incertum est, quid secunda pars nominis significet. Ipse Pais duas interpretationes profert. Fieri posse putat, ut haec secunda pars nominis ac nomen Hungaricum “bocsánat” (‘venia’) idem sit. Sed itidem probabile arbitratur nomen e vocabulo Turcico “bulya” ‘permiscere’ derivatum esse et eo explicari posse, quod munus viri sic nominati erat miscere sanguinem in calice infusum incisis venis hominum foedus ferientium (SRH I, 82). Dignitas Bulchu enim, qui circa annum 950 cum legatis Hungaricis Byzantium missus est, a Constantino adnotata est: Βουλτζοῦς καρχᾶς (Konstantín p. 178). Hac dignitate iudicali etiam pater eius, Kal fungebatur. Nomen Bulcsú medio aevo et nomen personae et vocabulum loci in frequentem usum venit (Kovács, Index pp. 118 sq.; Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 59 sq.). Genus Verbulchu, cui alterum nomen latius notum genus Lad erat, in eadem regione possessor erat, et quidem in litora septentrionali-occidentali lacus Pelsonis in comitatu Zaladiensi (Karácsonyi II, p. 343), ubi secundum scriptorem Gestorum dux Werbulchu sibi sedem locavit. Dubium non est, quin genus Lad secundum famam suam se progeniem Werbulchu esse putaverit (Rásónyi Nagy L., Kál és társai [= Kal et socii eius], MNy 25 [1922] 122).

Palatinum — Nomen lacus Pelsonis (Hungarice Balaton) e vocabulo geographico Slavico derivatum est, quod e nomine communi Slavico “blato” ‘lутум, palus’ exoritur (Melich pp. 384 sqq.). Etiam Germanicum vocabulum Plattensee vetus est, quod Teutoni quoque e lingua Slavorum acceperunt (Idem p. 386). Forma “Palatinum”, quae apud Th. legitur, in nulla variantium lectionum Gestorum invenitur. Formae “Balatim” et “Balatun”, quae in variantibus leguntur, evidenter originem Germanicam ostendunt, tamen transformatae in Latinam formam. Vocabulum loci in hac forma apud Th. scriptum veri similiter a typographo aut emendatore factum est (pari modo in capite (69.), sent. 306).

⟨36.⟩

Caput a magistro Acus scriptum est, tantum duae primæ ēnuntiationes e Gestis veteribus acceptae sunt.

Septimus capitaneus — Index capitinis idem est atque index primi ex 218 capitibus quattuor, quae Th. in unum contraxit: “VII-us capitaneus” (SRH I, 292).

Urs — Nomen Urs (Örs) e vocabulo Turcico “ir, ēr, ür” — quod ‘vir, vir bello fortis’ significat — derivata Hungarica appellatio blandiens est, quae etiam in pluribus Hungaricis vocabulis locorum servata est (Pais, *Anonymus* p. 132; Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 58 sq.). De duce Urs documenta historica nota non sunt. Nomen eius in forma Ursuur ~ Vrsuuru (Örsúr) apud *Anonymum* servatum est. Prima aetate Arpadiana viri stirpis regiae, principes, Latine duces dicti titulo Hungarico “úr” nominabantur. Ut Karácsonyi arbitratur (II, p. 420), hoc titulo appellati sunt etiam ii, qui cum familia regia se affinitate coniunxerunt. Id igitur, quod genus Vrs etiam Vrsur dicebatur, — secundum Karácsonyi — ostendit titulum “úr” ab aliquo homine generis non tempore occupationis patriae Hungarorum, sed ineunte saeculo XII comparatum esse. Györffy prius argumentatus est: necesse est Urs iam in Gestis veteribus memoratum esse, nam scriptor quidem posterioris aetatis Ursuur scripsisset, sicut ab *Anonymo* factum est. Posterior autem hanc suam sententiam mutavit et titulos “úr” et “dux” (id est ‘regulus’) eosdem esse declaravit (Tanulm. p. 96). D. Pais ostendit partem posteriorem formae Ursuuru, id est -uru non idem esse ac vocabulum Hungaricum “úr”, ille demonstravit totum nomen e lingua Turcica ortum esse et significare ‘fetus masculini generis, progenies masculini generis’. Ita et Karácsonyi et Györffy falso argumentati sunt (Pais D., Úr volt-e valóban Vrsuuru? [= Vrsuuru vere úr ‘dominus’ fuerit?] MNy 58 [1962] 140 sqq.).

Istius siquidem ... locum habebat — Possessiones agrorum generis Vrsur (Örsúr) vere ibi sitae erant, ubi secundum scriptorem Gestorum dux Vrs sibi descensum fecit ad fluvium Sajum (Sajó) in comitatu Borsodiensi (Karácsonyi II, pp. 419 sq.).

Seyo — Hodie nuns. fluvius Sajó est, qui influit in Tisciam a latere dextro. Vocabulum compositum est, cuius pars prima est: “só” ‘sal’, secunda: “jó”, quae significat: ‘fluvius, (fluens) aqua’ (Pais, *Anonymus* p. 136).

Fuerat autem ... locum habebat — Sicut Györffy (pp. 107 sq.) explicavit, 206–218 index nominum septem ducum a scriptore Gestorum veterum compositus est et quidem ita, ut septem egregios fortis viros fabularum aetatis sua cum ducibus identificaret. Ipse ad identificandum eo impulsus est, quod vocabuli “septem Hungari” aetate sua iam sententia commutata est. Dum vocabulum tempore occupationis patriae Hungarorum ‘populum, qui ex septem tribubus constitit’ significavit, saeculo XI significationem ‘septem duces’ habuit.

Quoniam scriptor septem duces etiam tempore occupationis patriae Hungaros repreäsentavisse putavit, pro in oblivionem adductis ducibus novos, etiam eos, qui multo serius, tempore incursionum Hungarorum vitam agebant, substituendos esse arbitratus est. Descensus septem ducum a scriptore ita constituti sunt, ut duces fabularum re diligenter perpensa cum tribubus patriam occupantibus aetate sua viventibus coniunxit, descensus eorum autem in possessionibus horum generum assignavit. Cum descensus accuratius considerari potuit, locum, qui nomine ducis indici ascripti nominatus est, descensum ducis fuisse scripsit. Quia possessiones saeculi XI tribuum patriam occupantium atque eorum primi descensus, qui autem sedes ducum eiusdem nominis erant, iure iidem esse dici possunt, scriptor saeculi XI condiciones possessionum aetatis suae referens ad exeuntem saeculum IX a vero vix dissentire videtur. Sed possessiones hoc modo descriptas non tribus, sed genera possidebant. Ad tempus scriptoris conformatio tribuum vim iam tam parvam habuit, ut genera conformatioes maxime esse viderentur, quae in Hungaria consederunt. Sententia Györffy de indice ducum saeculo XI conscripto universe accepta est (Horváth pp. 293, 312; Mályusz 1971, p. 57). Secundum Kristó (1972, MKSz 172) nomina septem ducum patriam occupantium et generum, quae e nonnullis eorum oriunda sunt, non prius, quam exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII descripta sunt. Ut ipse arbitratur, nonnulla genera tempore occupationis patriae orta esse dicere primum tum rationem habuit, cum vocabulum "de genere" ius possessionarium demonstraturum assignans nomen generis nobilis circa annum 1200 in usum venit. Pauler (Szt. István pp. 208 sqq.) ipse coniecturam fecit, ut septem duces Gestorum — nam indices nominum septem ducum apud Anonymum et in Gestis inter se valde differre cognitum erat — primum tantum in ipso fonte Simonis de Kéza memorati essent. Viri docti in studiis novissimis hunc fontem a magistro Acus scriptum esse putant.

218 *Alie vero ... eorum beneplacitum — Magister Acus condiciones possessionum generum medio saeculo XIII viventium etiam tempore occupationis patriae Hungarorum valuisse existimavit. Sicut aetate eius genera iusto iure dominia sua possidebant, nam familia quadam generis extincta homines de stirpe eiusdem generis dominia familiae extinctae hereditate acceperunt, quae regi non contigerunt, ita, ut magister Acus putavit, genera iam tempore occupationis patriae summo iure ac sine nulla condicione adhibita loca descensus occupaverunt. Summa enuntiationis secundum Horváth (pp. 20, 295 sq., 345 sq.) e cantibus ioculatorum deduci potest.*

codices quidam ... ac plantata — Vocabulum "codices quidam" a compluribus peritis litterarum Gesta vetera significare creditur (Györffy pp. 101, 143, 161; Mályusz 1971, p. 54), Horváth (p. 296) autem Gesta Hungarorum quaedam aetatis regis Colomani esse censet. Ut supra dictum est, hoc opus indicem nominum septem ducum iam amplecti potuit.

Akus — De genere Acus, e quo etiam scriptor Gestorum vitam medio

saeculo XIII agens ortus est, monumenta scripta iam ex prima parte saeculi XII supersunt (Makk F., Megjegyzések II. Béla történetéhez [= Adnotatio-nes ad historiam Belae II.], AU Szeged, AH 40 [1972] pp. 43 sq.). Sedes generis, ubi etiam monasterium Romanensi structurae genere aedificatum est, in comitatu Mediocri Szolnok medii aevi ad fluvium Crasnam sita est (Karácsonyi I, p. 100). Nomen Acus (Ákos) ut vocabulum aliorum locorum quoque cognitum est (Kristó—Makk—Szegfű II, p. 4).

Bor — Baár, nomine priore genus Kalán est (Karácsonyi I, p. 139).

Abe — Genus Aba est unum ex potentissimis et celeberrimis simul veterimis generibus. Possessiones veteres generis in comitatu Hevesensi circum civitatem hodiernam Gyöngyös porrectae sunt, quarum sedes monasterium de Sar (hodie Abasár) erat, ubi rex Aba Samuel, maritus sororis regis Stephani I. sepultus est (Karácsonyi I, pp. 19 sqq.). Memoratu dignum est, quod a magistro Acus enumerantur genera Acus, Bor, Aba, eae familiae nobiles, quae dignitate et potestate cum stirpe Arpadiana contendebant (Horváth pp. 346 sq.).

nobilium Hungarorum — Vocabulum “nobilis” secundum sententiam aetatis scriptoris (circa annum 1270) possessores nobiles honestiores in genera congregatos atque armis militaribus pugnantes significat (Mályusz 1971, p. 56).

vulgus dicit: VII Hungaros — Vocabulum “vulgaris” hoc loco plebem, quae lingua Hungarica loquitur, significat. Magister Acus sine dubio vocabulum commune “septem Hungaros” Latine interpretatur et ex sententia saeculi XI, sicut iam indicatum est, ad duces septem tribuum refert.

temporibus ducis Toxun — Dux Toxun (Taksony) nepos ducis Arpad, 219 pater ducis Geysae fuit (Hóman, M. tört. I, p. 144). Sicut apud priores eius, item apud ipsum quoque ambigitur, quibus annis regnaverit. Ut Paurer adnotat, nil incertius est, quam tempus dominandi primorum ducum Hungarorum et annus, quo mortui sunt. Toxun, ut conici potest, anno 971 vita excessit (Paurer, Szt. István pp. 185 sq.).

Ysinacam Turringie civitatem — Hodierna civitas Eisenach in Thuringia est ad occasum a civitate Gotha.

flumine Illirici — Idem esse ac fluvius Iller dici potest, qui a latere dextero apud hodiernam civitatem Ulm in Danubium se effundit.

flumen Saar sive Leytah — Fluvius terminalis inter Hungariam medii aevi et Austriam est, hodie quoque Lajta (Leita) nominatur. Nomen Hungaricum eius “Sár” in diplomatis medii aevi saepe memoratur. Exempli causa annis 1346 et 1434: “iuxta fluvium Saar” (Csánki III, p. 611), 1415: “iuxta fluvium Saaruize alio nomine Laytha” (Idem III, p. 625), 1436: “am Fluss Sarwiz oder Leyta” (Idem III, p. 677), 1383: “iuxta fluvium Saruize” (Idem III, p. 681). Forma nominis, quae apud Th. legitur, accurate congruit cum ea, quae in Cronico Picto invenitur (*V₄*: Leytoh, *V₅*: Leythah, *S*: Seytah, *R B D*: Saytah, SRH I, 293).

Accidit autem temporibus ... usque ad pecus — Proelium, cui historia

septem Hungarorum adiungitur, scriptores priores rerum Hungaricarum omnium consensu idem esse ad proelium anno 955 ad Augustam Vindelicorum commissam arbitrati sunt, quod ex Gestis Th. inferius in capite <52.> disserit. Sententiam eius res et loca proelii non confirmant, nam Galliam, Rhenum atque Ysmacam, hodiernam civitatem Eisenach memorare, velut si ibi locus belli gerendi fuerit, item ducem Saxonum proferre descriptionibus pugnae ad Augustam Vindelicorum commissae contradicunt. Mentio aetatis ducis Toxun facta atque memoria pugnae ad Augustam Vindelicorum pugnatae, quae maxima caedium Hungaris illatarum fuit, identificationem adduxerunt. Domanovszky argumenta, quae in narratione inveniuntur et e sermone populari Hungarorum sumpta sunt, a scriptore Gestorum veterum ex opere continuatoris Reginonis accepta esse arbitrabatur. Ut ipse putat, hae duae adnotaciones in Gestis veteribus contractae sunt: 932. “Ungarii per orientales Francos et Alamanniam multis civitatibus igne et gladio consumptis iuxta Wormatiam Rheno transito usque ad mare oceanum Galliam devastantes per Italiam redierunt”. 934. “Heinricus rex Ungarios multa caede prostravit pluresque ex eis comprehendit” (SRH I, 293, Gombos I, p. 781). Hac opinione adhibita difficultates facile adimi posse videntur, tamen ad incertum revocando, rectene aetas Toxun memorata sit, interpretatio iterum in dubio relinquitur.

221 *Preterea cum sit ... arrogantia se valerent — Descriptio memoriam ioculatorum Hungaricorum aetatis gentilitatis conservavit, qui iuvenes ad proavos imitandos educabant et adhortabantur. Hi ioculatores principio haudquaquam delectandi causa cantabant. Quoad religio Christiana Hungaris non inveteravit, functio ioculatorum ad mores emendandos pertinere videbatur. Idem in numerum excultorum hominum Hungaricorum ascripti sunt. Condicio vitae eorum inservire primoribus erat. Cum autem primores ab iis se averterunt, etsi permissum eis erat, ut colerent opiniones veteris religionis et foverent ordini veteri, qui ante conditum regnum floruit, tamen iam sperare non potuerunt fore, ut primores ipsis adiuturi sint. Simplices ioculatores facti sunt. Condicio vitae sicut officium mores eorum a rerum mutatione abhorrentes esse demonstrabat. Munus a patre ad filium hereditate transferebatur et principio consuetudines traditas tueri, immo etiam se eis accommodantes agere debebant. Magna conversione rerum publicarum facta, id est religione Christiana accepta atque regno condito disciplina rei publicae capessendae consuetudines a ioculatoribus servatas necessario odiosas esse sensit, quorum opera praesertim sacerdotibus religionis Christianae in suspicionem reddi potuit. Scriptor Gestorum ioculatores hostes esse arbitratus est. Sed non solum hostiliter, sed etiam contemptim eos despexit. Genus vitae ioculatorum e tentorio in tentorium grassantium mendicatio esse videbatur, et quoniam delectare est functio, quae elementa imitationis, id est artis scaenicae complectitur, ordo clericorum aversum ab histrionibus animum etiam ioculatoribus attulit. Secundum sententiam ecclesiae histriones animo carent, post mortem corpora eorum in coemete-*

rio non sepeliri possunt, vivi autem extra fines societatis sunt. Fastidium igitur maius cogitari non potest, quam septem duces patriam occupantes eosdem esse arbitrari ac septem ignominia notatos, qui proavi ioculatorum putati sunt. Identificatio adhuc in Gestis veteribus scripta esse non potest. Partim tempus, quo omnes gloriam ducum tribuum viderunt, minime longe aberat, partim ab Anonymo septem Hungari adhuc "septem principales persone" fuisse creditum est. Ad veritatem prope accedit (Horváth p. 346), quod ipse magister Acus fuit, qui identificationem confecit. Indignabatur, quod genus suum una cum aliis iuxta septem duces obscuratum esset. Offensio et indignatio impulit illum, ut identitatem demonstraret. Simil autem perhorrescit et insequentibus iam vocabulis festinanter sententiam refutat. Sive magister Acus, sive auctor prior fuit, qui identitatem fuisse conscripsit, vocabula "Margyorkak et Gyoz sive Lazari", quae apud Th. leguntur, adhuc interpretanda sunt. Apud Th. duae variae lectiones Chronicus Budensis et Chronicus Picti coniunctae apparent. In prima lectione "heth Magiar et gyak" 'septem Hungari et discipulus' (S: "het Mogor et Gok"), in secunda lectione "Lazari" nominantur ioculatores, id est Th. coniunctione "sive" inserta ambobus nominibus in opere suo locum dedit. Tamen non Th. fuit, qui primus duo nomina coniunxit, ipse textum tantum emendavit, quod apud D sic invenitur: "Qui quidem septem ob offensam huiusmodi Lazari sunt vocati." Vel sic: "Qui quidem septem ob offensam huiusmodi Hethmagiar at Gyak sunt vocati" (in SRH I, 294 non notatur D secutum esse V). Th. adhuc haec mutavit: vocabulum "heth" ('septem') omisit, vocabulo "Magiar" ('Hungarus') autem syllabam paragogicam deminutivam adiunxit. Sed etiam id fieri potest, ut quattuor litterae vocabuli "heth" per neglegentiam librarii vel mendo typographicum in tres litteras "kák" suffixi syllabae paragogicae deminutivae numeri pluralis transformatae sint. Quia omnino obscurum est, cur a Th. numerale "septem" omissum sit, in primis ad neglegentiam putandum est. Factum est, quod vocabulum "magyarkak" tantum apud Th. invenitur. (Varii codices manu scripti: SRH I, 294 et II, 51 sunt.) Incertum est, an vocabulum "Gyoz" e neglegentia simili factum esse interpretari debeamus. Ultima littera "k" vocabulorum "Gok" in S, "gyak" in B, "Gyak" in D et "Wok" in R per errorem sive imprudentiam pariter in "z" transformari potuit. Immo quidem possibile videtur in vocabulo "Gyoz" Th. vocabulum Hungaricum "diák" 'discipulus, litteratus' non dignovisse. Discipulorum sive litteratorum nonnulli parum erudit, vagantes ex professo oblectationem factitabant et in S B D R diák huiusmodi memoratur. Cogitari quidem potest ipsum Th., qui item litteratus fuit, hoc vocabulum graviore et lautiore sententia usum hominibus ordinis humilioris adhibere noluisse, atque ideo vocabulum "Gyoz", quod sententiam nullam habet, conservavisse. Fortasse vocabulum quoddam respondens vocabulo "Lazari" esse putavit, cuius originem Th. vix noscere potuit, quia in Chronico Picto, ex quo ipse vocabulum transtulit, nulla interpretatio addita est. Origo appellationis in Chronico Posoniensi

detegitur, ex quo ioculatores “septem Hungari” dicti a Sancto Stephano “ad subiectionem cruciferorum Sancti Lazari de Strigonio” redacti sunt, ne “sine capite et principe” manerent, atque ita ipsi pauperes Sancti Lazari nominantur. (SRH II, 51: “Zentlazar … zegini, Zentlasarygini”. Mirum in modum secundum adnotationem I, 294, adnot. 2 eadem vocabula in forma “Zentlazar … Zegun, Zentlazarzygini” in textu originali inveniuntur.) Institutum et nomen ioculatorum ita evolutum esse censeri potest: ioculatores gesta bellorum aetatis occupationis patriae et incursionum nominibus septem ducum, ducum tribuum adiunixerunt convenienter progressioni vitae communis, cuius formam et quasi socialem notam tribus foederatae determinaverunt. Ioculatores canticum in persona prima cantabant, velut si ipse dux quidam facta sua enarraret. Ioculator personam ducis gerens, si partes bene explevit et ad persuadendum accommodate pronuntiavit, incensis auscultatoribus ita apparere potuit, quasi ipse persona prima esset. Ecclesia Christiana et potestas regia, quae veterem religionem ac ordinem socialem quam celerrime extinguere, monumenta eius delere omni modo sibi proposuerunt, identificationem ad propositum suum adipiscendum — ad fidem vitae prioris elevandam — aptam et sibi utilem cognoverunt. Veteres duces tribuum et ipsi ioculatores e tentorio in tentorium ingredientes idem esse putari, quasi hi illorum prognati ad extremam mendicandi necessitatem deducti sint, libenter visum est. Itaque vocabulum “septem Hungari” non solum ‘septem duces’, sed etiam ‘septem ioculatores’ significavit. In Chronico Posoniensi hic gradus processus ita conservatus est, ut ioculatores “het mogoriek” ‘septem Hungari’ nominarentur. Altero nomine eorum, quod est “pauperes Sancti Lazari”, adnotato et descriptione supra enarrata idem Chronicon simul eos, etiamsi non omnes dicione domini latifundii teneri et a clericis inspici affirmat. Tempus, quo status et nomen ioculatorum ita transformatum sit, incertum est. Aetate Sancti Stephani nullo modo fieri potuit. Ordo militaris de Sancto Iohanne nominatus, cuius socii vocabulo vulgato cruciferi nominabantur, Hierosolymis captis (anno 1091) constitutus est (Hauck, Realenc. IX, p. 331), in Hungaria autem medio saeculo XII domicilium collocavit. Domus Strigoniensis eorum veterimum et amplissimum inter conventus in Hungaria erat, tamen ioculatores ad hoc pertineri nullo modo putandum est, quia domus non in honorem Sancti Lazari, sed Sancti Stephani sacrata fuit (Balics II/2, pp. 295, 302 sqq.). Strigonii quidem monasterium de Sancto Lazaro nominatum aedificatum est, quod autem alter ordo militaris habuit. Hic ordo militaris de Sancto Lazaro nominatus medio saeculo XII Hierosolymis praesertim ad leprosos sanandos constitutus est (Hauck, Realenc. XI, pp. 325 sq.) et praeter domum Strigoniensem in Hungaria aliam domum non habebat. Pro certo existimari potest, quod in Chronico Posoniensi cruciferi de Sancto Lazaro, non autem de Sancto Iohanne nominati memorantur. Superius dicti in diplomate anni 1272 ita memorantur: “(terra) cruciferorum ecclesie sancti Lazari” (Mon. Strig. I, p. 600), quod vocabulis Chronicus Posoniensis

congruens est. Argumentum veterimum notum de ordine Sancti Lazari in Hungaria anno 1233 exstat. In diplomate Andreae II. tunc in indice nominum testium vocabulum “magister sancti Lazari de Strigonio” memoratur (cf. Jakubovich, MNy 27 [1931] 268; Fejér III/2, p. 329). Knauz (Mon. Strig. I, p. 45) adhuc valetudinarium Sancti Lazari a Sancto Stephano aedificatum esse creditit, quia ordinem saeculo IV a Sancto Blasio, episcopo Caesareae conditum esse pro certo habuit. Hodie iam hanc sententiam infirmam esse inter omnes constat. Sed domus Strigoniensis iam saeculo XII extitisse item opinio falsa esse videtur. Nam nunc novimus diploma cum ascriptione anni 1181, in quo “terra cruciferorum sancti Lazari” in regione Strigonii fuisse memoratur, duobus saeculis posterius datum esse (Karácsonyi, Okl. jegyz. p. 46). Quae cum ita sint, res externas ineuntis saeculi XI et exeuntis saeculi XII comparare cum iis, quae in Hungaria acciderunt, omnino irritum esse videtur (Kardos T., Deák-művész és magyar renaissance [= Cultura humana imitans litteras Latinas et renascimentum Hungaricum], Száz. 73 [1939] 481). Ioculatores igitur ante saeculum XIII consuetudinem cum monasterio Sancti Lazari iungere non potuerunt. At veri simile est, quod iam antea quoque custodiebantur, at non a collegio ecclesiastico, sed a potestate regia. Strigonii quidem complures vitam agere potuerunt, quia usque ad finem saeculi XII aula regia hic se tenebat. Postquam autem Strigonium sedes regia esse desiit, necesse factum est, ut ioculatores ab alia potestate custodirentur. Opinio, ex qua ioculatores hic habitantes ac leprosos eosdem esse putabantur, contemptiōnem, quae eis obtigit, demonstrat. Tantum ipsi, non autem ioculatores cuncti facti sunt pauperes Sancti Lazari. Potestas ordinis Sancti Lazari ad ioculatores, qui, ut nomina coloniarum eorum atque alia argumenta affirmant, passim in toto regno vitam agebant, vix pertinere poterat. (Hoc quidem etiam D. Pais intellexit: Középkori diájkaink és a krónikákbeli hétmagyár-gyiák-lázár mozzanatok [= Litterati sive discipuli Hungarici medio aevo et momenta “septem Hungari—litteratus—Lazarus” in chronicis memorata], FK 4 [1958] 674.) Tempore magistri Acus haec condicio vitae ioculatorum ineunte saeculo XIII iam tam inveterata videri potuit, ut ea a Sancto Stephano ordinata esse credi et scribi posset. Narratio igitur Gestorum ita exponi potest: sicut instituta nova vulgo a Sancto Stephano ordinata esse putabantur, etiam in casu ioculatorum institutum — eos in colonias deducendi et potestati regiae subiciendi — regi primo attributum est (cf. Györffy, Tanulm. p. 146). Vocabulum “Lazari” in Chronicō Pictō ita appellationem recentiorem servavit, in Chronicō Budensi autem veterius vocabulum “septem Hungari” remansit. Sed posterius hoc vocabulum quoque commutatum est. Dum in Chronicō Posoniensi tantum vocabulum “septem Hungari” legitur, in chronicis familiae Chronicī Budensis etiam vocabulum “et Gok” (= diák ‘litteratus’) additur. Vocabulum “diák” eum gradum processus reddit, cum ioculatores iam more Christiano officium factitabant. Nam vocabulum Hungaricum “diák” e diacono deriva-

tur, id est e vocabulo Christianae ecclesiae, quod effectum Christianum demonstrat. Vocabula diák et “ioculator” ineunte saeculo XIV confundi potuerunt. Contra opinionem, ex qua ioculatores Strigonenses ineunte saeculo XI viventes memorati sunt, novissime Chronicon Posoniense res saeculi XIV describere creditur. Secundum hanc sententiam vocabulum “diák” variantium Chronicus Budensis veros “diák” (sc. ‘litteratos’) significat, qui pueri pauperes mendicantes cantando per domos stipem colligebant. Conici potest eos nomen “pauperes Lazari” ideo accepisse, quia in hospitali Sancti Lazari habitabant et quoniam mendicantes vitam agebant, scriptor Gestorum saeculi XIV eos et septem Hungaros identificavit, ipsi autem originem communitatis suae ad Sanctum Stephanum referebant, et quidem eo modo, ut instituta regis et querimonia ad eum relata cantando et ioculando aequa repraesentabant ac proelium ad Augustam Vindelicorum et memorabile facinus ducis Leel cornu suo editum (Mészáros I., Krónikáink “diák”-jai [= “Diákok” ‘litterati’ in chronicis Hungaricis], FK 9 [1963] 162 sqq.). Haec opinio neglegit narrationem de “septem Hungaris” in opere magistri Acus iam adnotatam esse et praetermittit, hospitale Sancti Lazari cuinam scholae destinatum sit, neque explicat, quo modo omnino refugium leprosorum in collegium transformari potuerit, nullumque responsum dat, quo modo pro lingua Latina pueri scholam frequentantes sermone patrio versificare et cantare quiverint. Si probamus diák ‘litteratos’ et ioculatores ineunte saeculo XIV eosdem factos esse, concludendum est exeunte saeculo XV habitum collegii ioculatorum iam adeo commutatum esse, ut Th. commemorationes de eo scriptas iam non intellegeret, sive, cum aliquid momenti “diák” inesse perciperet, huic ipse ut homo litteratus summa vi repugnaret. Adhuc dubium est, quo modo notio septem Hungarorum, quae in litteratura chronicorum Hungaricorum aperte vilior facta est, cum adnotationibus fontium quorundam externorum, praesertim cum opere Alberici monachi Trium fontium saeculi XIII nominato conferri possit. Ut Albericus tradit, post proelium Augustanum (anno 955) “de illis septem Ungaris, qui remanserunt, unus ab eis factus est rex. Hii venientes in terram suam totum populum, qui non exierat cum eis ad bellum, in servitutem redegerunt; qui autem de istis septem nati sunt, ipsi sunt modo viri nobiles in terra Ungaria, quamvis eorum nobilitas magna servituti subiaceat” (Gombos I, p. 26). Hic veri simile duae famae — fama septem ducum patriam occupantium et fama septem Hungarorum Augustanorum (“gyászmagyarok” ‘Hungari permagnam cladem passi’) — coniunctae sunt (Sebestyén Gy., “Gyászmagyarok” [= Hungari permagnam cladem passi] Ethn. 11 [1900] 4 sq., 49 sq.; Csóka p. 651; Kristó 1970, 126 sq.; Szűcs 586 sqq.). Si Albericum hic sermone Hungariano edoctum esse verum est (Latzkovits L., Alberik világkrónikájának magyar adatai [= Argumenta Hungarica in Chronicis orbis terrarum Alberici], Szeged 1934, pp. 73 sq.; Molnár p. 161), magister Acus e duabus famis in Hungaria ineunte saeculo XIII commixtis propter invidiam oriundorum e septem ducibus, “septem duces patriam

occupantes” et “septem Hungaros apud Augustam Vindelicorum permanentem caudem passos” levius identificavit (Mályusz p. 50).

Constat itaque ... nobilitatis vero equaliter — Argumentatio magistri Acus sententiam nobilitatis parte secunda saeculi XIII viventis reddit.

inter alios — Iam chronica medii aevi diiudicantia, quo modo Geysa religionem Christianam in Hungaria propagandam adiuvisset, inter se differebant. Simon de Kéza et Mügeln industriam Geysae Hungaros ad fidem Christianam traducturi industriae ceterorum anteponunt (Simon de Kéza: “prae caeteris”, SRH I, 188; Mügeln: “vor den andern”, SRH II, 135), dum fons Th., *Gesta “inter alios”* (SRH I, 295) partem Geysae tribuit (Tóth Z., “Történetkutatásunk mai állása” körül [= De „investigandis studiis scientiae historiae hodiernae”] Bp. 1943, pp. 15 sq.).

Geycha ... ad fidem Christianam — Geysa, filius principis Toxun anno 971 in locum patris successit. Anno 973 duodecim primates legatos Quedlinburgum misit, qui cum imperatore Othono I. pacem facerent. Ex pacto sacerdotibus Christianis in Hungariam incedere permissum erat. Opus convertendi ab episcopo Passaviensi, Piligrim regebatur. Ipse diocesim suam successorem ecclesiae Romanae Lauriacensis (Lorch) esse putavit, et quia — ut ipse arbitratus est — episcopatus in Pannonia orientali et in Moesia conditi temporibus Romanorum et Gepidarum e Lauriaco gubernabantur, ipse ius episcopatus Passaviensis repetendo ac exsequendo potestatem metropolitae sibi vindicavit. Pro propositis ambitiosis ergo sibi Hungariam conciliaturus atque eam ad fidem Christianam conversurus fuit. Anno vix tandem vertente ad exeuntem annum 974 iam quinque milia procerum Hungarorum ad fidem Christianam conversorum esse censuit et paene totam “nationem Ungarorum” ad religionem Christianam recipiendam inclinare Romam nuntiavit (Marczali, Enchiridion p. 58). Baptisma principis (Geysae) atque familiae eius item sacerdotibus episcopi Piligrim ascribitur (Hóman, M. tört. I, p. 171; Döry F., Szent István családi története [= Historia familie Sancti Stephani], in Szent István Ekv II, pp. 565 sqq.). Quamquam notandum est, quod familia principis in epistola, quam Piligrim ad papam scripsit, non memoratur, tamen baptismus Geysae ad actionem propagandae fidei Bavaram adiungendum esse videtur, quoniam interpretatio, quam Pauler (Szt. István pp. 103 sqq., 189 sqq.) de persona Brunonis ab Othono II. in Hungariam designati episcopi conscripsit, non probata est. In baptimate, quod circa annum 975 factum est, Geysa nomen Stephanum, frater minor eius nomen Michael, filius Geysae, Vajk autem item nomen Stephanum accepit. Quod Geysa fidem Christianam suscepit, id e prudentia viri politici factum est. Secundum narratiunculam episcopi Merseburgiensis, Thietmar: “hic deo omnipotenti variisque deorum inlusionibus immolans, cum ab antistite suo ob hoc accusaretur, divitem se et ad haec facienda satis potentem affirmavit” (Gombos III, p. 2203. Cf. Csóka J. L., A magyarok és a keresztenység Géza fejedelem korában [= Hungari et religio Christiana aetate principis Geysae], Szent István Ekv I, pp. 280 sqq.).

(37.)

Caput a magistro Acus conscriptum est. Materiam adnotationum ad capita (37–48.) pertinentium haud coniuncte cum sequentibus prodit Mályusz 1971, pp. 28–36, 58–59, 62–70, 72–78, 80–82.

223 *de generatione Tata* — Tria ultima vocabula indicis eadem sunt atque index capitisi Chronici Picti: “De generatione Tata” (SRH I, 295).

Intravit ergo ... de Apulia — Sanseverinum, unde familia comitis nomen traxit, hodie Mercato Sanseverino, non in ipsa Apulia invenitur (de hac v. caput (19.), sent. 164), sed magis ad occasum in regione Avellini (Avellino) et Salerni (Salerno). Familia comitum Sanseverini una ex familiis nobilissimis Italicis est. Proavus, Turgisio in comitatu Normanni Guiscardi Roberti medio saeculo XI possessionem Sanseverini nactus est. Familia saeculo XIII stirpi Andegavensi assectator erat contra domum Hohenstaufen, comes Ruggiero unus est ex baronibus, qui Carolum I. contra Manfredum Neapolim vocaverunt. Non veri simile esse aliquem e familia exeunte saeculo X et ineunte saeculo XI vixisse, qui in Hungariam migrans sponsor Sancti Stephani factus est. Magister Acus foedere inter Stephanum V. et Carolum I., regem Neapolis anno 1269 icto inductus est, ut unum e comitibus Sanseverini in Hungaria morantem produceret. Ex pacto, quod extincta stirpe Arpadiana ius coronae Hungaricae adipiscendae Andegavensibus confirmavit, filia Stephani V., Maria filio Carolo I., Carolo, duci Salerni — futuro regi Carolo II. — despensa est, filius Stephani V. autem, qui postea rex Ladislaus IV. factus est, filiam Caroli I., Isabellam sibi despondit (Pauler II, pp. 271 sq.; in opere F. Patek, Az Árpádok és Anjouk családi összeköttetése [= Necessitudo affinitatis stirpium Arpadianae et Andegavensis], Száz. 52 [1918] 449 sqq., actio diplomatica Caroli I. varie describitur). Filia regis Neapolis in Hungariam transmigrante familia Sanseverino magistro Acus nota fieri potuit. Nulla fama in Hungaria exsistebat, ad quam ipse familiam Italicam addere potuisse. At nihil ei impedimento erat, quin unum e familia aetate Sancti Stephani vixisse scriberet. Affirmando Deodatum prognatis nullis relictis de vita excessisse quasi argumenta ad probandum, cur sermones de familia deficiant simulque comiti Sanseverini, sponsori regis primi facto partes honestas assignat, quae alicui eorum, quos uxor heredis regni circa se habet, convenient.

monasterii de Tata — In civitate Tata in comitatu Comaromiensi monasterium ordinis Sancti Benedicti in honorem apostolorum Sancti Petri et Pauli sacratum fuit, cuius memoria in monumento exeuntis saeculi XI — in conscriptione possessionum abbatiae in Monte Sacro Pannoniae — servatur, et quod unum ex monasteriis veterissimis Hungariae est (Pannonh. XII/B, pp. 201 sqq.; Komjáthy M., Tata és a tatai bencés apátság az Árpádok korában [= Tata et monasterium Sancti Benedicti aetate stirpis Arpadianae], Regnum. Egyháztörténeti évkönyv [= Annales historiae

ecclesiae] 6 [1944–1946] 232 sqq.). Vocabulum loci: Tata ex appellatione blandienti nominis communis Hungarici “tata” ‘pater, sponsor’ derivatum est (indicem vocabulorum locorum et nominum “Tata” v. Kristó—Makk—Szegfű I, p. 79). Vocabulum loci Tata, quod in Gestis adnotatum est, cum nomine Deodato cohaerere potest, quoniam Germanicum vocabulum loci: Totis (Dotis), antea: Totes (Todes) Germanicum nomen in casu genitivi est, et quidem e parte posteriore seu Germanici Deodat > Theodat seu Latini Deodati derivatum est (Melich J., A Máma helynév [= Vocabulum loci Máma], MNy 35 [1939] 145 sqq.). Melich rem memoratu dignam indicavit, ex qua nomina congruentia cum Hungaricis nominibus et vocabulis locorum Nána, Tata, Papa, Bába, Dada, Máma etiam apud veteres, iam e conspectu ablatis populos Asiae Minoris (qui humanitate Graeca politi erant) in forma Bába, Δάδα, Μάμα, Νάνα, Παπᾶς, Τατᾶς inveniuntur, quae tamen omnino libere, inter se haud cohaerentia ut appellationes blandientes aut voces nutriculae orta sunt. Quamquam nomen “Tata”, quod Neapoli invenitur, item originis huiusmodi esse videtur, quod psychologia populari explicari potest, addendum est, quod in diplomate anni 1034 vicini possessio-
nis cuiusdam sic memorantur: “ab una parte fundum heredes domini marini tata” (Regii Neapolitani archivi monumenta edita ac illustrata, Napoli 1854, IV, p. 257).

Adalberto Pragensi episcopo — Adalbertus, nomine pristino Woitech, e familia illustri Bohemica ortus est, anno 982 (secundum Hauck III, p. 988 anno 983) episcopus Pragensis consecratus est, sed propter mentem severam ecclesiasticam et benevolentiam erga populum Teutonicum etiam apud ducem Boleslaum II. in tantam invidiam incidit, ut anno 988 sive 989 Romam migraret, ubi in monasterium S. Alexio sacramum ordinis Sancti Benedicti intravit. Anno 992, ut papa praecepit, in Bohemiam regressus est una cum compluribus monachis Italicis et Bohemicis, inter quos erat ille, qui posterius primus archiepiscopus Polonorum factus est et Anastasius, posterius archiepiscopus Strigoniensis, et cum eis anno 993 Brevnovae (Břevnov) prope Pragam primum monasterium Sancto Benedicto sacrum in Bohemia condidit. Annis aliquot praeteritis iterum discedere e Bohemia coactus est. Tunc Romam migraturus aliquot menses in Hungaria transigere potuit, mox anno 996 Roma ad Polonus et ab his ad Borussos fidem propagaturus abscedit, qui anno 997 eum occiderunt (Hauck, Realenc. I, 153 sq.; Hóman, M. tört. I, pp. 176 sqq.; Döry op. cit. in Szent István Ekv II, pp. 566 sq.). Titulus Adalberti “Boemiensis ecclesie pontifex” (SRH II, 380, 405), qui in legenda maiore Sancti Stephani et in legenda eiusdem sancti regis ab Hartvico conscripta legitur, ad illud tempus magis accommodatus videtur, quam titulus “Pragensis episcopus” (SRH I, 295), qui in Gestis — in fonte Th. — invenitur, nam aetate Adalberti tota ecclesia Bohemica solum unum episcopum habuit, dum secunda parte saeculi XI civitas Olmutium (Olomouc) quoque sedes episcopalibus facta est (Csóka p. 651).

Iste etiam ... baptizavit — In biographiis Sancti Adalberti ab aequalibus compositis (de auctoribus horum et de coniunctionibus textuum v. M. Uhlirz, Die älteste Lebensbeschreibung des heiligen Adalbert, Schriftenreihe der historischen Kommission bei der bayerischen Akademie der Wissenschaften, Schrift I, Göttingen 1957) non memoratur id, quod Sanctus Stephanus ab ipso Adalberto baptizatus est. Biographia Romana Sancti Adalberti et biographia eius versibus inclusa ac verbis “Quatuor immensi” incipiens, quod studiis M. Uhlirz veterimum commentarium vitae eius esse demonstratum est, coniunctiones eius in Hungaria iunctas neglegunt, Bruno Querfurtensis quoque, qui ipse quoque in Hungaria aderat, quamquam eas commemorat (M. G. H. SS IV, 596 sq.; cf. H. G. Voigt, Brun von Querfurt, Stuttgart 1907, pp. 352, 362 sqq.), mentionem de baptismatione nullam facit. Quae etsi ita sint, tamen non impossibile videtur Sanctum Stephanum ab Adalberto baptizatum esse, coniunctio episcopi Pragensis cum familia regis Hungariae, quam etiam epistola eius ad Sarolt missa affirmat, veri simile facit. Summos fontes de baptismatione legendam maiorem Sancti Stephani atque legendam eiusdem ab Hartvico conscriptam habemus (SRH II, 380, 406). Quia ex tribus legendis Sancti Stephani legenda maior veterrima est, atque ita impossibile est legendam minorem, quae de baptismatione nullam mentionem facit, parte de Sancto Adalberto scripta posterius amplificatam esse, dubitatio de narratione legendae maioris, quam postremo Döry (Szent István Ekv II, p. 568, cum litteratura vetustiore) exposuit, eximitur. Contradiccio alia constanter permanet, cur Stephanus tam sero baptizatus sit, si mater certe, pater autem, ut fontes nonnulli tradunt, iam prius Christiani facti sunt. Non est dubium, quod etiam in biographia a Brunone Querfurtensi scripta apparet, quin Adalbertus praesertim munere episcopali fungens et domus regia Hungariae iterum ac saepius inter se necessitudines habuerint, id autem iure existimare possumus illum hominem versatum, qui iam multa vidit et magnam auctoritatem apud imperatorem quoque habuit, animum Stephani iuvenis commovisse. Vita Romana (“Römische Vita”) luculente affirmat, quantopere arbitrio Adalberti imperator Otho III. ductus sit, sed item praecepta continet, quae tamquam imaginem summo perfectissimoque principi ostendunt, quo modo ipse muneribus fungi debeat: “... docens, ne magnum putaret, se imperatorem esse; cogitaret, se hominem moriturum, cinerem ex pulcherrimo putretudinem et vermium escam esse futurum; viduis se exhibere maritum, pauperibus et pupillis monstrare se patrem; timere deum ut iustum ac districtum iudicem, amare ut pium veniae largitorem ac misericordiae fontem; sollicite pensare, quam angusta via, quae dicit ad vitam, et quam perpauci, qui intrant per eam bene agentibus esset per humilitatem socius, contra delinquentium vicia per zelum iusticiae erectus” (Uhlirz op. cit. pp. 47 sq.). Dialogus Adalberti de muneribus imperatoris vere est speculum regis, “aus dem die Ideenwelt Augustins spricht. Die Ursünde der Herrscher, die »superbia« wird bekämpft, der Kaiser soll der

»humilitas« nacheifern, er soll Gerechtigkeit und Milde üben und so ein »rex iustus« im christlichen Sinne ein Vertreter des Gottesreiches sein“ (Idem p. 49). Contra haec tamen primus archiepiscopatus a Sancto Stephano conditus et aedes cathedralis Strigoniensis in honorem Sancti Adalberti sacrata fuisse e necessitudine amborum non omni modo putandum videtur. Propagantes cultum Adalberti in Hungaria monachi Benedictini fuerunt, qui, postquam Adalbertus discessit, ipsi quoque e monasterio Brevnovensi profugerunt, atque aut statim, ut Radla, qui olim educator Adalberti fuit, mox capellanus aulicus ducis Geysae uxorisque eius in familiaritatem eorum receptus est, aut, ut Asericus Anastasiusve, tempore in Polonia et Romae transacto in Hungariam migraverunt. (Hóman, M. tört. I, p. 178; Paurer I, p. 385. Rem e contrario interpretatur H. G. Voigt, Adalbert von Prag, Ein Beitrag zur Geschichte der Kirche und des Mönchtums im zehnten Jahrhundert, Berlin 1898, p. 95. Secundum eum fama baptismationis Sancti Stephani ab Adalberto factae “lediglich aus dem Verlangen einer Nation hervorging, dem gefeierten böhmischen Heiligen auch in ihrer Geschichte eine wichtigere Rolle zuerteilt zu sehen“.) Novissime M. Uhlirz Sanctum Stephanum anno 996, cum episcopus Adalbertus Roma in Poloniam migraturus Coloniae inter proximos familiaresque imperatoris Othonis III. commorabatur, baptizatum esse demonstrare conatus est. Ut Uhlirz arbitratur, Adalbertus die 26 Decembri anno 996, in festo Sancti Stephani praesente ipso imperatore, immo quidem sponsore Vajk baptizavit. Stephanus ab imperatore exemplar imitatione expressum lanceae Mauritii, “sacrae lanceae” imperii accepit, quae possessorum obligavit, ut contra paganos pugnaret, imperator sponsor e sententia ecclesiastica animo coniunctus est cum filio baptismali, matrimonium autem, quo Stephanus filiam ducis Bavariae Adalberto stimulante et imperatore comprobante secum coniunxit, necessitudinem, quae amborum rationibus conducebat, confirmavit (Uhlirz, Jahrbücher, II, pp. 226 sq., 503 sq.). Haec omnia certe probabilia videntur, tamen nullis argumentis approbantur, ne tale quidem argumentum adfert, quod Sanctum Stephanum in Teutonia commoratum esse, quamquam summatim, memoret. Ut ergo ingeniose Uhlirz interpretetur, tamen quae profert, non probanda et veri similia esse videntur. Quod Deodatus quidem in Gestis profertur, Uhlirz non admiratur, et id sine ullo accuratiore interpretatione appellans Chronicon Posoniense commemorat (op. cit. p. 508: “Auch die späteren Quellen schreiben mit wenigen Ausnahmen die Vornahme der Taufe dem heiligen Adalbert zu, nur erwähnen manche noch die Teilnahme des Grafen Deodatus, des Gründers des ungarischen Klosters Tata, an diesem feierlichen Akt“).

Iste etiam ... finivit vitam suam — Fama a magistro Acus descripta iteratur in diplomate falso circa annum 1400 nomine Belae IV. edicto et dato anno 1263. Secundum textum huius comes Deodatus Sanctum Stephanum “cum Sancto Adalberto episcopo de fonte baptismatis sublevavit”, dono villam

Tata accepit, quam postea, quia “absque heredibus” mansit, monasterio in villa Tata aedificato dedit, quod “ipse comes fundaverat”, ipse rex Stephanus autem villam “ob reverentiam et memoriam dicti comitis Deodati et testamenti facti per ipsum Tatam nominavit, quod pater spiritualis interpretatur vulgariter, volens per hoc intelligi imposterum, quod esset donatio et concessio spiritualis et non secularis, videlicet testamentum ecclesie et monasterii beatorum Petri et Pauli apostolorum de Tata in eternum duratura nullatenus a secularibus mancipanda” (Fejér IV/3, pp. 104 sq.). Vocabulum posterius demonstrat, cur diploma falso scriptum sit: abbas monasterii Sancti Benedicti totam villam, quam saecularis possessor obtinuit, vindicaturus argumento narrationem Gestorum protulit, tamen eam falso interpretans, nam in ea ne mentio quidem facta est eius rei, quod monasterium possessor villae est (censura accurata de diplomate: Reg. Arpad. I, num. 1341; cf. Komjáthy op. cit. p. 232). Narratio in scripto falso repetita monachos Sancti Benedicti Simigienses Gesta circa annum 1400 cognita habuisse demonstrat, si socius quidam eorum abbas monasterii de Tata factus (Pannonh. XII/B, p. 203) ea argumento adhibere potuit. (Quamquam conici potest, haud veri simile videtur diploma falsum ante annum 1400 et quidem Tatae ortum esse. Dubitationes Komjáthy — op. cit. pp. 228 sq. — narratione diplomatis papae Bonifatii IX. die 19 Novembris a. 1400 dati — Mon. Vat. I/4, pp. 268 sq. — tolli possunt.)

⟨38.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est.

224 *Generatio filiorum Hedrich* — Index idem est atque index capituli Chronici Picti: “*Generatio filiorum Hedrih*” (SRH I, 296).

Alamania — Pars principatus pristini Alamanni (Alemanni), quae a Rheno ad orientem sita est, Alamannia nominata est. Nomen posterius est: Schwaben.

comitibus Heinburg — Nomen magis par est variantibus familiae Chronici Picti, quam familiae Chronici Budensis. *B D*: Houmburch, *S*: Houmburh, *R*: Hohunburg, *V₁*: Heinburg, *V₂*: Hempurg, *V₃*: Heimpurg (SRH I, 296). Comites nomine Heunburg in Carinthia vixerunt, quorum autem nemo, qui in Hungariam transmigravit, notus est, neque argumenta de cognatis Hungaricis remanserunt (K. Tangl, Die Grafen von Heunburg, AÖG 19 [1858] 59). Neque coniunctio quidem cum possessoribus Vildoniae (Waldon) in Stiria demonstrari potest, e quibus secundum Gesta Simonis de Kéza (SRH I, 189) duo fratres immigrantes orti sunt. Argumentis proximis deficientibus tamen e fama Hungarica veri simile videtur Carantanum marchionatum Teutoniae locum natalem eorum fuisse, et magister Acus hac fama adductus Volphgerum et Hedricum ad comites de Heinburg

(Heunburg), Simon de Kéza in Gestis autem ad Vildoniam adiunxerunt. Quia Stiria ab anno 1254 quinque annos sub dicione imperioque Hungariae erat, nomina Stiriensia ambobus scriptoribus nota facta potuerunt (Paurer, I, p. 488, II, p. 230).

dextrariis falleratis — Equus Hungarorum patriam occupantium, sicut vulgo nomadum originis Turcicae, humili statura erat. Ex ossibus in sepulcris una cum equo sepultorum inventis coniecturam capimus equorum altitudinem regionis interscapularis 1,40 metri fuisse (Hankó B., A magyar ló eredete [= *Origo equi Hungarici*], Debreceni Szemle [= *Acta Debrecentiensi*] 9 [1935] 73 sqq.). Equus calidus, bene patiens laboris, sed statura tenera inhabilis ad ferendum militem cataphractum erat. Armatura militum equos typi occidentalis in Hungariam transferre necesse fecit. Quod scriptor saeculi XIII comites duorum militum militaribus equis, qui decoris armis equestribus exornati erant, vectos esse commemorandum putavit, equos typi orientalis in Hungaria adhuc exstisset indicat, nec equi — dextrarii dicti (Du Cange III, p. 92) — propter raritatem, quae pretium eorum probabiliter augebat, negligendi erant. Opus “*Descriptio Europae Orientalis*” ineunte saeculo XIV scriptum adhuc rem ad id tempus aptam adnotavit, ex qua Hungari, prout cui ordini sociali pertinerent, equos diversi generis habebant: “Parvos habent equos communiter, licet alias multum fortes et agiles, tamen et nobiles habent equos magnos et pulcros” (ed. Górká, Cracoviae 1916, p. 49). In Gestis Simonis de Kéza loco apto 40 “*milites phalerati*” memorantur (SRHI, 189; Erdélyi, Krónikáink p. 133 phaleratum perperam sagittarium reddit). Ad rem equariam pristinam Hungarorum v. L. Makkai, *Östliches Erbe und westliche Leite in der ungarischen Landwirtschaft der frühfeudalen Zeit (10.—13. Jahrhundert)*, Agrártörténeti Szemle (= *Acta Historiae Rerum Rusticarum*) 16 (1974) Suppl. 12 sqq., cum litteratura.

dux Geycha — Volphgerus (Wolfer) et Hedricus vere non Geysa duce, sed Geysa II. rege (1141—1162) in Hungariam migraverunt. Hoc in diplomate comitis Volphgeri anno 1157 edito, quod inferius memorandum est, affirmanti narrationem Gestorum de Quizun (Küszin) probatur.

montem Kiscen — Küszin est forma Hungarica vocabuli loci Germanici Güssing. Locus idem est ac posterior Németújvár in parte occidentali comitatus Castri Ferrei (Hungarice Vas), quae hodie in Burgenland (Austria) est, inter Sabariam et S. Gotthardum (Hungarice Szombathely et Szentgotthárd). Anno 1263 locus sic adnotatus est: “castrum Kwssen quod nunc Vyuar nuncupatur, novum castrum Kyzun” (Csánki II, p. 721). Castrum, quod eo tempore novum habebatur, sicut etiam cetera castra post incursionem Tartarorum exstructa lapideum erat. Novum vocabulum loci igitur vetustius castrum typi pristini fuisse demonstrat.

insulam Danubii — Possessio, quae Hedrico contigit, in vera significacione verbi non insula, sed terra ad Danubium erat, quae inundante Danubio quasi insula facta est. Eadem est atque hodie Hédervár nominata villa, quae

in regione duobus bracchiis Danubii amplexa et Szigetköz dicta iacet, et in possessione posterorum Hedrici erat.

Iaurinum — Iaurinum (Arrabona, Győr) a villa Hédervár ad regionem meridionalem-orientalem situm est. V. caput (55.), sent. 254.

et insulam ... dedit — Tantum in variantibus Chronicis Picti legitur.

fecit quoque ... est tumulatus — Comes Volphgerus circa annum 1158 inter comites proximos regis Geysae II. fuisse in diplomate quodam adnotatur (Reg. Arpad. I, num. 90), idem ut legatus regis cum archiepiscopo Salisburgensi Eberhardo pacem conciliavit. In diplomate anni 1157 enarrat se “in loco inhabitato et solitario, qui dicitur Quizun, monasterium” aedificavisse atque huic possessiones enumeratas et servos dono dedisse (Pannonh. I, pp. 603 sq.). Diploma quidem non est testatum et probabiliter circa annum 1225 scriptum est et quidem pro monasterio in Monte Sacro Pannoniae. (Novissime diploma testatum esse confirmat J. L. Csóka, Adalbert és Walfer pannonhalmi 1153., illetőleg 1157. évi oklevelének hitelessége [= De fide diplomatis Adalberti et Volphgeri anno 1153 annove 1157 pro monasterio in Monte Sacro Pannoniae scripti], LK 35 [1964] 57 sqq.) Tamen pars eius, in qua de aedificando monasterio et de persona conditoris agitur, fide digna videtur. Nam ex aliis diplomatibus notum est Belam III. monasterium filio Volphgeri nominato Aenz ademisse damno ei restituto et in castrum munitum transformavisse. Monasterium ergo vere exstructum est, et quoniam ad locum sepulturae muniendum conditum est, quo monachi pro mortuo orarent, etiam narratio Gestorum de sepultura Volphgeri probabilis videtur (Závodszy L., A Héder nemzetésg és a küszeni monostor [= Genus Héder et monasterium Kyscen], Turul 31 [1913] 97 sqq.; Pannonh. I, pp. 332 sqq.; Reg. Arpad. I, num. 87). At non recte in Gestis adnotatum est castrum a Volphgero exstructum esse. Diploma de condendo monasterio scriptum non memorat castrum. Hoc castrum ligneum a Bela III. aedificatum est.

Hedrici generatio derivatur — Genus originem ad duos fratres referens non de Volphgero, qui monasterium condidit, sed de Hedrico (Héder) se nominavit. Fieri potest, ut hic Hedricus idem fuerit atque ille, qui annis 1150–1157 iudex curiae regis Geysae II. et anno 1162 palatinus regis Stephani III. fuit. Summa munera, quibus fungebatur, nomen eius, non autem nomen Volphgeri nomen generis factum esse comprobare possunt (Závodszy l. cit. 106). Complures de genere Hedrici (Héder) saeculo XIII summis dignitatibus publicis fungebantur. Sedes possessionum eorum loca in Gestis nominata erant (historia generis accuratius conscripta: Karácsonyi II, pp. 144 sqq.). Indicem vocabulorum locorum de Héder nominatorum v. Kristó—Makk—Szegfű II, pp. 22 sq.

〈39.〉

Caput a magistro Acus conscriptum est.

Generatio ... sequitur — Index sequitur indicem capitinis Chronici Picti: 225
“Generatio Vecellini de Alamania venientis” (SRH I, 296).

Ascendit quoque ... Vazunburg — In Bavaria hodie duo loca nomine Wasserburg nominata inveniuntur. Alter in regione Lindau, alter in regione Bavaria Superiore (Oberbayern) est. Nomina amborum in fontibus medii aevi memorantur. Vocabulo loci in Lindau siti, quod anno 1230 ut Weizenburch notum est (Oesterley p. 739), et forma vocabuli loci Ueyzenburch in variantibus Gestorum B D nota (SRH I, 296) adducimur, ut vocabula locorum Vazunburg et huiusc Wasserburg identificemus. Wasserburg ad flumen Aenum in medio inter Monacum et Salisburgum iacet. Familia comitum autem, quae — ut diplomata saeculi XII testantur atque ut e statu priore possessionum coniectari potest — Wasserburg possidebat, Aribō nominata eadem est atque una stirps generis marchionis illius, qui exente saeculo IX marchionatui Ostmark praefuit (J. Egger, Das Aribōnenhaus, AÖG 83 [1896] 387 sqq., 492 sqq.; de Aribō v. E. Dümmler, Über die südöstlichen Marken des fränkischen Reiches unter den Karolingern [795—907], AÖG 10 [1853] 40, 49). Chronica Hungarica, quae Vecellinum unum e hominibus illustris familiae cuiusdam comitum Bavariorum fuisse tradunt et diplomata Teutonica, quae monumenta vitae familiae Aribō conservabant, inter se congruunt. Vocabulo loci Wasserburg neglecto Karácsonyi nil nisi nomen personae respiciens Vecellinum, qui in Gestis memoratur, atque comitem quendam Istriensem-Carniolensem nomine Vecilinum (Wezzelin) identificat atque credit eum iussu ducis Bavariae Henrici IV., futuri imperatoris Henrici II. festinavisse, ut Sancto Stephano auxilium ferret (Turul 24 [1906] 110). Haec opinio non plus, quam vanum quoddam inventum aestimari potest, quamvis G. Nagy eam longius evolvit hoc modo: filiam comitis Wezzelin, Azzicam comes Weimarensis, Poppo uxorem duxit, quorum filius, marchio Istriae, Ulricus (obiiit anno 1070) divitiis notus filiam regis Belae I., Sophiam in matrimonium duxit (cf. Wertner pp. 148 sqq.), atque ita prognati Vecellini in Gestis memorati cum familia regia Hungariae affinitatem iunxerunt (Nagy G., Szent István vérsége és a magyar kútforrások [= Consanguinitas Sancti Stephani et fontes Hungarici], Turul 26 [1908] 108). Seriem propositionum ad nihilum redigit haec contradictio: cur Wezzelin divitiis notus marchionatum Istriae pro possessionibus in Hungaria sitis transmutavisset (Kállay U., Kopán krónikája [= Chronicon Copani], Turul 33 [1915] 25). Ceterum ne documenta quidem biographica congruunt. Comes Goritiensis Wecellinus, qui anno 1001 in diplomate quodam nomine Werihent memoratur, anno 1027 Vogt ‘castellanus, locumtenens’ ducis Adalbero fuit et sine progenie virilis sexus mortuus est (Schmidinger p. 49).

qui cum ... ducem interfecit — Res in capite (55.) copiose describitur.

Iako — In familia Chronicus Picti similiter nomen generis Jákó (Iako) memoratur, tantum in aliquot codicibus (*S B D*) familiae Chronicorum Budensis nomen alterius generis Ják (Iak), quod a viris doctis antea rectum putabatur, servatum est (SRH I, 296; Gerics op. cit. TSz 9 [1966] 5, adnot. 22). Novissime e Vecellino non genus Ják, sed genus Rád ortum esse putatur (Csóka p. 546), Vecellinum autem proavum generis Ják tantum ex opinione magistri Acus factum esse creditur (Mályusz 1971, pp. 74 sq.).

Ex istis ... et origo — Sedes generis Ják pagus Ják est, qui in comitatu Castri Ferrei a Sabaria ad meridiem-occidentem situs est, ubi templum Gothicum-Romanensi structurae genere ante incursionem Tartarorum aedificatum etiam hodie exstat. Monasterium generis monachos ordinis Sancti Benedicti habuit, quod in honorem Sancti Georgii sacratum erat (Pannonh. XII/B, pp. 221 sq.). Fundator eius, comes Martinus annis 1220 viguit (Karácsonyi II, p. 253). Alterum monasterium generis in Porno iam prius quidem, sed hoc quoque tantum ineunte saeculo XIII aedificatum est et non ordini Sancti Benedicti, sed ordini Cisterciensium saeculo XI constituto donatum est. Primus vir nomine Ják, quem monumenta memorant, prima parte saeculi XIII vitam agebat (Karácsonyi II, p. 246). Hóman (pp. 68, 86, 105) scriptorem Gestorum veterum de genere Ják fuisse putat secundum opinionem Kállay (op. cit. 21 sqq.). Indicem vocabulorum locorum v. Kristó-Makk-Szegfű II, p. 24.

(40.)

Caput e Gestis veteribus saeculi XI oritur.

226 *Generatio ... Paznan* — Index idem est atque index capituli Chronicorum Picti: “generatio Hunt et Paznan” (SRH I, 297).

Hunt et Paznan — Karácsonyi duos milites, commemorans nomina eorum sic, non autem in forma Huntpazman in diplomatis quoque inventa esse, et prognatos ex eis non Germanica nomina habuisse, “magis originis Italicae fuisse” arbitratur (II, p. 184), alio loco quidem ex inopinato eos “veros Slavos” dicit (Szent István anyja. I. Endre atyja. Új eredmények [= Mater Sancti Stephani. Pater Andreeae I. Novi eventus], Turul 24 [1906] 111). Ambae interpretationes argumentis omnibus carent. Milites etiam in diplomate fundationali monasterii in Monte Sacro Pannoniae, quod anno 1002 editum est, memorantur, ubi aperte Teutoni dicuntur: “in puericia mea ... ingruente ... bellorum tempestate, qua inter Theutonicos et Ungaros seditio maxima excreverat, precipuecum cum civilis belli ruina urgerer, ... astantibus ducibus videlicet Poznano, Cuntio, Orzio ... votum vovi” (Pannonh. I, p. 589). Hoc diploma quidem non est testatum, nam exemplar interpolatum inter annos 1209—1212 de diplomate originali

imitatione factum est — ut autem J. L. Csóka (A pannonhalmi alapítólevél interpolálása [= *Interpolatio diplomatis fundationalis monasterii in Monte Sacro Pannoniae*], LK 32 [1961] 83 sq.) arbitratur, annis 1101—1102 —, ipsa nomina duorum militum quidem in parte interpolata inveniuntur, tamen ad demonstrandum Paznan et Hunt natione Teutonos fuisse aptum est. (De fide diplomatis anni 1002 accurate tractat concludendo controversiam longi temporis Szentpétery I., Szent István király oklevelei [= *Diplomata regis Sancti Stephani*], Szent István Ekv II, pp. 145, 168, 184.) Congruentia narrationem Gestorum confirmant. Duo milites, ut in Gestis Simonis de Kéza traditur, fratres et e Suevia orti sunt (SRH I, 188). Indicem vocabulorum locorum Hont et Paznan v. Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 80 sqq.

in flumine Garam — In capite (55.), sent. 253 recte: “ad amnem Goron” legitur. Fluvius Granus (Garam ~ Hron) ad Strigonium sinistra ripa in Danubium influit. Textus Gestorum intellegi non potest: “in flumine Garam” aliquem gladio accinctum ordini militari reddere impossibile erat. Probabiliter lapsus in scribendo incidit: civitas (Strigonium) ad ostium fluvii Grani sita locus sollemnitatis esse potuit, opinio falsa autem e nomine Teutonico civitatis: Gran facta est, quod nomen idem est ac forma medii aevi nominis fluvii, exorta e nomine occidentali Germanico (Quado) Granua atque hodierni nominis fluvii Grani (Melich pp. 336 sq., 375 sq.). Lapsus in scribendo huiusmodi solum transcriptis textibus oriri potest. Hic textus in Gestis veteribus scriptus esse potuit, quod compositio totius capitinis monstrat, praeterea id, quod hic descripta in capite (55.) iterum leguntur, sed iam a magistro Acus enarrata. In studiis diversae sententiae de provenientia capitinis inveniuntur. Ut Csóka (p. 646) arbitratur, caput post legendam Hartvici, igitur saeculo XII scripta est, Horváth (pp. 290 sqq.) et Gerics (pp. 17 sq.) summam partem capitinis e Gestis veteribus ortam esse dicunt. Tamen veri similius est caput totum inde oriri (Mályusz 1971, p. 75). Nomen fluvii in ambabus editionibus Th. in forma Garā invenitur, quae et Garan et Garam transcribi potest. In V_s: Garan, in B D: Garany, in ceteris codicibus: Goron est scriptum (SRH I, 297).

hereditatibus — Primum decretum Sancti Stephani (I, 6) morem hereditarium generum nomadum abiciens potestatem privatorum praediorum tutam reddidit, nam possessori permisit, ut bona sua coniugi, liberis et “parentibus” (quod vocabulum etiam ‘propinquum’ significat), aut ecclesiae libere legaret. Praedium, quod hoc modo secernitur, in statu conformandi est, neque vocabulum proprium habet, quod significationem demonstraret. At in decreto regis Colomani vocabulum “hereditas” vulgo notum apparet, quod demonstrat notionem, quam significat, saeculo praeterito certe iam inveteratam esse. Id apud regem Colomanum ‘praedium’ significat, atque “hereditates” a Sancto Stephano acceptae vel a regibus aliis donatae aut emptione comparatae inter se differunt (I, 20, 21).

227

consilio et auxilio — Vocabulum officia vasalli erga dominum feudi

persolvenda continet. Non fortuito adnotatum apparet, atque ideo determinat tempus, quo scriptum est. In diplomatis regum Hungariae praedicatum est officium fidele, quod munus vasalli esset, et fidelitas quidem in diplomatis generaliter tractatum (Váczy P., A szimbolikus államszemlélet kora Magyarországon [= Tempus contemplationis symbolicae de regno in Hungaria], Minerva 11 [1932] 115 sqq., 141 sqq.). Quia officium in consilium et in auxilium dividere in Hungaria haud usitatum erat, duae notiones in usu diplomatum saeculi XIII haud sane disiunguntur. Vocabulo magis scriptor, qui saeculo XI peregre eruditus est, uti potuit, quam Hungaricus saeculi XIII, sicut magister Acus fuit.

nobiles Hungari — Aetate magistri Acus, medio saeculo XIII vocabula “serviens regalis” et “nobilis” identificata sunt, atque inde vocabulum “nobilis” ordinem certum societatis significavit. Usque ad id tempus vocabulum summo loco natos ac dignitate maiores significavit, qui armis militum pugnabant, qui circa regem erant, qui ab Anonymo etiam “nobilissimi” nominati sunt (P. magister quondam Bele regis Hungarie notarius: *Gesta Hungarorum*, ed. L. Juhász, Bp. 1932. index), sive sicut reges in diplomatis saeculi XII (Váczy P., A királyi serviensek és a patrimoniális királyság [= Servientes regis et regnum patrimoniale], Száz. 61—62 [1927—1928] 398).

iudicatus erat nobilior — Vocabulum “nobilis” ut attributum hac significatiōne usum dicta in priore adnotatione affirmat.

In illis ... citius adhesisset — Enuntiationem ultimam capit is, in qua discrimen classum inter paganos et Christianos existens demonstratur, Horváth (pp. 314 sq.) saeculo XIII, cum iam etiam nobiles partem regni administrandi capere appetiverunt, ortam esse dicit. Tamen sententiam e Gestis veteribus ortam esse veri similius videtur, quorum scriptor etiam familias procerum deminui vel augescere eo explicat, quod ipsae ad Christianam religionem transierunt (Mályusz 1966, 720).

⟨41.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est.

228 *Generatio Poth* — Index idem est atque index capit is Chronici Picti: “*Generatio Poth*” (SRH I, 297).

Poth — In forma Pat usque ad hodiernum diem in vocabulis pagorum comitatuum Comaromiensis et Simigiensis conservatum nomen est (Csánki III, p. 510, II, 635; Karácsonyi II, p. 98); in comitatu Moson progressu posteriore linguae: Pátfalu, Potesdorf ~ Podersdorf (Csánki III, p. 685).

Altenburg — Nomen, atque quod in *V₃* invenitur, idem est. Variantia reliqua sunt: Altinburg, Altimburg, Altumburg, Altenburch (SRH I, 297).

Poth vero ... venit in Pannioniam — Th. textum Chronici Picti (*V₃*), quo

fonte usus est, non recte intellexit. Error eius eo explicari potest, quod iam textus Chronici Picti quoque corruptus fuit. Textum magistri Acus scriptor Chronici Budensis in forma maxime vera conservans sic nobis tradidit: genus Pot, ex quo Conradus de Altenburg ortus est, tempore regis Salomonis in Pannoniam venit (SRH I, 297). Conradus de Altenburg aequalis magistri Acus erat, nam hic eum ut vulgo notum memorat. Ille quidem notus esse potuit, nam sicut e diplomaticis constitui potest, anno 1258 comes comitatus Borsodiensis, anno 1260 magister pincernarum, conscientis contentionum de regno est, et ideo de possessionibus demovetur, tamen anno 1263 eas recuperat, anno 1272 ad flumen Leitam castrum munitum aedificat, mox Bohemis, mox Austriacis favet, anno 1290 in possessiones in comitatu Baraniensi sitas removere se cogitur, ubi anno 1295 ordini Sancti Pauli monasterium condit; documentum ultimum, in quo Conradus de Altenburg memoratur, anno 1299 datum superest (Karácsonyi II, pp. 99 sq.). Th. eum adeo ignoravit, ut ipsum immigrantem atque proavum generis Pot, patremve Pot fuisse — quod credendum erat — arbitraretur. Wertner textum Th. falso interpretatur. Secundum Th. — ut Wertner prodit — Conradus de Altenburg inter annos 1028 et 1030 legatus in Hungaria esse potuit, filius eius, Ernestus autem legatus regum Salomonis et Geysae I. ad imperatorem Henricum IV. missus est, et e nomine Both postea nomen Konth formatum est. (Wertner M., Nemzetségi kutatások [= Pervestigatio generum], Turul 17 [1899] 120; Idem, Névmagyarázatok I, Férfi- és helységnévek [= Interpretationes nominum I, Nomina virorum et vocabula locorum], Nyelvészeti Füzetek [= Fasciculi Glottologiae], num. 73. Bp. 1916, p. 38.) Opinio falsa Th. nomine "Altenburg" augeri potuit, quod nomine Germanice translatum nominis loci "Óvár" in comitatu Moson esse veri similiter non sensit (Csánki III, p. 676). Genus Győr, ex quo Conradus de Altenburg et palatinus Pat (Pot) oriuntur (hic Pat in documentis annorum 1199—1221, filius autem nomine eodem in documentis annorum 1221—1233 memorantur), Karácsonyi origine Hungaricum esse arbitratur (II, p. 95). Sententia eius, ex qua primi noti prognati generis nominibus Hungaricis, non autem Germanicis praenominibus nominantur, ex argumentis false intellectis proficiscitur, argumentum eius autem, quod prognati generis saeculo XIII nominibus Geur, Dama, Posa, Zehanus cogniti erant, haud multum ad originem affert. Proavus generis, palatinus Otho, qui comes Simigiensis anno 1061 diploma de monasterio Sancti Iacobi in Zelyz (Zselicszentjakab) condendo edidit (Kumorovitz L. B., A zselicszentjakabi alapítólevél 1061-ből [= Diploma foundationale monasterii Sancti Iacobi in Zelyz, editum anno 1061], Tanulm. 16 [Bp. 1964] pp. 53 sq.), atque hoc monasterium ordinis Sancti Benedicti anno 1066 consecrari iussit (Karácsonyi II, p. 96; Pauler I, p. 137; Gerics p. 70), ex nomine (Otho) Germanus fuisse putari potest, nomen autem viri Pot, Potho, qui e prognatis est memoratus, idem est, ac nomen Germanicum Botho (Wertner op. cit.). E dignitate palatini Othonis et ex eo, quod exeunte saeculo XII et

ineunte saeculo XIII ex tribus fratribus eiusdem generis duo palatini, tertius autem archiepiscopus Colocensis fuerunt, genus iam ante incursionem Tartarorum honores amplos gessisse demonstratur. Genus opulentissimum simulque veterrum fuisse affirmat praeter monasterium ordinis Sancti Benedicti in honorem Sancti Iacobi in Zelyz, in comitatu Simigiensi conditum etiam alterum monasterium ordinis Sancti Benedicti item in honorem Sancti Iacobi sacrum in Lébény, prope Óvár in comitatu Moson (Pannoh. XII/B, pp. 238 sq., 207 sqq.).

Hic Hernistus ... Salomonem reges — Conradus II., imperator Romanus anno 1039 mortuus est, Andreas I. annis 1046—1060, Salomon autem annis 1063—1074 regnaverunt, qui ergo res diplomaticas cum hoc Conrado pertractare nullo modo potuerunt. At haud fortuito evenit, ut nomen proavi generis a scriptore Gestorum opinati idem esset ac nomen Ernesti, filii Conradi II. Re vera fama obscurata incertaque facta tempus, id est medium saeculum XI, quo proavus generis, palatinus Otho vitam agebat, indicare potest (Mályusz 1971 p. 76).

Poth enim ... nuncius sonat — Periti etymologiae nomen Pat ~ Poth ~ Potho ~ Botho e vocabulo Germanico communi Bote derivatum esse demonstrare student. Quamquam coniectura haud plus valet, quam interpretatio tantum in speciem concinnorum verborum, tamen ut indicium famae originis Germanicae haud omittenda esse videtur. Miles Germanicus nomine Botho, cui fama familiae se adiunctura fuit, idem est atque comes Boto Fortis, filius comitis palatii Bavariae anno 1104 defunctus, cuius res fortiter una cum marchione Thuringiae et Misnae, Guilelmo de Wimaria (Weimar) anno 1060 gestae digressui cuidam notissimo cantus Nibelungorum, id est excubis Hagen et Volker, fundamento historico erant (Riezler I, p. 477; Pauler I, p. 108). Eum Eckehardus Uraugiensis in chronicō ita memoravit: “Botonem sicuti corpore proceriorem et elegantiorem, ita rebus bellicis prestantiorem atque famosiorem, totius pene Germaniae et Italiae testatur populus. Pannonia vero talem illum ac tantum se fatetur aliquando sensisse, ut is vere de gigantibus antiquis unus apud illos creditur fuisse” (Gombos II, p. 872). Marczali acute indicat personam fabularem Hungarici Botond e similitudine nominum cum persona Bavarici Botonis confundi coepisse et periculum fuisse, ne notas memoriae Botond fama Germanica adimeret. Nam dubium non est, quin in Pannonia fabula Botond apud Hungaros nota propter relationes Byzantinas vetustior, quam Germanica fabula Botonis fuerit (Marczali H., A Botond-monda történeti kapcsolatai [= Historiae congruentiae fabulae Botond], Akadémiai Értesítő [= Acta Academica] 27 [1916] 99). Confusioni duarum fabularum, ut credi potest, impedimento erat, quod fabula Botond — apud Hungaros — iam pervulgata erat. Militem Bothonem ac palatinum Othonem, conditorem monasterii Sancti Iacobi in Zelyz (Zselicszentjakab) Hóman eosdem esse putat, nominaque eorum discrepantia mendo scriptoris explicat. Praeterea militem Bothonem identificat cum comite Pothone de genere

illusterrissimo marchionis Aribonis, marchionis de Ostmark orto. Hic Potho una cum fratre, cui nomen erat Aibo, assectator seditionis ducis Bavariae Conradi anno 1054 in Hungariam ad regem Andream I. profugit. Secundum Hóman Potho, summus assectator Salomonis in Bavariam reversus est, sed Aibo in Hungaria mansit, ubi nomen Hungaricum Győr ei impositum est, nam Latinum vocabulum civitatis Győr (Arrabona) cum nomine “Aibo” concinnum erat (Geschichtliches im Nibelungenlied, 39 sq.). Difficultates identificationis indicat Kumorovitz op. cit. p. 50.

⟨42.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est.

Merse ... generatio — Th. nomen ut nomen personarum quarundam viventium non noverat, nam aliter fieri non potuit, quin Merse pro Berse scriberet. De genere, cuius nomen Becse-Gergely (Bechegregor, Beche et Gregorii) est, familiae principales Transylvaniae Bethlen et Apafi ortae sunt (Karácsonyi I, pp. 214 sqq.). Indicem vocabulorum locorum Becse et Gergely v. Kristó—Makk—Szegfű II, pp. 10 sq.

Merse ... Cornes — Primo membra generis nomina Hungarica habent, ita: Beche, Both, Onch (Ant), Apa, Gecse, Leel, Gegős, quod genealogiae externae contradicit. Nomen origine Francogallicum solum: Villiam invenitur, quod non nisi exeunte saeculo XIII apparet, atque ille, cui hoc erat nomen, iam ex opinione affinitatis Francogallicae sic nominatus esse videtur. Nomen “Guillermus dictus Comes” accuratissime in *D* servatum est: in forma “Cornes” (in *S* et *B* Corues). Pauler (II, p. 603) agnovit Guilemum Cornes eundem esse atque Guillaume le Cornu, qui una cum Robert de Baux ut versatus in rebus nauticis Carolum Andegavensem Neapolim occupaturum Massilia in paeninsulam feliciter traiecit. Carolus die 10 aut 12 mensis Maii anno 1265 prefectus est et die 23 Romanam pervenit. Secundum scriptorem Chroniques de St. Denis “le conte d’Anjou assembla granz genz et grant chevalerie, et les envoia droit à Romme parmi Lombardie. Et il s’en ala à Marseille, et manda Guillaume le Cornu et Robert de Baux, les II plus sages hommes de mer que l’on penst trover, et savoient tous les aguiez et les passages de mer. Sie leur dist le conte Karles tout son pensé, et qu’il vouloit aler à Romme célélement; et il respondirent que il le conduiroient sauvement à l’aide de Dieu. Tantost aprestèrent une galie de quanque mestier estoit, et se mistrent en mer le plus célélement qu’ils porent, et passèrent les aguiez de leur anemis; quar Mainfroi feisoit guétier le conte Karles et par mer et par terre, pour ce qu’il savoit bien qu’il devoit venir à Romme” (Rerum Gallicarum et Francicarum scriptores, Recueil des historiens des Gaules et de la France, XXI, Paris 1885, p. 121). De re ipsa summatim: A. Saint-Priest, Histoire de la conquête de Naples

par Charles d'Anjou, Paris [1847], II, p. 138. Guillaume le Cornu una cum Carolo Neapoli mansisse, unum ex familiaribus regis factum esse, atque ut militem aulae regiae praedia beneficiaria in Italia a patrono accepisse et annis 1266—1284 continuo ordine variis praefecturis rerum nauticarum functum esse constat. Haec ex opere excellenti P. Durrieu (*Les archives Angevines de Naples, Étude sur les registres du roi Charles I^r [1265—1285]*, II, Paris 1887, *Bibliothèque des Écoles Françaises d'Athènes et de Rome*, fasc. 51) nota sunt, sed volumina registri Neapolitani, ad quae index factus est, in bello secundo universarum gentium perempta sunt, atque ita constitui non potest, ex quibus argumentis nomen Cornutus (*Guillelmus*) de Marseille Durrieu compertus sit (p. 309. De vocabulis ibidem v. pp. 268, 231, 242 et tom. I, 1886, fasc. 46 p. 119). Et sollertia eius et quantum ei rex confisus sit, mandatum anno 1274 acceptum demonstrat: tribus triremibus et duabus galeis regionem maris inter Syracusas et Melitam inspicere et prohibere debuit, ne Genuenses eo navigarent (*G. Del Giudice, Diplomi inediti di re Carlo I. d'Angio riguardanti cose marittime, Napoli 1871*, p. 17). Si Massilia locum originis significet, miles noster ac "magister Guillelmus (*Guillermus*) le Cornu", qui secundum *Necrologium Uticensis monasterii* in monasterio S. Evroult Normanno (département Orne, canton Ferté-Frênel) una cum matre et avunculo sepultus est, haud facile iidem esse potuerint (*Recueil, op. cit. XXIII*, pp. 489 sq.). Sortem quidem ambarum familiarum ignoramus, atque ita non possumus constituere, quo modo ipsi cum Hungaria coniuncti fuerint. Maxime veri simile videtur nomen Guillaume le Cornu nuptiis inter liberos Stephani V. et Caroli I. Andegavensis iunctis scriptori Gestorum notum factum esse. Vere primus legatorum Isabellam Andegavensem in Hungariam comitantium non ipse Guillaume le Cornu erat, sed mareschallus Drogo di Belmonte, tamen putari potest eo duce naves comitivam sponsae vehentes Bario usque ad Iaderam mare traiecerisse (*Del Giudice op. cit. pp. 9 sqq.*). Legenda, ex qua genus Becse-Gergely originis Francogallicae esset, probabiliter inde orta est, quod homo quidam e genere feminam nobilem reginae Hungaricae aulicam originis Francogallicae uxorem duxerat — ambae uxores Belae III.: Agnes Châtillon et Margarita, filia regis Francogalliae, Ludovici VII, atque uxor secunda Andreae II.: Iolantha, proneptis regis Ludovici VI. originis Francogallicae erant (*Wertner pp. 361, 423*) —, posteri autem cognationem maternam etiam agnationi paternae proferebant (*Karácsonyi I*, p. 216).

Kyquini ... Renoldi — Nomen generis: Kökényes-Radnót (*Kukenus-Renold*) est. Radnót varians *Hungaricum nominis Reinoldi* est. Possessiones generis in regione austro-orientali comitatus Nógrád sitae erant, ubi villa Kökényes nomen unius ex proavis generis servat. (De vocabulis locorum Kökényes et Radnót v. Kristó—Makk—Szegfű II, p. 28.) Hic etiam duo monasteria generis in Kökényes et in Garáb ordini Praemonstratensium aedificata sunt. Monasterium Garabense in honorem Omnis Sanctorum sacrum prima sedes Hungarica ordinis Praemonstratensium fuit. Monachos,

qui e monasterio Lotharingensi Vallis Regiae (h. La Val-Roi) advenerant, ante annum 1179 praepositus Albensis, Micodinus collocavit (Karácsonyi I., Magyarország egyháztörténete főbb vonásai [= Historia generalis ecclesiae Hungaricae], Nagyvárad 1915, p. 71; Mályusz E., A Toldi-monda történeti alapja [= Fundamentum historicum fabulae Toldi], HK 25 [1924] 23 sq.). In secunda parte saeculi XII monachis ordinis Sancti Benedicti favorem apud populum perdentibus in Hungaria ordo Cisterciensium, mox ordo Praemonstratensium incrementum capiunt, ambo ordines ex ipsa Francogallia. Eo, quod genus Kökényes-Radnót in Hungaria primum monasterium ordinis Praemonstratensium condidit, coniunctio generis Francogallica demonstratur.

Kyquini ... Pannoniam adeuntium — Filius Ladislai Zaar — secundum scriptorem Gestorum (v. caput (60.), sent. 266) — rex Bela I. (1060—1063), regina Margarita autem, soror regis Francogalliae, Philippi Augusti (1180—1223) uxor Belae III. erat. Genus e Hispania ortum esse non probari potest, coniunctio autem Francogallica eius veri similis et artiore vinculo coniuncta esse videtur, quam Karácsonyi arbitratur. Secundum sententiam eius genus Kökényes-Radnót cum Francogallia tantum eam necessitudinem habuit, ut homo quidam generis, qui circa annum 1180 vixit, cum monachis Francogallicis monasterii Garabensis aliquo modo coniunctus esset, “quibus suadentibus in Francogalliam legatus proficiisci potuit Margaritam, uxorem Belae III. in Hungariam comitaturus famaque inde originis externae oriri potuit” (II, p. 337).

Hic enim ... Polonia habuit — Uxor Belae I. ducissa Polonica Richeza fuit (Wertner pp. 142 sqq.), sed secundum Dowiat Adelheida (v. caput (65.), sent. 287).

(43.)

Caput a magistro Acus conscriptum est.

Guthkeled — Nomen Gut origine Germanicum est, nomen Keled autem varians Hungaricum nominis Latini “Cletus”. Karácsonyi proavos, a quibus genus nomen accepit, comites Gut et Keled fuisse arbitratur, quorum primus anno 1093, alter autem anno 1111 in clausula diplomatum regiorum memoratur (Reg. Arpad. I, num. 27 et 43. Diploma quidem primum falsum est, tamen e vero diplomate circa annum 1091 edito conscriptum est). Karácsonyi duos comites fratres fuisse dicit (II, p. 21), sed haec sententia haud probari potest. Possessio vetus generis Gutkeled villa Gút in comitatu Albensi esse potuit, quae hodie vocabulo loci Gúttamási nominatur, eam post incursionem Tartarorum genus non possidebat, sed etiam saeculo XIV genus Gutkeled repetere voluit (anno 1254 “terram ... Guth ..., que prius terra generacionis Gutkelad dicitur extitisse”. Hazai Okmt. VII, p. 44. Cf. Csánki II, p. 330). Sed toto medio aevo familia Országh de Gwth (Guti

Országh), quae originem de hoc genere dicit, villam Gút in comitatu Zabolcensi possidebat (Csánki I, p. 515; Karácsonyi II, p. 71). Vocabula locorum Gut et Keled v. Kristó—Makk—Szegfű II, p. 20. Familiae, quae e hoc genere ortae sunt et quarum in numero etiam familia Báthori saeculo XVI magna auctoritate pollens refertur, latifundia magna et in regione Transtibiscina et in regione Transdanubiana habebant (Karácsonyi II, pp. 30 sqq.).

De generatione ... ei adducti — Rex Petrus anno 1041 ad imperatorem Henricum III. (1039—1056) profugit, quo adiuvante anno 1044 regnum recuperavit (cf. caput (64.)). Pauler (I, p. 94) narrationem magistri Acus probat, ex qua proavi generis Gutkeled—secundum Gesta Simonis de Kéza tres fratres erant (SRH I, 189) — vere comitantes regem Petrum, in Hungariam pervenerunt, sed Karácsonyi genus origine Hungarianum esse putat. Genus certam famam originis non habuit, sicut ex ipso vocabulo magistri Acus (“plura enarrantur”) intellegi potest, tamen origine Germanicum fuisse veri simile videtur.

castro Sthoph ... Sweuia — Castrum Staufen in regione Friburgensi (Freiburg) in Baden est, tamen in Gestis castrum Hohenstaufen memoratur, quod in Wurtenberga (Württemberg) situm erat, in pristino ducatu in Alemannia, et sedes vetus domus principalis Hohenstaufen (1138—1254) erat (cf. Oesterley p. 651).

imperator Federicus — Et imperator Fridericus I. (Barbarossa) (1152—1190) et Fridericus II. (1215—1250) a magistro Acus putari potuerunt, sed quoniam in Gestis de Friderico I. nulla fit mentio, at in capite 172 (SRH I, 403, apud Th. (97.)) Fridericus II. memoratur, hic probabiliter existimatur (cf. Pauler II, p. 603).

ipsa generatio ... Wyd — Comes Vid a Th. inferius in capitibus (77—79.) accuratius commemoratur. Comitem Vid de genere Gutkeled ortum esse affirmat, quod villam Buziás in comitatu Sirmensi (Szerém, hodie Srem), ubi secundum Chronicon Posoniense in villa Buziáslak curia et mansio nobilis comitis Vid aedificata est (SRH I, 299), etiam exeunte saeculo XIII genus Gutkeled in potestate habuit (Karácsonyi II, p. 35; Csánki II, p. 242; Anjou VI, p. 264, quod multo certius argumentum est, quam ex adnotatione Karácsonyi — II, p. 20 — existimari potest). Pauler (I, p. 434) villam Buziáslak cum Buzias in comitatu Valko, quae villa alio nomine Fulbertfalva nominatur, identificat et a villa Buziás in comitatu Sirmensi discernit, Domanovszky autem aliam quoque villam et eam in comitatu Valko, quae anno 1337 vocabulo “villa Andree filii Vid” memoratur, profert (SRH I, 371). Tamen haec villa iam omittenda esse videtur, nam vocabulo Andrásfalva nominatur atque eam genus Miskolc possidebat (Csánki II, p. 290; Karácsonyi II, p. 370). Argumentum gravius Domanovszky videtur nomen Vid in genere Gutkeled persaepe usitatum esse, villam Vid autem in comitatu Zabolcensi ineunte saeculo XIV item in potestate generis fuisse (Karácsonyi II, p. 53; Csánki I, p. 528).

⟨44.⟩

Caput a magistro Acus compositum est.

Generatio ... Ratoldi — Th. duo capita Chronicorum Picti in unum perscripsit, 231 quorum solum primum indicem habuit, quem ipse sine ulla mutatione transcripsit (“*Generatio Oliuerii et Ratoldi*” SRH I, 299). Prima pars capitis in Chronicorum Budensi copiosior est, quam in Chronicorum Picto, secunda pars autem Budensi omnino deest (SRH I, 299). Non est dubium, quin Th. Chronicorum Pictum transcriperit, simul textum copiosius conscriptum Chronicorum Budensis adhibere non studuerit.

regis Colomani — Uxor regis Colomani (1095–1116) filia Guiscardi Rogerii erat (v. caput ⟨90.⟩, sent. 431).

Caserta — Provincia ad mare Tyrrhenum a Neapoli ad septentriones versus sita est, quae eadem est ac regio Terra di Lavoro nominata. Civitas Caserta, quam anno 1057 Normanni occupaverunt, in Gestis falso in Apulia sita esse dicitur. Apulia ad mare Hadriaticum est.

Post hec ... ortum habent — Genus, cuius fama originis a magistro Acus adscripta est, de Ratoldo Rátót nominatum est. Villa nomen Rátót servans in comitatu Vesprimensi, prope civitatem Vesprimum est. (Indicem vocabulorum locorum Rátót v. Kristó—Makk—Szegfű II, p. 37.) Ratoldus hoc loco ideo possessionem accepisse videtur, quae possessio sive villa in ipsa possessione conformata nomen de Ratoldo traxit, quia civitas Vesprimum sedes aulae reginarum erat, cuius ita in vicinia habitans miles, qui reginam in Hungariam comitatus est, in posterum tempus quoque in servitio dominae remanere potuit. Item in villa Rátót genus in honorem Beatae Mariae Virginis monasterium ordinis Praemonstratensium aedificavit. Homines generis nomine “Olivius et Ratoldus” nominati saeculi XIII–XIV quoque inveniuntur (Wertner M., Családtörténeti adalékok [= Additamenta historiae familiarum], Turul 15 [1897] 129 sq.). Tamen nomina hominum saeculi XIII a scriptore Gestorum in finem saeculi XI simpliciter rejecta esse dici non potest. Huic sententiae repugnat id, quod aequalis magistri Acus, homo notissimus generis saeculo XIII, qui iterum atque iterum palatinus fuit atque etiam aliis regni dignitatibus functus est, Rolandus nominatus est. Si translatio simplex facta esset, scriptor proavum generis certe Rolandum nominavisset. Famam, quae genus origine Normannum (Francogallicum) esse tradit, affirmit, quod de genere nonnulli homines saeculo XIII nomine “Balduinus” nominabantur (Karácsonyi III/1, pp. 3 sq.; Wertner M., Megjegyzések a “Magyar nemzetiségek a XIV. század közepéig” című munkára [= Adnotationes ad opus “Hungarica genera usque ad medium saeculum XIV”], Turul 21 [1903] 127; Holub I., Nemzetstörténeti adalékok [= Additamenta historiae generum], Turul 40 [1926] 30). Nomen Balduin praecipue in Flandria, in Francogallia occidentali divulgatum fuit. Nomen Caserta vix e fama tempore regis

Colomani orta in Gesta transcripta est. Magis veri simile videtur nomen Caserta magistro Acus e pacto gentilicio inter Stephanum V. et Andegavenses anno 1269 facto notum esse. Dum in Chronico Picto et ex eo apud Th. atque item in Gestis Simonis de Kéza migratio e civitate Caserta memoratur (SRH I, 190), in Chronico Budensi Ratoldus et Oliverius e familia ipsa comitum Casertae orti esse scribuntur (SRH I, 299, "De cognatione comitis Castrie ... oriundi").

Illi vero ... Frantia oriuntur — Diploma, in quo mentio generis Zsámbok fit, haud notum est, sed vocabulum "de Sambuck" rudis denominatio familiae de praedio hominis nobilis esse videtur (Györfy Gy., Egy krónikahely magyarázatához [= Ad interpretationem loci in chronico memorati], TSz 9 [1966] 26). Homines de Sambuck se magis filios Ajnardi nominabant (Csánki D., Ajnárd-fiak és Matucsinaiai [= Filii Ajnardi et Matuchinenses], Száz. 27 [1893] 217 sq.). Hic Ajnardus (Eynardus) anno 1257 magister agazonum reginae fuit. Iidem etiam filii Smaragdi (Smaragdfiak) nominabantur de comite Smaragdo, qui annis 1205/6 iudex curiae regiae et comes de Zonuk (Szolnok), anno 1206 vaivoda Transylvaniae, annis 1208/9 comes Bihoriensis, annis 1214—1222 comes Posoniensis et exeunte anno 1222 comes Bachiensis (Bács) fuit (Wertner M., Smaragd vajda és utódai [= Vaivoda Smaragdus et prognati eius], Turul 15 [1897] 190 sq.; Idem, Az Árpádkori ország és udvarbírák genealógiája [= Genealogia iudicum curiae regiae aetatis Arpadianae], Turul 19 [1901] 15). Monasterium eorum in villa Zsámbék in comitatu Pilis aedificatum est Praemonstratensibus (Györfy Gy., Adatok a Pilis megyei monostorok középkori történetéhez [= Documenta ad historiam mediaevalem monasteriorum comitatus Pilis], Művészettörténeti Értesítő [= Acta Historiae Artium] 4 [1955—1956] 280 sq.). E membris familiae praesertim notus esse potuit magistro Acus frater Eynardi, Smaragdus, praepositus Albensis, mox archiepiscopus Colocensis, qui annis 1255—1258 vicecancellarius regis Belae IV., annis autem 1258—1265 cancellarius regis iunioris Stephani (V.) fuit (Fejérpataky p. 105 sq., 116; Reg. Arpad. I, num. 1023), intellegi igitur potest memoria originis eorum a magistro Acus servata esse. Narratio Gestorum affirmatur eo, quod membra familiae (fratres Eynardus, Smaragdus, Gileetus) medio saeculo XIII his nominibus, quae cum nominibus Hungaricis longe discrepant, nominantur. Familiam e Champagne ortam esse probabile est, tamen proavum sedem in Hungariam transferentem e familia comitum de Champagne ortam esse nimium iam in maius auctum videtur. Veri similius est proavum militem e Champagne ortum fuisse (Wertner op. cit. Turul 15 [1897] 189).

⟨45.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est.

Generatio ... Almania — Index idem est atque index capitinis Chronicorum Picti: “Generatio Hermani de Alamania” (SRH I, 300).

Hermannii etiam generatio — Origo generis Hermanni (Hermán) sine dubio Germanica est. Non solum nomen proavi Germanicum est, sed etiam saeculo XIII homines generis inveniuntur, qui Hertnek (Herteneg, Hertnik), Ditherc, Herman nominati sunt. Sedes prima, quae nomen generis servat, villa Hermán, in comitatu Castri Ferrei hodie iam pars civitatis Sabariae facta est. (Indicem vocabulorum locorum Hermány v. Kristó—Makk—Szegfű II, p. 23.) Karácsonyi (II, pp. 164 sqq.) sine dubio recte indicat Volphgerum immigrantem medio saeculo XII villam Kyscen (Küsszin) finibus Austriae proprius adiacentem accepisse (cf. caput (38.)), ineunte saeculo XI adhuc Hermano terram interiorem obvenisse. Fines regni ad occasum gradatim stabiles factos esse eo demonstrari potest, quod terra ad donandum et domicilium collocandum apta magis magisve promota est.

regina Keisla — Regina Gisela, uxor Sancti Stephani, filia ducis Bavariae Henrici II. (955—976 et 985—995), soror imperatoris Henrici II. (1002—1024) est.

Nuremburg — Sic tantum in *V₄* est. Aliae formae variantes in *V₁*: Nurumburg, in *R* et *V₃*: Nurenburg, sed in *S*: Nurumbert, in *B* et *D*: Nurunberg sunt (SRH I, 300). Civitas Norimberga (hodie Nürnberg) in Bavaria est. Bavarica origo regiae famae generis affirmat.

⟨46.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est.

Generatio Buzad — Index idem est atque index capitinis variantium *V₃* et *V₄* Chronicorum Picti: “Generatio Buzad” (SRH I, 300).

Buzad — Nomen Buzad Hungarica forma nominis Germanici Bussold (Posselt) est (Paufer II, p. 88), et in reliquis tribus generationibus prognatorum Buzad exeunte saeculo XII viventis iteratur. Magister igitur Acus quoque aequalem habuit, cui nomen erat Buzad, ipse autem sine dubio banum Buzad in animo habet, quem inferius separatim quoque memorat. (Indicem vocabulorum locorum Buzad v. Kristó—Makk—Szegfű II, p. 22.)

Huius enim ... regis memorati — Filius Belae II. (1131—1141), Stephanus IV. ad breve tempus et quidem ut rex adversarius regnabat (1163—1165). De re hic memorata v. accuratius adnotationem ultimam capitisi.

Ex comitibus ... Orlamundi fuit — Civitas Orlamunda (h. Orlamünde) in

ducatu vetere Sachso-Altenburgensi ad fluvium Salam (h. Saale) est. Homo familiae comitum de Wimaria nomine Otho (obiit anno 1067), idemque marchio Misnae (Meissen) primus fuit, qui se comitem Orlamundae nominavit. Familia una ex nobilibus honestisque familiis fuit. Magister Acus nomen probabiliter ideo notum habuit, quia familia saeculo XI cum familia regia Hungarica affinitatem iunxit, nam filia regis Belae I., nomine Sophia fratri memorati marchionis Othonis, Guilelmo desponsa est, cuius post mortem (a. 1062) fratri patruei eorum, marchioni Ulrico nupsit, cum autem maritus mortuus est (anno 1070), uxor Magni, ducis Saxonum facta est (Wertner M., *Glossák az Árpádok genealógiájához* [= *Glossae ad genealogiam stirpis Arpadianae*], Turul 5 [1887] 14 sq., stemmate gentili stirpis addito; Paurer I, pp. 107 sq., 110 sq., 431). In Gestis Simonis de Kéza textus magistri Acus mutatus est et narratio copiosa huius sic contracta est: "Buzad autem generatio de Mesn originem trahit, nobiles de districtu Wirzburg" (Wurburg, Vurburg) (SRH I, 190). Karácsonyi narrationem magistri Acus "incredibilem" existimans textum Gestorum Simonis de Kéza accipit, quem ad suum arbitrium ita interpretatur: Wurburg idem est ac Marburg sive Murburg, et Marburg et Murburg Stiriam indicant, ubi a Graezio ad meridiem-orientem vere villa Messendorf sita est (II, p. 116). Domanovszky (SRH I, 190) interpretationem contortam Karácsonyi manifesto improbat, tamen duas narrationes saeculi XIII valde alteram alteri discrepare videt. Ipse Simonem de Kéza ex narratione copiosa de filiis Keled documenta sua hausisse putat (cf. caput (47.) Th.). Narrationes Simonis de Kéza atque magistri Acus inter se haud discrepantes videntur nobis, si Mesn Misna (Meissen) esse intellegitur, Wurburg autem idem est ac Wartburg, hanc quidem civitatem familia Orlamundi non possidebat, sed ex situ geographico duae civitates facile confundi potuerunt. Miles in Hungariam migrans unus e familia Orlamundi fuisse haud facile creditur. Tamen eum origine Misnensem, Thuringiensem fuisse veri simile est. Etiam insigne generis affirmat genus origine Germanum esse (Karácsonyi III/2, Csoma J., *Magyar nemzetiségi címerek* [= *Insignia generum Hungaricorum*], Bp. 1904, pp. 55 sq.).

Hadolth — Haec forma nominis solum in V₁ invenitur (SRH I, 300).

Primitus enim ... et Arnoldus — Tabulam genealogiae generis prius M. Wertner composuit (A Buzád-Hahót nemzetseg [= Genus Buzad-Hahot], Turul 16 [1898] 63 sq.), mox Karácsonyi (II, pp. 116 sqq.) recte coniungens eos ramos, quorum proavos Wertner vinculis propinquitatis coniunctos arbitrari adhuc non ausus est. Secundum Karácsonyi filii immigrantis Hahot erant Buzad et Hahot, atque Arnoldus filius huius Buzad erat. Possessio vetus generis villa Hahót in comitatu Zaladiensi est, ubi Arnoldus supra dictus monasterium ordinis Sancti Benedicti in honorem Sanctae Margaretae sacrum condidit, quod ad tempus quoddam locus sepulturae totius generis fuit. Genus in diplomatis nomine Hahot memoratur (Karácsonyi

II, p. 116; Wertner op. cit. Turul 19 [1901] 65; Pannoh. XII/B pp. 252 sq.). Indicem vocabulorum Hahót v. Kristó—Makk—Szegfű II, pp. 21 sq.

Ex istis ... Buzad bani — Filius supra memorati Buzad I., nepotis Hahot I. est. Annis 1222—1224 comes Posoniensis fuit. Anno 1223 in discordia inter Andream II. et filium, Belam IV. concitata posterioris partibus favit, et cum Bela erat, cum hic ad ducem Austriae, Leopoldum VI. profugit (Pawler II, p. 88). Domum reversus comes Castri Ferrei (Vasvár) factus est. Annis 1226—1228 banatu Slavoniae praefuit, et inde, ut mos erat in diplomatis, ad nomen eius titulus honoris prius gesti scribitur. Ab anno 1233 ordini Praedicatorum ascriptus in monasterio Pestensi vitam agebat. Hoc anno ita se in diplomate quodam nominavit: "Buzad quondam banus, nunc vero ordinis predicatorum frater minimus" (Fejér III/2, p. 334). Traditur Tartaros eum anno 1241 hic ante aram cecidisse (Karácsonyi II, pp. 122 sq.; Wertner, Megjegyzések [= Adnotationes], op. cit. Turul 20 [1902] 66). Descriptionem mortis Buzad adnotavit aequalis eius, Thomas Cantimpratensis (cf. Hurter, Nomenclator II, coll. 356 sq.; v. Balics II/2, p. 347; N. Pfeiffer, Die ungarische Dominikanerordensprovinz von ihrer Gründung 1221 bis zur Tatarenverwüstung 1241—1242, Zürich 1913, pp. 30, 155 sq.). Rem Pawler praetermisit (II, p. 155), sed Karácsonyi et Pfeiffer (A Domonkosrend magyar zárdáinak vázlatos története [= Historia breviter descripta monasteriorum Hungaricorum ordinis Sancti Dominici], Kassa 1917, pp. 54 sq.) descriptionem veram esse acceperunt.

Generatio quidem ... dicitur contrivisse — Hoc caput magistri Acus argumentum unicum est, quod seditiōnē generis Chak contra regem Stephanum III., ut conīci potest, anno 1163 factam continent. Pawler et Karácsonyi inter se discrepantes textum interpretantur. Pawler genealogiam a scriptore Gestorum constitutam fide dignam esse putat, atque ita Hahot assectatorem regis adversarii, Stephani IV. (1163—1165), filii Belae II. fuisse arbitratur in ea discordia, in qua genus Chak pro nepote Belae II., pro rege legitimo, Stephano III. (1162—1172) arma cepit. Difficultati, quod Stephanus IV. adversus fratrem patruelēm subsidio imperatoris Graeci usus est, atque ita ex Austria, quo Stephanus III. ab eo profugit, auxilium vix obtinere potuit, ita medetur, ut Hahot iam Geysa II. rege immigravisse velit (Pawler I, pp. 297, 498, II, p. 88). Contra eum Karácsonyi coniunctionem genealogicam regum falsam esse putat, nam genus Chak non contra filium Belae II., sed contra nepotem, Stephanum III. seditiōnē fecit (II, p. 116). Argumentum eius, quod Stephanus III. ex Austria revertens Germanis adiuvantibus patruum Graecis confidentem devicit, et ei Hahot adiumento fuit, ad persuadendum accommodatum esse videtur, et quia sic textus Gestorum emendationibus minoribus adhiberi potest, probabilius, quam sententia Pawler est. Etiam adnotatio, quod rege adversario devicto Stephanus III. victor assectatorem illius ad comparandam aut conservandam possessionem in Hungaria non adiuvisset, recta esse videtur. Seditio

generis Chak et destructio castri eius, Chakvar (Csákvár), quae in capite Gestorum 29 (apud Th. in capite (31.)) memoratur, ut certe existimari potest, res inter se supplentes sunt. Quod auctor amborum capitum Gestorum item magister Acus est, affirmat duas res cohaerentes esse. Quamquam in Gestis castrum tempore ducum Andreae, Belae et Levente, ergo medio saeculo XI destructum esse memoratur et duae partes in tam propinquis locis textus inveniuntur, ut vere admirandum sit ingenium scriptoris Gestorum tam immemor fuisse, tamen, etsi ordo temporum rerum neglectus est, praesertim quia scriptor etiam in aliis partibus operis haud servato ordine temporis res gestas profert, duas partes textus ad easdem res pertinere putari potest.

⟨47.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est.

234 *Generatio Keled* — Index idem est atque index primi duorum capitum a Th. comprehensorum variantium V_3 et V_4 Chronici Picti: “*Generatio Keleed*” (SRH I, 301). Index variantis V_1 est: “*De generatione Keleed*” (SRH I, 301).

Stephani ... Keleed — Nomina trium filiorum Keled in Gestis Simonis de Kéza sic produntur: Philippus, Ladislaus, Gregorius (SRH I, 191 sq.). Hunc indicem nominum et coniunctionem genealogiae diplomata affirman, quibus testibus anno 1258 rex Bela IV. filiis comitis Keled (Cleti), Ladislao, Philippo et Gregorio terras dono dedit, quia Tartaris incursantibus ipsi ad oram maritimam se comites regi adiunixerunt (Wenzel VII, p. 481; Reg. Arpad. I, num. 1190). E tribus fratribus Gregorius anno 1290 testamentum fecit (Hazai Okm. VII, p. 331), et quia eo tempore adhuc cuncti vivebant, vere aequales scriptoris Gestorum erant. Coniunctio genealogica in Gestis Simonis de Kéza sine dubio rectius adnotata est, quam apud magistrum Acus, atque immutationem ab eo adhibitat vere rectificationem textus, quem ipse falsum esse putavit, arbitrari possumus.

Stephani ... ortum habet — Tantum pater Keled (Cleti), Philippus notus est nomine ex argumentis diplomatum, qui fortasse ineunte saeculo XIII vitam agebat. Sed prognati Keled valde noti sunt: membra familiae Kórógyi, quae exeunte saeculo XIV et saeculo XV partes excellentes egerunt (Wertner M., Családtörténeti adalékok [= Additamenta historiae familiarum], Turul 10 [1892] 166 sq., 172). Apud familiam Kórógyi origo de Misna (Meissen) haudquaquam nota erat. Membra familiae primis decenniis saeculi XV eodem tempore, quo comites Veglienses cum Italicis Frangapanibus se coniunxerunt, cum familia comitum de Castell Bavarici coniunctionem quaerebant. Philippus (Fülpös) Kórógyi, qui anno 1404 comes Temesiensis fuit, iterum ac saepius epistolas comiti Guilelmo de Castell

propinquitatem renovaturus mittebat. Comiti Guilelmo gratum et acceptum erat iam proavos suos cum Turcis pugnavisse, atque pro hac iactura in possessionem comitatus de Castell venisse, tamen diu caute se gerebat. Fülpös iam pridem “comitem perpetuum de Castellis denique de Korogh” se nominavit (O. L. Dl. 12 514, Fülpös a vidua sua anno 1433 sic nominatus est), ipse Guilelmus tamen tantum anno 1434 ita eum nominavit, cum Posonium venit et sibi persuasit se propinquitatis haud pudendum esse. Iam cum Iohanne, filio Fülpös rationem propinquitatis probavit eo modo, ut eum heredem suum faceret. Item probavit, ut nomen Kórógyi posthac “comes in Castel et dominus in Korogd” mutaretur, sed ipse quoque cognomen “dominus in Korogd” titulis inseruit (O. L. Dl. 12 649). Haec omnia ipse “Wilhelmus comes de Castel et dominus de Korogd” in diplomate die 18 mensis Decembris anno 1434 dato dicit, quod quidem re vera nullius momenti erat, tamen ambae familiae novo titulo exornatae sunt. Si Fülpös Kórógyi originis Misnensis conscius fuisse, sine dubio aliam familiam sibi elegisset. Paurer (I, p. 488) propinquitatem Castellanam falsam dixit, confirmans propinquitatem Hungaricam in editione fontium P. Wittmann (Monumenta Castellana 1051–1546) omnino ignotam esse.

Meysnensis — Haec forma nominis solum in *V₁* (SRH I, 301) invenitur.

Frangkfurt — Variantia proxima sunt: in *V₁*: Frangfurd, *V₃*, *V₄*: Frankfurd, sed in *B D*: Frankfordia (SRH I, 301).

Stephanus ... Bele descendit in Pannioniam — Et magister Acus et Simon de Kéza, qui in Gestis suis narrationem illius corrigit, originem filiorum Keled (Cleti), qui in regione meridionali Hungariae possessionem habuit, cum fama familiae in regione occidentali Hungariae habitantis confundunt. Familia posterior, cui nomen erat Frankó (Wertner M., A Frankóiak [= Familia de Frankó], Turul 10 [1892] 113 sq.), tempore magistri Acus nullum hominem notum dignitate aliqua fungentem habuit, tamen medio saeculo XII, immo etiam ineunte saeculo insequenti ad partes maximas obtinendas nata aptaque videbatur. In diplomate circa annum 1156 edito Geysae II. et origo Germanica familiae et tempus immigrationis demonstrantur. Milites Gotfrith (Gotfridus) et Albreht (Albertus), dixit rex, “ad vocationem meam relicta paterna sua et hereditate regnum Hungarie sunt honorifice ingressi”, et quia “dignum fuit tam nobilibus regia liberalitate subvenire”, in hodiernis comitatibus Castri Ferrei (Vas) et Soprungiensi (Sopron) eis possessiones dedit (Sopron vm. I, p. 1; Reg. Arpad. I, num. 85). Filius Geysae II., Stephanus III. anno 1171 praescriptum constitutum patris confirmans duos milites Germanicos “relicta terra natalis patriae” vocatu regis in Hungariam migravisse iterum declaravit (idem p. 3; Reg. Arpad. I, num. 117). Membrum familiae ineunte saeculo XIII vivens, comes Bertoldus (Pertoldus) una cum uxore sua anno 1212 filiam Andreae II., Elisabetham in Thuringiam ad sponsum, Ludovicum, comitem provinciae prosecutus est, immo vero annum in aula huius mansit, filius Bertoldi, Franco (Francu) autem praefuit legatis pro sponsa Andreae II., Iolantha

Courtenay, filia imperatoris Byzantii ituris anno 1216, et ut res poposcerunt, etiam variis bellis interfuit (Wenzel VI, pp. 485, 550; Reg. Arpad. I, num. 593, 528). Pars narrationis magistri Acus, in qua ipse familiam tempore Geysae II. immigravisse scribit, cum argumentis diplomatum congruit, tamen his abhorret, cum proavum Stephanum fuisse tradat. In Gestis Simonis de Kéza sententia magistri Acus emendata proavus recte Gotfridus nominatur, tamen immigrationem aetate Stephani III., filii Geysae II. fuisse false adnotatum est (SRH I, 191). Omnino probari non potest, immo haud veri simile videtur Gotfridum e familia comitum quorundam de Hersfeld ortum esse. Coniunctio ipsa et apud magistrum Acus et in Gestis Simonis de Kéza et apud Th. diverse constituitur. Secundum magistrum Acus, fontem Th. proavus immigrans (Stephanus, recte: Gotfridus) filius sororis marchionis Misnae et comitis de Hersfeld fuit, tamen haec vocabula magistri Acus: "filius fuit sororis Meysnensis marchionis, filius comitis de Hersfeld" (SRH I, 301) praeter modum usitatum conscripta videntur. Denominatio Th. iure offendit, qui tantum ratiocinando sententiam textui ita subiecturus fuit, ut marchionem de Misna filium comitis de Hersfeld fuisse declararet. Narratio magistri Acus in hac re quoque in Gestis Simonis de Kéza recte emendatur, nam marchio de Misna ut unus e familia omittitur, et Gotfridus simpliciter filius comitis de Hersfeld memoratur (SRH I, 192). Sed pars famae ab ambobus adnotatae, in qua de familia de Hersfeld agitur, omnino commenticia videtur. Ut in editione, in qua fontes diplomatici Thuringiensium medii aevi continentur, constitui potest (O. Dobenecker, *Regesta diplomatica necnon epistolaria historiae Thuringiae*, I, c. 500–1152, II, 1152–1227, Jena 1896–1900), familia comitum de Hersfeld saeculo XII non vixit. Thuringensis Hersfeld in possessione abbatiae erat, cuius praefecti (vogt nominati) medio saeculo XII (ab anno 1133) langravii Thuringiae Ludovicus I., mox Ludovicus II. erant, quibus ut originem familiae adiungeret, ne fama quidem Hungarica ausa est. Sed abbatia ministeriales, milites sibi subiectos habuit, inter quos etiam ii fuerunt, qui non solum praenomine noti sunt, sed etiam nomine cuiusdam praedii nominabantur, quo ipsi discreti sunt. Tamen nomen de Hersfeld nemini eorum impositum est. Nec familia de Hersfeld, nec familia comitum de Hersfeld nota est. Ut opinari possumus, suboles cuiusdam familie ministerialis de Hersfeld Gotfridus esse potuit. Vere Hersfeld in Thuringia, non in marchionatu Misnensi invenitur. Mentio de Misna facta eo explicari potest, quod Thuringia Othonibus regnantibus usque ad annum 1067 consilio marchionum Misnensium regebatur, ab anno autem 1247 ex membris familie de Wettin langravii Thuringiae facti sunt, qui simul etiam potestate marchionum Misnensium fungebantur. Fama occisi comitis provinciae cum morte Henrici coniungi potest, qui filius comitis provincialis Thuringiae, Ludovici I., (obiit anno 1123) et frater comitis provinciae, Ludovici II. (obiit anno 1140) erat. Caedes eius, quae anno 1130 facta est, in Annalibus Magdeburgensibus memoratur, nomen interactoris autem haud

adnotatum est (M.G.H. SS XVI, p. 183, ad annum 1130: "Heinricus comes et signifer regis, frater Luodewici comitis de Thuringia, clam vulneratus et confossum immatura morte obiit." Cf. Giesebricht IV², p. 38). Haud veri simile videtur Gotfridum interfectorum fuisse; nam huic identificationi contradicit, quod Bertoldus in Thuringiam legatus missus est (Pauler valde dubitat, an narratio Gestorum fide digna sit, I, pp. 256, 448). Rem sollemnibus, cum imperator coronam accepit, Francofurti institutis adiungere item falsum esse videtur. Nam anno 1130 nullus imperator diadema accepit. Levitas scribendi, qua magister Acus et Simon de Kéza in Gestis duas Hungaricas familias saeculi XIII, hoc capite teste, confundunt, admonet nos, ut sententias scriptorum Gestorum aliis locis quoque non nisi re diligenter perpensa accipiamus.

Bobocha — Th., quamquam Chronicon Pictum secutus est, hic evidenter rectiorem formam nominis in variantibus familiae Chronicis Budensis (*S B D*) adnotatam transcripsit. Villa Babocha (h. Babocsa) in comitatu Simigienensi ad fluvium Dravum est cum monasterio generis Benedictino in honorem Sancti Nicolai sacro (Pannonh. XII/B, p. 344). Diploma, in quo genus de Babocha memoratur, non notum est, vocabulum "de Bobocha" rudit nominatio familiae nobilis de possessione est (Györffy op. cit. TSz 9 [1966] 26).

Samberg — Nomen in Gestis Simonis de Kéza in forma Fanberg appetet (SRH I, 188). E narratione quidem Gestorum Simonis de Kéza, quae originem generis nobilem demonstrat, Wertner familiam principalem Germanicam Schaumburg esse existimavit (Turul 21 [1903] 171), hanc tamen familiam in Germania occidentali habitantem in Hungaria coniunctionem habuisse haud veri simile videtur. Potius indicari potest castrum Schaumburg ad Danubium in Austria Superiore situm et familiam de eo nominatam. (Hóman, M. Tört. I, p. 182, collatione omissa Tiboldum de Fanberg, Pauler, Szt. István p. 194 autem Tiboldum de Tanberg dicunt.)

Eorum vero ... Pannionam generatio — Tantum e narratione copiosiore Gestorum Simonis de Kéza constitui potest magistrum Acus hic de origine generis Tiboldi narrare. Comes Tiboldus, legitur in Gestis Simonis de Kéza, tempore ducis Geysae in Hungariam immigravit, ipse "Grauu (Graf) Tibold" est nominatus, et cum prognati eius cognomen "Vandeuchumlant" (von Deutschenland) habeant, quidam eorum tantum Graf nominantur (SRH I, 188). Origo generis Germanica certa esse videtur. Ipsum nomen Tibold quoque Hungarica forma nominis Germanici Theobald (Francogallici Thibaut) est. Quoniam saeculo XIII nonnulli ex genere adhuc vivunt nomine "Tibold" nominati (Karácsonyi III/1, p. 99), iure existimari potest comitem Tiboldum, qui anno 1060 familiam regis Andree I. profugientem in Austriam comitatus est, atque Theobaldum, qui annis 1111—1113 comes Simigiensis apparuit, ex hoc genere ortos esse (Wertner, Megjegyzések, Turul 21 [1903] 171. Cf. Pauler I, p. 107; Reg. Arpad. I, num. 43, 46. Indicem vocabulorum locorum Tibold v. Kristó—Makk—Szegfű II, p. 43).

generatio — Vocabulum solum in *D*, sed etiam hic in initio enuntiati invenitur (SRH I, 301).

⟨48.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est.

235 *Generatio ... Michaelis* — Index sequitur indicem capitisi Chronici Picti: “De Symone et Michaele” (SRH I, 302).

Symonis autem ... generatio — Simon et Michael de Nagymarton aequales magistri Acus erant; ex quibus Simon ab anno 1277 usque ad annum 1318, Michael autem inter annos 1277–1304 in diplomatis memorati sunt. Anno 1286 comes Simon in diplomate quodam sic se nominavit: “Nos Symon comes”, ibidem Michaelem fratrem suum esse dixit (Hazai Okmt. IV, p. 69), coniunctio affinitatis eorum ergo non est dubia. Prognati eorum vocabulo “de genere” non utebantur, itaque genus de Nagymarton non exsistit (Pór A., A Nagy-Martoniak [= Familia de Nagy-Marton], Turul 7 [1889] 60 sq.; Wertner M., Die Grafen von Mattersdorf-Forchtenstein, Wien 1889).

Mortundorff — Nagymarton a Sopronio ad occidentem et septemtriones est, in regione, quae hodie Burgenland nominatur. Nomen eius anno 1202 villa Martini, anno 1346 autem Nogmortun scribitur. Nomen Germanicum eius est Mattersdorf, anno 1493 Marteinsdorf, templum eius in honorem Sancti Martini est sacramum, de quo etiam nomen accipere potuit (Csánki III, pp. 594, 646).

Symonis autem ... de Hispania — In Gestis Simonis de Kéza quidem Simonem I., patrem Simonis et Michaelis, atque huius fratrem patruelem, Bertramum (Bertrandum) Emerico rege (1196–1204) in Hungariam advenisse (SRH I, 190 sq.) memoratum est, tamen, ut e diplomaticis constitui potest, narratio magistri Acus, quod ad sententiam verborum pertinet, accuratior esse videtur. Nam immigratio comitis Simonis I. in Hungariam a rege Andrea II. anno 1223 ita narrata est: comes Simon, qui una cum omnibus propinquis genere nobili ortus est, quod nemo ignorat, e longinqua Aragonia in Hungariam haud necessitate coactus, sed regem salutatum venit, cuius precibus et donis autem ad domicilium collocandum impulsus est (Fejér III/1. pp. 393 sq.; Reg. Arpad. I, num. 393). Pro certo igitur haberi potest comitem Simonem non tempore regis Emerici, sed tempore successoris huius in Hungaria consedisse. (Indicem argumentorum diplomaticum, quae ad Simonem pertinent, v. Meggyes K., Mikor ment végbe a *Gallicus* népnév jelentésbővülése? [= Quando nomen populi *Gallicus* significationem amplificatam acceperit?] MNy 56[1960] 363.) Bertrandus, qui multo iunior, quam Simon I. fuit, nam triginta annis ei superstes erat, multo post immigrare potuit, tamen adhuc rege Andrea II. (Pór op. cit. 58

sq.). Forma nominis “Hispania” in variantibus Chronicorum Picti tantum in *V₃*, invenitur (SRH I, 302).

Castra quidem ... Boyoth dicitur — Coniunctio adiuvante textu Gestorum Simonis de Kéza manifesta fit (SRH I, 191). Inde familia Simonis primam sedem in Hungaria ideo Boiot (Bajót) nominavit, quia maximum castrorum familiae in Hispania item sic nominatum est. Villa hodierna Bajót in Hungaria in comitatu Strigoniensi ad Danubium a Nyergesújfalu (in Gestis Simonis de Kéza: Nergedscég) ad meridiem sita est. Locus simili nomine nominatus in Hispania non est notus.

rege Aragonum — Regnum Aragonum e comitatu Francico, qui se in magnam partem vallis fluvii Hiberi et in huic adiacentem regionem montanam porrigit, tempore Ramiro I. (1035—1063) factum est. Petrus II. (1196—1213) sive Iacobus I. (1213—1276) erant reges, quos comes Simon et Bertrandus fortasse timebant.

Huius quidem ... carcerem detruditur — Res in Gestis Simonis de Kéza aliter tractatur: pater Simonis et Michaelis atque frater patruelis eorum, Bertrandus discordia implicati sunt cum “mago comite” quodam, quem vi et armis comprehenderunt necaveruntque, et quamquam rem, propter quam se proelio commiserunt, iustum habuerunt, tamen patriam relinquere eis melius visum est (SRH I, 191).

secunda uxore prefati regis Andree — Reginam, de qua agitur, non 236 Andreas II., sed rex Emericus uxorem secundam, nomine Constantiam, filiam regis Aragoniae, Alphonsi II. (obii anno 1197) et sororem regis Petri II. habuit (Paurer II, p. 32; Wertner pp. 370 sq.). In hoc loco narratio Gestorum Simonis de Kéza fide dignior videtur, qui Constantiam uxorem regis Emerici fuisse recte dicit.

Quod Symon ... Hungariam intraverunt — Champagne memorare manifeste falsum est. Una cum Constantia femina nobilis aulica quaedam, nomine Tota, soror sive soror patruelis comitis Simonis in Hungariam venit atque hic duci Benedicto nupsit, a quo concessu regis Emerici anno 1202 villas Nagymarton et Bajót dono accepit, et ne tunc quidem ex Hungaria discessit, cum domina eius post mortem regis regnum reliquit. (Constantia anno 1209 imperatori Friderico II. nupsit, anno 1222 mortua est. Wertner pp. 372 sq.; Fejér III/1, pp. 318 sq.; Reg. Arpad. I, num. 198, 362.) Dubium non est Simonem in Hungariam venisse, quia Tota ibi morabatur, atque per eam, post mortem eius villas Nagymarton et Bajót nactum esse. Quia secundum diploma Andree II. anno 1221 editum femina Tota “relictis pridem quamplurimis sue propaginis ingenuis patribus, fratribus et cognatis” (Fejér III/1, p. 317), id est sola Constantiam in Hungariam secuta est, et quia Simon, Michael et Bertrandus in diplomatis Hungaricis tantum posterius memorantur, constitui potest tempus et ordinem rerum in memoria hominum spatio quinquaginta annorum praeterito iam evanuisse. Ceterum feminam Totam copiosius memorare pulchritudinem eius extol-

lendo Simoni de Kéza in *Gestis et quidem narratione cum diplomatibus congruenti opportunum visum est* (SRH I, 191).

eapropter — Ab his vocabulis usque ad finem capitinis textum sola familia Chronicorum Picti prodit, Th. igitur eam sequitur.

Quod Symon comes ... generatio fertur expulisse — Insulas Mallorcam et Menorcam, quae in numero insularum Balearium referuntur, rex Aragoniae, Iacobus I. annis 1229—1235 imperio Maurorum liberavit, defensioni earum igitur Simon et Michael iam prius in Hungariam immigrantes defuerunt. Potissimum arbitrari possumus ultimum in Hungariam immigrantem Bertrandum, priusquam immigravit, in exercitu regis Iacobi I., insulas liberaturi pugnavisse. Ceterum ambae insulae anno 798 in potestatem Araborum redactae sunt et sub dictione califatus Cordubensis erant, cuius autem viribus imminutis a saeculo XI eas domus principalis sui iuris regebat. Comiti Simoni et prognatis eius occasio cum sultanis Tunitanis bellare non data est. Regnum Tunitanum magister Acus causa duarum rerum memorare potuit. Partim quia Abī Zakariyyā (1227—1249) et filius eius, Abu 'Abd Allāh Muhammed al-Mustansir (1249—1277) e domo principali Hafṣida orti regnum Tunitanum valde augentes tam magnum imperium reddiderunt (A. Müller, *Der Islam im Morgen- und Abendland* [W. Oncken, *Allgemeine Geschichte in Einzeldarstellungen*] Berlin 1887, p. 657), ut in parte occidentali maris Mediterranei regnum eorum orbem Arabicum significaret, partim autem quia bellum pro Terra Sancta a (Sancto) Ludovico IX., rege Francogalliae anno 1270 susceptum, quod malum exitum habuit et ubi ipse rex periiit, animum omnium ad id convertit. Si non neglegimus bellum a Ludovico IX. huius fratre minore, rege Neapolis, Carolo Andegavensi impellente susceptum esse, intellegimus, quantam expectationem bellum in aula quoque Stephani V. commoverit, nam in eam aulam forte anno 1270 sponsa regis futuri Ladislai IV. Isabella Andegavensis, filia regis Caroli deducta est.,

militie — Sic solum in *V₃* est. In variantibus ceteris: *militia* (SRH I, 303) legitur.

In Hispania enim ... in aquilam mutaretur — In insigni familae de Nagymarton vere aquila formabatur, sicut etiam sigillum insigni exornatum iudicis curiae Pauli de Nagymarton demonstrat (O.L. Di. 2892, 2528. Cf. Csergheő G., *A Guthkeled nemzetseg címere [= Insigne generis Guthkeled]*, Turul 9 [1891] 9; Györffy, *Tanulm.* p. 4). Argumentis fontium deficientibus ambigitur, an in Aragonia usus aquilae ut insigne generis exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII vere limitatus fuerit.

(49.)

Caput a magistro Acus conscriptum est.

De introitu ... Hungariam — Index, qui indicem capitis variantis *V₄* 237 Chronici Picti sequitur (“Introitus diversarum nationum in Hungariam”, SRH I, 303) et qui nationes diversas magno numero in Hungariam immigrantes se tractaturum promittit, caput breve autem enumeratio peregrinorum saeculo XIII in Hungaria habitantium esse videtur, tamen vocabula ultima edocent nos magistrum Acus non multitudine hominum, sed familiis supremo ordini societatis se inserentibus per matrimonia occupatum esse. Contradictio eo explicari potest, quod medio saeculo XIII, cum in coetu nobilium peregrini quidam iam Hungaris eos recipientibus ibi maiore numero habitantibus assimilati sint, passim in regno residua nationum eiusdem originis adhuc vixerunt, qui etiam sermone patrio loqui non desierunt. Nonnunquam peregrini nobiles una cum minoribus eandem linguam loquentibus sive ut milites cum comitantibus, sive ut principes generum una cum generibus immigrabantur, nonnunquam autem nobiles et multitudo hominum in Hungaria fortunam temptaturi idem regnum suo proprio arbitratu, alii ab aliis separati relinquere potuerunt. Historiae periti partim ex vocabulis locorum, partim coniectura de statu ethnico posteriore Hungariae facta satis accurate restituere possunt, ubi et quaenam nationes medio saeculo XIII vitam egerint atque quando illae immigraverint. Animum magistri Acus, quamvis studium suum peregrini in aula regia viventes sive in numero nobilium relati excitarent, sub conscientia etiam imago ethnographica regni movit.

Bohemi — Memoria Bohemorum in vocabulis locorum: Cseh, Csehi, Csehtelek etc. servatur (Kristó—Makk—Szegfű I, p. 27). Incertum est, quando orta sint, etsi in litteratura nomen villae Kalmancha (Kálmánca) in comitatu Simigiensi ipsum quoque ad aevum determinandum magni momenti esse putatum sit. In diplomatis medii aevi adhuc Kalmanchehy (Kalman Chehy etc.) scribitur, immo anno 1286 in hac forma quoque invenitur: Kalman Kiralychey. Bohemos, quibus agri a rege Colomano in possessione regali impertiti sunt, atque qui ita iuri et iurisdictioni regis subiecti fuerunt, primos incolas villae fuisse et ineunte saeculo XII domicilium collocavisse creditum est (cf. Pais D., Helynévmagyarázatok [= Interpretationes vocabulorum locorum], MNy 12 [1916] 17; Mályusz E., A középkori magyar nemzetiségi politika [= Ratio nationum administrandarum in Hungaria medii aevi], Száz. 73 [1939] 264 sq.). Sed praeter regem Colomanum (1095—1116) etiam alias quidem Colomanus, frater minor (obiit 1241) regis Belae IV. existimari potest, qui item se regem nominari iussit (Smičiklas III, p. 346; Reg. Arpad. I, num. 711 etc.), et cuius sub dictione etiam comitatus Simigiensis erat (Smičiklas III, p. 369, IV, p. 41; SRH II, 571). Etiam nomen villae Drávacsehi in comitatu Baraniensi sero

formatum esse videtur. Circuitus metarum in duabus villis Kemes (hodie Kémes) anno 1177 etiam in regionem hodiernae villaे Drávacsehi in comitatu Baraniensi sitae extensus est, sed nomen Chehi (Csehi) non memoratum est (Györffy, Tört. földr. I, p. 324). Nomen Chehy primum anno 1346 apparet (Csánki II, p. 477), villam igitur saeculis XIII—XIV formatam esse arbitrari possumus. Nonnulla vocabula locorum Cseh et similia ante saeculum XIII orta esse possunt, nam argumenta diplomatum et fontium narrativorum iam a saeculo XI Bohemos in Hungaria adesse memorant. In regione villaе Pelu (Pél) in comitatu de Zonuk anno 1075 Bohemi commorabantur (Mon. Strig. I, p. 58), sed hic vocabulum loci nationem Bohemorum significans non est ortum (cf. Györffy, Tanulm. p. 62, adnot. 146). Rex Ladislaus I. anno 1091 complures — ut Cosmas Pragensis tradit, amplius duobus milibus — milites Bohemicos in possessione bani iuxta Trenchinium collocavit (Gombos I, p. 804). Secundum fontem Bohemicum familia Vrisovic iram regis Bohemiae fugitura anno 1108 in Hungariam immigravit, et quia hic domicilium repperit, in patriam veterem iam non reversa est (Ernyei J., Régi cseh telepítések hazánkban [= Coloniae veteres Bohemicae in patria nostra], Föld és Ember [= Terra et Homo] 6 [1926] 67). In numero immigrantium Bohemorum inter nobiles acceptorum proavi generum Bogát-Radvány et Ludány relati sunt, qui in Gestis Simonis de Kéza origine Bohemi esse pro certo habentur (SRH I, 190) nominaque eorum et nomina Slavica Zubozlaus (Szoboszló), Zobona (Szobonya), Bogomelius (Bogomel), Bogomerius (Bagamér), quibus membra generis Ludány in diplomatibus memorata etiam saeculo XIII se nominabant, sententiam Simonis de Kéza affirmant (Karácsonyi I, pp. 248 sqq., II, pp. 356 sqq.). Etiam homo dilectus Belae IV., nomine "Myrkur" (dominus Myrk) Bohemicae originis fuit, qui familiae regiae Bohemicae propinquus erat, atque ita affinitate cum Bela IV. coniunctus est. Et nomini Myrk et nomini patris eius Jan attributum "úr" 'dominus' probabiliter ex propinquitate adiunctum est. (In diplomate capituli Jaurinensis anno 1292 edito: "Iacobus filius Myrkur dicti, Vencezlaus filius Gyanur dicti". Wenzel X, p. 88. Eum origine Bohemum esse in Gestis Simonis de Kéza affirmatur, SRH I, 192.) Etiam ille in numero eorum relatus est, quos ipse magister Acus novisse potuit.

Poloni — Memoriam Polonorum vocabula locorum Lengyel, Lengyeld, Lengyelfalva etc. servare possunt, tamen mirum est, quod nullum vocabulum geographicum Lengyeli invenitur (Kristó—Makk—Szegfű I, p. 26). Non explicatum est, quo tempore villaе nomine Lengyel ortae sint, nec id, cur hoc nomine nominatae sint (scilicet an villaе Lengyel nominatae de personis, quae medio aevo vivebant — de sic nominatis v. Kovács, Index p. 395 —, nomen acceperint). Porro non est explanatum, an argumenta in diplomatibus proceres in Polonia ortos memorent.

Greci — Memoria Graecorum in vocabulis locorum Görög ('Graecus') et fortasse G(e)réc servatur (Kristó—Makk—Szegfű I, p. 14). In diplomatibus

quoque Graeci sparsi in Hungariam immigrantes memorantur. Graecus fuit iste Muk Grecus, qui prognatis nullis relictis est mortuus, et ita tantum ut possessor pristinus possessionis a Bela IV. dono datae anno 1266 memoratus est, quae in comitatu Arad Temerken nominabatur (Fejér IV/3, p. 343; Györffy, Tört. földr. I, p. 187), item aurifaber nomine Theodorus, cuius filii ante annum 1276 in comitatu Sáros domini praediorum erant (Györffy Gy., A szávászentdemeteri görög monostor XII. századi birtokösszeírása [= Recensio possessionum monasterii Graeci in Sancto Demetrio (Hungarice Szávászentdemeter) saeculo XII] II. Oszt. Közl. 3 [1953] 99; Reg. Arpad. II/2, num. 2743). Inter immigrantes Iohannes, filius imperatoris Byzantii Angeli Isaac nobilissimus erat, qui cum matre, filia regis Belae III. in Hungariam immigrare potuit, cum mater — post mortem imperatoris, deinde mariti secundi, marchionis Montis Ferrati, qui Thessalonicae regnabat (Wertner p. 394) — in patriam reversa est. Anno 1233 ita se nominavit: “Calo Iohannes filius quondam Iursac imperatoris Constantinopolitani”, a Bela IV. autem anno 1235 “Calo Iohannes” dilectus cognatus appellatus est. Nomen eius in diplomatis posterioribus in formis “Iohannes Angelus” et “Kalyanus” invenitur, ipse comes complurium comitatuum fuit (Györffy op. cit. p. 99, cum argumentis accurate enumeratis). Magister Acus ipse eum novisse potuit. Vocabulum “Graeci” descriptum haud dubium facit, quin vocabulum “Latini” in Gestis Byzantios significaverit, quamquam imperio Latino Constantinopolitano condito vocabulum etiam hanc notionem mutatam habere potuisse.

Hispani — Inter vocabula locorum Hungariae medii aevi nullum est, quod affirmet fuisse villas, in quibus incolae Hispani habitaverunt. Hispani tantum raro in Hungariam immigraverunt, sicut fratres de Nagymarton, quos magister Acus in capite superiore memoravit. Simon de Nagymarton (“Hispanus” ‘Spaniol’) cum multis ballistariis castrum Strigonense contra Tartaros prospere defendit (SRH II, 585). Hispani peritissimi ballistarii erant (Paurer II, pp. 180, 518). Quod coloni e Hispania in Hungariam non immigraverunt, eo interpretari possumus, quod Hispania longe distat a patria Hungarorum.

Hismahelite seu Saraceni — Nomen primum e Sacra Scriptura originem dicit. Filio Abraham, Ismaeli e serva Aegyptica, Agar nato, qui in Geneseo 16, 15 memoratur, adiunctum vulgo pro notandis Arabis usitatum est. Item nomen collectivum Arborum vocabulum “Saraceni” est, quod Latina forma Graeci nominis populi Σαρακηνοί est. Ambo nomina, si neglegimus, quemnam populum significarent, etiam eschatologicam significationem habebant, cum vulgo populos adventum Antichristi atque ideo exitum instantem orbis terrarum praenuntiantes ostenderent. In Pověst’ vremennyh let apud annum 1096, cum impetus adversus Kioviam Cumanorum in Annalibus nomine “Polovcy” memoratorum tractatur, in hac sententia Ismaelitae “quattuor tribus, quae sunt: Torkmeni, Pečeněgi, Polovci, Torci”, habere memorantur. In monumentis litterarum Hungaricis, diplo-

matibus et decretis haec sententia eschatologica nominum “Saraceni et Ismaelitae” ignota erat, tamen non solum Arabos, sed vulgo Musulmanos significaverunt haec nomina eo praetermissso, cuiusnam in numero nationis referrentur (Kossányi B., A XI—XII. századi “ismaelita” és “saracenus” elnevezésekrol [= De nominationibus “Ismaelitae” et “Saraceni” saeculorum XI—XII], Károlyi Ekv pp. 308 sqq.). Arabius theologus et viator Abū Hāmid al-Andalusī (obiit 1169/70) Musulmanos in Hungaria vixisse certum fecit, qui, postquam tres annos (1151–1153) in Hungaria commoratus est, expertus relationem conscripsit, quamquam tales sententiae, ut in Hungaria pluribus, quam decem milibus villarum festa feriae sextae haberentur, evidenter veritatem excedunt (I. Hrbek, Ein arabischer Bericht über Ungarn, Acta Orientalia 5 [1955] 208 sqq.). Ut e narratione eius conici potest, multi horum Musulmanorum in condicione transitoria erant, quod religionem attinet, se doctrinam Mahumeti sequi iam tantum clam confitebantur, tamen circa annum 1220 notus Arabicus geographus, Jākūt (obiit anno 1249) Aleppi (in Halep) Musulmanos ibi studiis se traditos in Hungaria viventes adhuc invenire potuit, atque ipse cum uno ex iis etiam collocutus est. “Nos linguam Hungarorum loquimur, eadem veste utimur, qua ii, in exercitu eorum militamus et una pugnamus contra omnes hostes eorum” (Hunfalvy P., Magyarország ethnographiája [= Ethnographia Hungariae], Bp. 1876, p. 335; Pauler II, p. 75). Ismaelitae in decretis Sancti Ladislai et Colomani iterum ac saepius memorantur (Ladislaus I. 9, Colomanus I. 46–49: Závodszyk pp. 159, 189 sq.) dura severitate praescribentibus, ut Ismaelitae baptizentur, immo etiam id, ne inter se matrimonium ineant. Ex lege allata Sancti Ladislai Ismaelitae mercatores erant, saeculo XIII ut publicani proventuum regalium apud populum in odio erant, sed nonnulli in numero nobilium militantium quoque apparuerunt. Sic verbi causa in regione comitatus de Thurocz Hungariae septemtrionalis medio saeculo XIII in iis, quibus reges condicione militiae fundum dederunt, erant homines nomine Wahud et Muryn. Wahud idem est ac vocabulum Arabicum Wahid ‘unicus’, Muryn autem idem est ac vocabulum Slovacum Murin, cuius significatio ‘Saracenus’ est, itaque sine dubio ambo nomina profitentes religionem Mahumeti ostendunt (Melich J., Mohamedán-török személynevek Turóc megye XIII. századi nemességénél [= Nomen Muhamedana-Turcica apud nobiles comitatus de Thurocz saeculi XIII], MNy 22 [1926] 196 sqq.). Hungaricum varians vocabulum “szerecsen” vocabuli “Saracenus” in monumentis litterarum saeculorum XII—XIII. et nomen et vocabulum loci appareat (Melich J., Néhány magyar népnévről [= De nonnullis Hungaricis nominibus populorum], MNy 5 [1909] 392; Kristó—Makk—Szegfű I, p. 23), sed saeculo XIV, ut constitui potest, sententiam, quae religionem significaret, iam non habuit, et homines originis orientalis, colore nigro designabat (Mályusz E., Az izmaelita pénzverőjegyek kérdéséhez [= Ad quaestionem signorum monetarum usitatorum ab Ismaelitis], Bud. Rég. 18 [1958] 305). Alterum

Hungaricum nomen Ismaelitarum nomen "böszörmény" erat, quod item nomen commune hominum profitentium religionem Mahumeti fuit (cf. Melich op. cit., MNy 5 [1909] 390 sqq.). Vocabula locorum "Bösörmény" permulta in Hungaria medii aevi inveniuntur (Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 22 sq.). Historiam Hungaricorum Ismaelitarum et Saracenorum novissime comprehendunt K. Czeglédy, *Az Árpád-kori mohamedánokról és neveikről* [= De Musulmanis et nominibus eorum aetatis Arpadianae], in Kázmér M.—Végh J., *Névtudományi előadások* [= *Communicationes de doctrina onomastica*], Nyelvtud. Ért. num. 70. Bp. 1970, pp. 254 sqq.; Gy. Székely, *Les contacts entre Hongrois et Musulmans aux IX^e—XII^e siècles*, The Muslim East, Studies in honour of Julius Germanus, Bp. 1974, pp. 53 sqq.

Bessi — Tempore magistri Acus multi Bisseni in Hungaria vitam agebant. Colonias eorum in tota regione regni fuisse vocabula locorum etiam hodie affirmant (Györffy, Besenyők; Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 18 sqq.). Diversis temporibus saeculorum X—XII et plerumque catervatim immigraverunt, itaque tota genera una permanentia habitabant. Sic facilius factum est, ut in statu regiae administrationis publicae locum proprium haberent, consuetudines quaedam propriae eorum vitae socialis ad tempus quoddam permanerent, principes generum autem domini praediorum fierent. Genus Tomaj origine Bissenum fuit, quod genus exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII tam clarum factum est, ut etiam Anonymus mentionem eius fecit. Proavus generis Tomaj, Thonuzoba, ut Anonymus tradit, "noluit esse Christianus, sed cum uxore vivus ... est sepultus" (SRH I, 116 sq.). Dionysius II., ex membris generis ante incursionem Tartarorum palatinus fuit (Karácsonyi III/1, p. 105). Nobiles Bissenos, id est militantes in comitatu Albensi Ludovicus I. universatim inter nobiles regni ascivit, membra aliarum familiarum origine Bissenarum ineunte saeculo XV dignitatibus regiis fungebantur (ita membra familiarum Hardi, Ezdegei Besenyő). Bisseni quidem propter dispersas colonias primum linguam suam amiserunt.

Armeni — Propter Seldscos Turcos in Armeniam incursantes Armenii e patria sua ad septentriones-occasum profugentes in Chersoneso Taurica, in Russia Meridiana, in Galicia-Volhinia in compluribus coloniis domicilium collocabant. Biographia Agapiti ineunte saeculo XII eos Kioviae adfuisse demonstrat, Annales Russici et inscriptions in Magna Bulgaria inventae eos commercium cum principatibus Russicis et cum Magna Bulgaria vetere fecisse affirmant. In Hungariam adhuc ante incursionem Tartarorum (1241) pervenerunt. Prope Strigoniū, sedem regiam Hungariae saeculi XII coloniam propriam constituerunt, quae anno 1281 "terra Armenorum", Hungarice autem anno 1289 "villa Ermēn" (Örmény) nominata est, et quae postea civitati Strigonio adiuncta est (Mon. Strig. II, pp. 142, 248. Cf. K. Schünemann, *Die Entstehung des Städtesens in Südosteuropa*, Bresslau und Oppeln, pp. 56 sq.). Litteras privilegiales eorum, quae incursione Tartarorum quidem deletae sunt, Bela IV. anno 1243 renovavit (Mon.

Strig. I, p. 345 sq.; Reg. Arpad. I, num. 735). Quia unum ex privilegiis eorum erat, ut in toto regno Hungariae a pendendis tributis mercium liberi essent, evidenter mercaturam faciebant (Schütz Ö., Néhány örmény eredetű betegségnevünkról [Az Árpád-kori magyarországi örmények történetéhez] [= De nominationibus aliquot originis Armeniae morborum (Ad historiam Armeniorum in Hungaria aetatis Arpadianae)], MNy 54 [1958] 459 sq.).

Saxones — Tempore magistri Acus Saxones nominati sunt Germani illi, qui in Transylvania circum sedem Hermannopolim (hodie Sibiu), in Hungaria septentrionali autem in Scepusio in lata regione vitam agebant. Primum satis magnum examen Saxonum Transylvaniae medio saeculo XII immigravit, Saxones Scepusienses autem gradatim, multo minoribus examinibus ineunte saeculo XIII immigrare coeperunt. Nominatio “Saxones” non vult dicere cunctos immigrantes e Saxonia ortos esse. Saxones Transylvaniae ineunte saeculo XIII etiam Teutoni, Flandrenses nominabantur. Viri Germani periti historiae, glottologiae et ethnologiae permultum moliti sunt, ut domicilium pristinum Saxonum inquireretur, et saeculo XIX, ut a glottologis constitutum est, certum habebatur regionem Rheni, loca vicina hodierni Lucemburgi patriam eorum veterem fuisse. Ex quo tempore autem ope tabularum geographicarum de linguis diversis descriptarum imaginem clariorem de vita linguarum habemus, sententia evoluta est, quod coloni e pluribus diversis locis orti erant, alii post alios examinibus factis in Hungariam immigraverant, nomen autem Saxonum, id est eorum, qui e Saxonia oriundi erant et qui maximam partem colonorum efficiebant, posterius nomen omnium factum est. Ordo socialis eorum disperitus item in Hungaria evolutus est. Immigrantes coloni agricolae erant, at ductores eorum negotiatores — haud magnam pecuniam habentes — erant, qui colonias deduxerunt. Ipsi in domicilio novo maiorem partem terrarum, simul commoda oeconomica atque, quod maximum apparuit, potestatem iuris dictionis acceperunt. Hi nominati “Gräv”, Hungarico vocabulo “geréb” superiores potestatem iuris dictionis et commoda oeconomica in familiis suis hereditaria facere potuerunt, mox nonnulli eorum in numero dominorum praediorum militantium relati sunt (Maksay F., A szászság megtérülése [= Saxones domicilia in Hungaria collocantes], in Mályusz E., Erdély és népei [= Transylvania et populi eius] Bp. 1941, pp. 87 sqq. cum litteratura; opinio Saxonica: G. D. Teutsch, Geschichte der Siebenbürger Sachsen, Hermannstadt 1925, I⁴; de Scepusio: Fekete Nagy pp. 39 sq.). A rege Andrea III. anno 1291 ita nominati sunt: “Saxones Transylvani predia tenentes et more nobilium se gerentes” (Urkb. Siebenb. I, p. 174). Saxones cum quibusdam divitibus, praedia possidentibus, militantibus, nobilibus Hungaricis familiis matrimonio se coniungentes iam duobus decenniis hunc annum antecedentibus noti sunt (Gyan filius Alardi: Urkb. Siebenb. I, p. 172, Chel filius Ervyn de Kelnek: Mályusz op. cit. Száz. 73

[1939] 408). Indicem vocabulorum locorum compositorum e nomine populi "szász" 'Saxonicus' v. Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 29 sq.

Turingi — Secundum Gesta Simonis de Kéza genus Balog e Thuringia ortum aetate Arpadiana ad dignitates publicas adhuc non perductum est, ramus quidam generis autem saeculo XIV ut familia Szécsi auctoritatem magnam consecutus est (SRH I, 189; Karácsonyi I, pp. 174 sqq.).

Mysnenses et Renenses — Civitas Misna magistro Acus tunc in mentem venire potuit, cum ipse de genere Buzad cogitaret, regionem autem Rheni nomen Saxonum Transylvaniae "Flandrenses" in memoriam ei reducere potuit.

Cumani — In Latinitate Hungarica exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII nomen erat populi nominati "kipsak" (Györffy op. cit., Antiquitas Hungarica 2 [1948] 172 sq.). Lingua Hungarica "kunok" ('Cumanı') nominabantur. Significatio vocabuli "qun, quman": 'luridus, pallidus, cerinus', cui etiam vocabulum "Polovci" in fontibus Russicis, vocabulum Germanicum "valwe", vocabulum Armenicum "χαρτεš" 'flavus' respondent. Nomen ex adiectivo "qu" 'falb' linguarum Turcicae et Mongolicae dicitur. Nominatio igitur inde oriri poterat, quod stirps quaedam originis Mongolicae Cumanorum cutem colore luteam habuit. Initio igitur hoc nomine aliae Turcicae stirpes Cumanos denominaverunt, quo nomine postea ipsi Cumani quoque semet ipsos nominabant (Németh Gy., Die Volksnamen *quman* und *qun*, Körösi Csoma-Archivum 3 [1940—1941] 95 sq.). Cumani Tartaros instantes fugientes, ductu ducis sui Kuthen (Kötöny) re prius disceptata, permisso Belae IV. autumno, anno 1239 immigraverunt. Religionem Christianam suspicere et suprematiam regis Hungariae fateri promiserunt, per mutua autem "libertates" suas, id est consuetudines suas servandas firmare, vitae cultum nullo modo mutari postulaverunt. Sperata tamen neutri contigerunt. Inimicitiae inter Hungaros in sede sua confessos et Cumanos animalia passim pascentes ita ingravescebant, ut anno 1241, in ipso temporis discrimine, cum armis Cumanorum maxime opus esset, Hungari ducem Kuthen necarent, quapropter populus eius regnum vastans reliquit et in Bulgariam excessit. Postquam Tartari e Hungaria egressi sunt, Bela IV. exercitum sibi subditum aucturus Cumanos revocavit, qui in regno devastato iam maiorem regionem possidebant. Rex eos sibi obligaturus filium, qui posterius rex Stephanus V. factus est, anno 1254 cum femina nobili Cumanica matrimonio coniunxit (Paurer II, pp. 148 sq., 204 sq.). Populus Cumanicus in septem tribus divisus est, quibus principes tribuum praeerant, immo quidem, postquam Cumani considerunt, insequentibus decenniis regulus, qui chanus (kán) est dictus, his principibus tribuum praefuit. Fontes Latini hunc regulum ducem, immo quidem regem nominaverunt. Haec affinitas Cumanica domus regiae, cuius significationem Bela IV. eo dedit, quod ducem Cumanorum Zeyhanum "carissimum cognatum" appellavit (Hazai Okmt. VIII, p. 62; Györffy Gy., A kunok feudalizálódása [= Quo modo Cumani societati feudalismi se inseruerint?], in Székely,

Tanulm. p., 255), magnam auctoritatem nobilium Cumanorum augebat ipso quidem tempore, quo magister Acus vitam agebat. Indicem vocabulorum locorum e nomine populi Cumanici derivatorum v. Kristó—Makk—Szegfű I, p. 22.

Latini — Principio nomen collectivum populorum linguas Romanenses loquentium in Latinitate Hungarica est, et nomini etiam apud magistrum Acus haec vis subiecta est. Tamen quia saeculis XII—XIII plerumque e regione Belgii hodierni una cum Flamandicis emigrantes et in regione Hungariae victum quaerentes Vallones lingua Romanensi loquebantur, his duobus saeculis nomen “*Latinus*” vulgo ‘Vallon’ significat. Francogallica forma nominis Latinorum, qui nomine noti sunt (verbi causa: Gyan, Jehans = Jean, Gyletus = Gilles), item quod villa Olaszi in comitatu Scepusiensi Latine “*villa Latina*” (anno 1273), Germanice “*Wallendorf*” (anno 1404) nominata est, Latinos aetate magistri Acus Vallones fuisse probat. Nomini Latinorum mercatorum annexitur, quod civitates veterimae Hungaricae, Strigonium et Alba Regia incrementum ceperunt et civitatum statu ordinatae sunt. In ambobus civitatibus Latini sigilla propria habebant. Strigonii, ut demonstrari potest, sed probabiliter eodem modo et Albae Regiae et Zagrabiae et Varadini, Latini potestatem civitatis administrandae habuerunt (Auner M., *Latinus*, Száz. 50 [1916] 28 sqq., 37; Bárczi G., A középkori vallon—magyar érintkezésekhez [= Ad consuetudines Vallonum et Hungarorum medii aevi], Száz. 71 [1937] 399, 411 sq.; K. Schünemann, *Die Entstehung*, op. cit. p. 69 sq.; Majláth B., Néhány városi pecsét [= Sigilla civitatum aliquarum], *Turul* 3 [1885] 135; Székely Gy., Középkori idegen eredetű polgárságunk elnevezéséhez [= Ad nominacionem civium externae originis medio aevo in Hungaria habitantium], MNY 54 [1958] 100 sq.; Idem, *Wallons et italiens en Europe centrale aux XI^e—XVI^e siècles*, *Annales* 6 [1964] 5 sqq.; Idem, *A székesfehérvári latinok és a vallonok a középkori Magyarországon* [= *Latini Albae Regiae et Vallones in Hungaria medii aevi*], in *Székesfehérvár II*, pp. 45 sqq.; Györffy Gy., A székesfehérvári latinok betelepülésének kérdése [= *Quo modo Latini Albae Regiae domicilium collocaverint?*], ibidem pp. 37 sqq.). Saeculis XI—XIII nomen “*Latinus*” (nomen igitur collectivum populorum lingua Romanensi loquentium) in lingua Hungarica idem erat ac vocabulum “*olasz*” ‘*Italicus*’. Indicem vocabulorum locorum e nomine collectivo “*olasz*” derivatorum v. Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 30 sq. Enumeratio nomina cunctorum populorum tempore magistri Acus in Hungaria viventium non continet. In Gestis verbi causa Slavoni, Croati, Russi omittuntur, quamquam sedes eorum saeculis XI—XII ortas Hungarici incolae in vicinia habitantes denominationibus Hungaricis: Tót(i), Horvát(i) et Orosz(i) distinguentes nominaverunt (Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 23 sqq., 12 sqq.). In diplomatisbus medii saeculi XIII autem nobiles e Slavonia, Croatia et Russia orti memorantur, qui membra ordinis feudalis dominantis Hungarici fuerunt. Iwan dictus Orosz ‘*Russus*’, dominus praedii in comitatu

Arad anno 1288 memoratur (Györffy, Tört. földr., I, p. 178). Rastislaus (obiit anno 1263) — filius ducis Michaelis de Chernigov a Tartaris occisi — Tartaros fugitus ad Belam IV. profugit, cuius filiam, Annam anno 1243 uxorem duxit. Sacer eius, quia ei potestatem in Galicia dare non potuit, in regione meridionali regni Hungariae eum banum Slavoniae et de Macho fecit, ubi tam potens et opulentus factus est, ut se imperatorem Bulgariae gerere posset (Wenzel G., Rosztizlaw galiczai herczeg, IV. Béla magyar királynak veje [= Rastislaus, dux Galiciae, gener regis Hungariae, Belae IV.], Ért. tört. tud. XIII/8, Bp. 1887; Wertner pp. 463 sqq.; Paurer II, pp. 228 sq.). Rayzlaus originis Slavonicae in comitatu Abaujvariensi prima parte saeculi XIII possessor et in numero servientium regis erat. Originem eius nomen praedii: "terra Totrachlow" affirmat (Györffy, Tört. földr. I, pp. 158, 113). Quod Slavoni et Croati non memorantur, interpretari possumus, quia in Gestis populi intra terminos Hungariae habitantes ne tunc quidem peregrini putati sunt, cum regio domicilii eorum armis parta pars regni Hungarici facta esset. Quod autem nulla mentio de Russis legitur, tantum ita intellegi potest, ut scriptor non omnibus populis describendis studuerit. Mentio Ispanorum, Turingorum et Misnensium facta, si comparamus cum populis, quorum nomina omittuntur, incuriose repetita esse videtur.

⟨50.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est. Materiam adnotationum ad caput pertinentium in contextu ab insequentibus discrepanti prodit Mályusz 1971, pp. 37, 42—47, 85—89.

Postquam autem ... in Pannoniam — Scriptor Gestorum ea designat, 238 quae in capite ⟨30.⟩ Th. describuntur, ubi pugna cum Hungaris commissa et mors Svatopluk enarrantur. Tempus adventus in Pannoniam, id est occupationis patriae Hungarorum Th. — secundum fontem, Chronicon Pictum — in capite ⟨28.⟩, sent. 203 prodidit. Ut demonstravimus, hic annus apud Th. 746, in Chronico Picto 677 est, cuius autem posterioris e textu corrupto Th. ratiocinans annum 746, itidem falsum atque ideo reiciendum assecutus est. In Gestis res proxima, cuius tempus numero anni denotatur, est dies natalis Sancti Stephani anno 969 (SRH I, 312, Th. caput ⟨54.⟩, sent. 250). Eo, quod duo, immo tria saecula rebus gestis non explentur — praesertim cum res gestas in Gestis spatiis tam brevibus interiectis legamus —, nec scriptor Gestorum, nec Th. offensus est. Neuter necesse putavit res inter se conferre, nulla adnotatione facta servilem in modum descripserunt textum corruptum, quem ante oculos habuerunt. Interpretatio nostra a Chronico Budensi incipienda esse videtur, ex quo Hungari in Pannoniam anno 888 ingressi sunt (SRH I, 286), qui annus a Reginone sumptus est: "Anno 889

gens Hungarium [!] ... a Scythicis regnis ... egressa est" (Gombos III, p. 2038). Differentia unius anni inter duos numeros est, quae autem textu corrupto simpliciter exstitit. In Chronico Zagrabensi adhuc numerus 889 scribitur (SRH I, 206), atque 888 ita exstitere potuit, ut e numero anni Romanis notis numerorum scripto (DCCCLXXXVIII) una nota recta omissa sit, sicut in codice Monacensi saeculi X Reginonis nota numeri X omissa hic numerus anni in 879 mutatus est (Pawler, Szt. István p. 217). Etiam adnotatio ab Anonymo scripta annum 889 probat. Ut Anonymus tradit, Hungari e Scythia anno 884 emigraverunt. Haud dubium est, quin hic numerus Romana nota numeri V omissa ortus sit (SRH I, 41; Pawler op. cit. pp. 219 sqq.). Ita in fonte communi Gestorum saeculi XIII et Anonymi numerus anni, quem scriptor in rationem induxit, quocum conferens chronologiam constituit et qui in textibus derivatis — denique igitur etiam apud Th. — depravatus invenitur: 889 est.

Anno igitur VII — Annus mortis Svatopluk secundum Reginonem et Annales Fuldenses (Gombos I, p. 132) 894 est. Hoc tempus pro certo haberi potest. Initium occupationis patriae Hungarorum et tempus, quo consederunt ibi, tantum conjectura constitui potest. Opinio historicorum communis accepit annum 896, ut quo occupatio incepit, festa millenaria occupationis patriae celebrando (Pawler op. cit. p. 153). Györffy (A honfoglalásról újabb történeti kutatások tükrében [= De occupatione patriae in speculo studiorum historicorum recentiorum], Valóság 16 [1973] num. 7 pp. 1 sqq.) occupationem patriae in duobus temporibus divisam esse constituit. Anno 895 pars regionis montibus Carpathicis cinctae a Danubio ad orientem sita occupata est, mox anno 900 Hungari Pannonia trans Danubium sita atque regione Nitrensi Magnae Moraviae potiti sunt. In Gestis, ut in superiore adnotatione scriptum est, res ab anno 889 enumerantur, et ita sex annis ad quietem datis — quorum primo patria occupata est — annus septimus secundum Pawler (op. cit. pp. 216 sqq.) 895 statui potest. Ut infra proferetur, rectior interpretatio a Hóman proposita probanda est, ex qua in Gestis patria occupata (anno 889) quies quattuor annorum (890—893) inserta est.

dux Wratislaus — Homo primus domus regnaticis Bohemicae de stirpe Premyslidarum, qui non solum in fabulis, sed etiam in fonte historico (anno 872) memoratur, dux Borivoj erat. Huius filii Spitignewo et Witizla erant, qui anno 895 Ratisbonae una cum ceteris ducibus Bohemicis Arnulphum adierunt, illi apud Cosmam Spitigneu et Wratislaus nominati memorantur. Postquam Svatopluk mortuus est, ducatum dicioni Moravicae subiectum liberaverunt, mox, cum Hungari in Magnam Moraviam impetus factitarent, opportune regione septentrionali hereditatis Svatopluk potiti sunt (Bret-holz pp. 71 sq.; Krones p. 178; secundum Huber I, pp. 136 sq. — falso — Wratislaus non frater, sed filius Spytihněv fuit). Seriem ordine descriptam propaginum stirpis Premyslidarum v. Z. Fiala, Přemyslovské Čechy, Praha 1965, additamentum. Spytihněv circa annum 905 mortuus est, circiter inde

regnum Vratislai computari potest. Si scriptor Gestorum res gestas non accurate ipsius anni 901, sed res totius dominationis Vratislai anno 921 defuncti ante oculos habuisse creditur, Vratislaum Hungaris incursantibus dominationem Bohemiae et Moraviae tenuisse probandum est.

Morauiam ... crudeliter spoliaverunt — In Gestis continetur, quomodo Hungari Magnam Moraviam deleverint et praedaturi quas incursiones im Bohemiam et per eam transeuntes in Saxoniam fecerint. E fontibus occidentalibus adnotationem Annalium Alamannicorum ad annum 902 scriptam sequentes constituere possumus tempus belli contra Moravos gesti: "Bellum in Maraha cum Ungaris et patria victa" (Gombos I, p. 91). Dümmler (III, p. 530) hoc pro victoria Moravorum intellegit ("Im J. 902 trugen die Mährer noch einmal den Sieg davon"), contra eum sententia Paurer (op. cit. pp. 44 sq., 161) rectior esse videtur, ex qua occupatio regionis Posonii, Nitriae, Trenchinii, id est vallium fluviorum Vagi et Nitriae intellegenda est, immo vero adipere possumus auctoritatem dictionis Hungarorum trans fluvium Moravam valuisse, cuius rei inter argumenta esset, quod nomen civitatis Brunnae e Hungarico nomine Berény ortum est (Melich J., Brünn nevéről [= De nomine Brunnae], MNy 36 [1940] 11 sq.).

uno anno quieverunt — Hoc spatium temporis quieti datum, ut Paurer interpretatur (op. cit. p. 216), auctor Gestorum annum 896 fuisse vult, sed id secundum sententiam rectiorem Hóman ita exstitit, ut ille spatium ipsum quattuor annorum in annos 3+1 divideret, quos annis 890—893 collocaret.

Carinthiam — Avaris devictis (anno 803) Carolus Magnus regionem inter Danubium et mare Hadriaticum sitam ad gubernandum marchionibus Foroiuliensibus et Danubiensibus mandavit. Regio, in qua Carantani habitabant, inter duos marchionatus dividebatur, tamen exeunte saeculo IX ut marchionatus Carantanus suae potestatis facta est. Carinthia vetus non solum hodiernam Carinthiam et Stiriam, sed ad septemtriones etiam regionem usque ad Novam Civitatem prope Viennam porrectam, ad meridiem autem Carniolam comprehendit. Nominatio ineunte saeculo X adhuc in omnibus finibus valuit, regionem latam significavit, deinde gradatim terram semper angustiorem ostendit (H. Pirchegger, Karantanien und Unterpannonien zur Karolingerzeit, MIÖG 33 [1912] 273 sq., 299, 303 sq.; L. Hauptmann, Politische Umwälzungen unter den Slowenen vom Ende des sechsten Jahrhunderts bis zur Mitte des neunten, MIÖG 36 [1915] 270 sq.).

Leopach — Hodierna civitas Lubiana (Ljubljana, Laibach) ad flumen Savum est. Mentio veterima eius in diplomate anno 1144 legitur: "Ovdalricus de Laibach frater ducis", id est comes Ulricus Sponheim, frater Henrici, ducis Carinthiae fuit, atque ita Lubiana tunc possessio familiae Sponheim (F. Schumi, Urkunden und Regestenbuch des Herzogtums Krain, Laibach 1882/3, I, p. 97; Mon. Car. III, p. 308 [num. 782]; A. Mell, Die historische und territoriale Entwicklung Kраins vom X. bis ins XIII. Jahrhundert, Graz 1888, pp. 58 sq.), immo sedes possessionum familiae eiusdem erat. (Simul

familia etiam Landstrass — hodie Kostanjevica — possidebat, ubi monasterium Cisterciense erat, quod cum Hungaris coniunctionem habuit.) Parochus eius: de Leibach 1163 (Schumi op. cit. I, p. 121), in nomine ministerialium: de Laibach 1154 (Mon. Car. I, p. 155), ministeriales ducis: de Laibach 1162 (ibid. I, p. 178). Castrum eius a medio saeculo XIII memoratur. Anno 1220 tantum "palatum nostrum [ducis Karinthie]" (Mon. Car. IV/1, p. 116) dicitur, sed anno 1256 "dominus Carniole" unum ex sex "castris capitalibus" (ibid. 491) et etiam anno 1268 domicilium suum dux castrum nominat (ibid. IV/2, p. 696). Quamvis igitur in fontibus narrativis saeculi XV res medii saeculi XIII tractantibus tantum simpliciter Laybach dicatur et non castrum nominetur (Oesterley p. 374), medio saeculo XIII iam castrum nominatum esse potest.

Meranie — Merania Dalmatiam et Croatiam, igitur oram maritimam Hadriaticam significat. In indice Mon. Car. (IV/2, p. 975) ad Meranum Tirolense falso adiungitur. Titulo "duces Meraniae" praediti, quamquam ibi iurisdictionem non tenentes ab anno 1152 comites Dachani (Dachau), ab anno 1180 comites Andacenses (Andechs) erant. Domus comitum Andacensem e Bavaria orta est, in Carniola latifundia possidebat, anno 1173 autem marchionatum Istriensem adepta est (in appendice Mon. Car. IV/2 stemma gentile invenitur).

Gothfridus — Stemma gentile familiae Andechs bene notum est, tamen in hoc nemo Gothfridus nominatus invenitur. Quia titulus dux Meraniae medio saeculo XII apparet, quae de hac re in Gestis tractantur, cum rebus ipso ineunte saeculo XI gestis non congruunt. Hoc nomen per uxorem regis Andreae II., Gertrudem scriptori notum fieri potuit. Gertrudis enim filia Bertoldi IV. (obii anno 1204) se ducem Meraniae nominantis erat (Paurer II, p. 32).

dux Carinthie Eberhardus — Carinthiam anno 976 imperator Otho II. ad ducatum provexit. Ante hoc tempus ducem Carinthiae dicere omnino anachronismus esse videtur. Nec in indice nominum ducum, nec antea in indice nominum comitum Carinthiae Eberhardus invenitur (Mon. Car. II index, pp. 154 sq., IV/2 index, pp. 789 sq.; Erläuterungen zum historischen Atlas der österreichischen Alpenländer, I. Abt. 4. Teil, A. Jaksch—M. Wutte, Kärnten pp. 52 sq.). Dux Carinthiae, Adalbero (1011—1035) quidem, affinis imperatoris Conradi II. fratrem, nomine Elberhardum habuit, qui proavus rami Runensis (Reun) etiam de relationibus Cisterciensibus Hungaricis notus factus est (Krones p. 206; Mell op. cit. pp. 121 sq.), tamen cum hoc talem coniunctionem Hungaricam quaerere, ut ea nomen quoque eius scriptori Gestorum notum reddat, nimium incertum videtur.

Gregorius Aquilegiae patriarcha — Index fide dignus nominum patriarcharum Aquilegiae saeculorum X—XII compositus est (P. Gams, Series episcoporum ecclesiae catholicae, Ratisbonae 1873, pp. 773 sq.; Schmidinger pp. 165 sq.), atque ita patriarcham Gregorium nominatum tribus saeculis supra dictis non vixisse constitui potest. Sed patriarcha nomine

Gregorius (de Montelongo) erat, qui aequalis magistri Acus annis 1251—1269 hac dignitate praeditus erat, et affinis Andreae II., Bertoldi Meranensis (1218—1251) successor erat. Extremus assetator papae id est guelf dictus, notarius et legatus papae Innocentii IV. fuit, antequam patriarchatum adeptus est (Mell op. cit. pp. 91 sq.).

Carniola — Vallis superior fluvii Savi est, quae ut terra confinis 239 Carinthiae adiuncta est. Regio Craina nominata primum anno 973 appareat in forma: “Carniola vulgo Creina marcha” (Schumi op. cit. I, p. 11; Jaksch op. cit. tom. III. p. 54 num. 134), sed nomine Latino Carniola iam Paulus Diaconus et Cosmographia Ravennatis Anonymi saeculi VIII quoque utuntur (Krones pp. 208, 211 sq.; Mell op. cit. pp. 9 sq.). Nomen Carniola, quae in Gestis legitur, respondet igitur rebus ineuntis saeculi X, item ac rebus medii saeculi XIII. Dum enim in postremo triente saeculi X et saeculo XI conformatis marchionatibus regio “marchia Carniole” nominata est, ab anno 1077 hoc nomen tantum in diplomatibus imperatoriis et in quibusdam diplomatibus ecclesiasticis specialibus invenitur, at ubique alibi “Carniola” ei subit (V. Hasenöhrl, Deutschlands südöstliche Marken im 10., 11. und 12. Jahrhundert, AÖG 82 [1895] 524 sqq.). Ex hac consuetudine sermonis saeculi XIII in cancellaria Belae IV. anno 1263 scriptum est Agnetem Andechs “dominium Karniole” regi Hungariae demandavisse (Fejér IV/3, p. 102).

Stiria — In regione ducatus Carinthiae saeculo XI singuli comitatus suo iure crescere cooperunt, ex quibus “marchionatus Carantanus”, id est Karantanenmark, qui ad medianum vallem fluvii Murae extenditur, medio saeculo XI sub dicionem comitis Ottocari redactus est, qui e Chiemgau in Bavaria ortus et etiam in Traungau possessor erat. Familia regnans Ottocarus sive Traungau nominata, cuius proavus Ottocarus erat, sedem castrum Styrburg ad confluentes fluvios Styram (Steyr) et Anesum (Enns) aedificatum habuit. Familia se de hoc castro nominavit testibus diplomaticis, quae ex ultima parte saeculi XI supersunt, et nomen, quod principio in forma “marchio de Stire” sive “marchio Stirensis” in usum venit, primum disperse, dein constanter vocabulum regionis a familia gubernatae factum est. Post vocabula anno 1088: “marchio Stirie”, anno 1163: “castrum Styria”, ab anno 1181: “dux Stirie”, anno 1183: “princeps Stirie”, quae in diplomatibus quibusdam inveniuntur, ex fontibus narrativis Continuatio Admontensis, quae inter annos 1197—1200 scripta est, vocabula ad annum 1170 scripta: “terra nostra in Stiria”, Continuatio Claustroneoburgensis autem vocabula ad annum 1199 scripta: “rex Ungarorum confines Austrie et Stirie ... devastavit” continent, quae vocabula statum ultimum translationis nominis demonstrant. Nomen Karantanenmark igitur ad finem saeculi XII in formam Mark Steier, quae hodie Steiermark dicitur, transformatum est (Huber I, pp. 190 sq.; Hasenöhrl loc. cit. 492 sq.; Erläuterungen zum historischen Atlas der österreichischen Alpenländer, I. Abt. 1. Teil, [H.

Pirchegger, Steiermark] Wien 1917², pp. 197 sq.). Itaque nominatio Stiria in Gestis ante finem saeculi XII oriri non potuit.

Abinde spoliata ... preda sunt reversi — Ut scriptor Gestorum computavit, annus huius belli atque annus rerum, quae cum rege Conrado coniunctae memoratae sunt, e computatione satis contorta Pauler (Szent István p. 216) annus 897 esset. Fontes narrativi occidentales proelia in Carinthia conserta ad annum 901 annexentes et cladem Hungarorum prodentes ita de iis commemorant: Annales Fuldenses: “Ungari australem partem regni Baio-wariorum Caruntanum devastando invaserunt” (Gombos I, p. 133), Chronicon Suevicum universale: “Ungarii Carentiam invadunt et in sabbato commissa pugna occiduntur” (Idem I, p. 684), Herimanni Augiensis Chronicon: “Ungarii Carentanum petentes commissa pugna victi caesique fugiunt” (Mon. Car. III, p. 30, num. 73). In capite Gestorum brevi commemorationi Gestorum veterum (de qua initio capitinis in sequentis tractatur) scriptor notitias ad aetatem suam (medium saeculum XIII) pertinentes permiscet. Nomina geographica et nominationes iuris publici proprietates sunt saeculi XIII. Descriptio ipsius pugnae narrando certamen Belae IV. et filii, regis Stephani V., id est ducis Stiriae pro hereditate Babenbergensi dilucida et vivida redditur. Ad hanc hereditatem comparandum post mortem (1246) ducis Austriae Friderici Bela IV. et Otacarus II. e stirpe Premyslidarum ortus, filius regis Bohemiae Venceslai animum adiecerunt. Ambo coniunctionibus familiaribus faciendis vindicias confirmaturi erant. E membris familiae de Babenberg tantum duae feminae supererant: Margarita, soror ducis Friderici, quae vidua Henrici, filii imperatoris Friderici II. erat, et Gertrudis, soror patruelis item ducis Friderici, quae prius uxor, mox vidua Vladislai, filii natu maioris Venceslai, regis Bohemiae, postea autem Herimanni, marchionis Badensis erat. Otacarus e stirpe Premyslidarum ortus anno 1252 Margaritam uxorem duxit, Bela IV. autem Roman, filium ducis Galiciae, Danilo (obiit anno 1266) maritum Gertrudi conciliavit. Nam Leo, frater natu maior Roman prius filiam Belae IV., Constantiam uxorem duxit, atque ita in numerum propinquorum regis Hungariae relatus est (Wertner pp. 485 sqq.). Roman, quoniam a Bela IV. contra Otacarum satis non est adiutus, uxorem dimittens domum reversus est. Ita Otacarus et Bela IV. anno 1254 hereditatem inter se divisorunt: regi Hungariae Stiria obvenit. Primores Stiriae dicionem Hungaricam asperam esse putabant tum quoque, cum Bela IV. filio, qui postea rex Stephanus V. factus est, duci Stiriae gubernationem mandavit (1258), et non solum dignitatibus regionalibus, sed etiam publicis Stirienses praefecti manserunt. Stiriensibus vi et armis resistantibus Stephanus V. abire coactus est, et anno 1261 etiam Poetovione (hodie Ptuj) dux novus Otacarus e stirpe Premyslidarum ortus potitus est (Pauler II, pp. 219 sq.; Pirchegger op. cit. pp. 199 sq.). Conatus ergo Belae IV. haud prospere evenerunt, et consilium, ut regionem longius sitam, Carniolam in dicionem suam redigeret, eo minus exequi potuit. Ad hoc consilium Belae titulum

soror consobrina, Agnes, quae quondam uxor ducis Friderici de Babenberg fuit, praestitit, possessiones suas, quas in ea regione habuit, hereditatem Andechs, ut "dominium Carniole" ei tradendo (Fejér IV/3, pp. 100 sq.; Reg. Arpad. I, num. 1335; Mell op. cit. p. 106). Haec omnia aequali magistro Acus nota esse potuerunt, item ipse non ignoravit anno 1259 Stephanum V. in Carinthiam invasisse et "magnam partem regni valde devastavisse, Cumanos exercitus eius suo more solito ad rixam promptos quod inflammare, rapere potuerunt, id inflammavisse, rapuisse" (Pawler II, p. 232). Magistro Acus etiam nomina Carniola Stiriaque nota esse potuerunt, necnon ipse duces Meraniae et Carinthiae atque patriarcham Aquilegiae cognitos habere potuit. Huius nomen (Gregorium) in tempus occupationis patriae reposuit, pari modo et munera prius memoratorum, nominibus Germanicis vulgo notis nominans eos, quamquam nomen Gothfridum describens etiam Godofredum Marburgensem putare potuit, qui tempore ducatus Stephani V. "iudex provincialis" Stiriae fuit (Pirchegger op. cit. p. 210; I. Zahn, Urkundenbuch des Herzogtums Steiermark, Graz 1903, III, pp. 226 sq., 238 sq., 240, 277 etc.).

Cesar igitur Conrardus — Anno 911, cum stirps Francico-orientalis domus Karoling in Ludovico Puer extincta est, dux Francorum, Conradus (obiit anno 918) rex Germaniae suffragiis factus est (Cartellieri p. 4.). Scriptore Gestorum eum falso imperatorem dicit. Corona imperatoria ab anno 901 Ludovicus III., ab anno 915 autem Berengarius I. ornatus fuit.

exisset de Italia — Rex Conradus nunquam in Italia fuit (regnum eius accurate tractatur: Dümmler III, pp. 574 sq.).

Augustam Sweuie civitatem — Augusta Vindelicorum, ut a Romanis nominata est (hodie Augsburg), in regione meridionali-occidentali hodiernae Bavariae invenitur. Haec regio nomine Suevia ab anno 920 legitime quoque ducatus Sueviae fuit.

Et cum exisset ... interea intestinum — Conrado I. praeter duces Saxoniae et Bavariae etiam cum comitibus Suevicis bellandum fuit (Dümmler III, p. 611). Mentio Augustae Vindelicorum memoriam dimicationis cum his consertae renovat. Nomina comitum Erchangeri et Berchtoldi memorata (cf. SRH I, 309; Th. caput <52.>, sent. 245) scriptorem Gestorum adnotationem Reginonis de bello civili novisse demonstrant. Sed mentio de Romanis facta nullam rationem habet, item opinio, ex qua Conradus contra Hungaros bellum duxerit. Conatus irritus non a Conrado, sed a decessore eius, a Ludovico Puer anno 910 factus est, qui poenam mortis minitans ad bellum proficiisci iussit, atque ita Bavari, Suevi et Franci iussa capessentes congregati quidem sunt. Hungari ad Augustam Vindelicorum cum rege congressi sunt. Germani diu fortiter resistebant, sed Hungaris in speciem fugam capessentibus ordines Germanorum dissoluti sunt et Hungari retro vertentes proelio vicerunt (Pawler, Szt. István p. 53; Dümmler III, pp. 557 sq.; in SRH I, 305, adnot. 3 falsa est, quia in Continuatione Reginonis non de Hungaris, sed de Francis dicitur: "miserabiliter aut victi aut fugati sunt").

retrocedere oportebat — Quod ad tempus pertinet, scriptor Gestorum — ut Pauler computat — rem eodem anno, quo bellum Carinthiense gestum est, id est anno 897 factam esse putavit (Pauler, Szt. István pp. 216 sqq.).

Inter hec Hungari ... partes perreixerunt — Spatium trium annorum igitur secundum Pauler (op. cit. p. 216) annis 897—899 fuit. Tamen, ut Hóman (pp. 80 sq.) rectius interpretatur, sexennium (895—900) primum hic provenit, et tantum corrupto textu in versus superiores delatum est. Anachronismi multi, qui proprii descriptorum annorum 889—901 sunt, ipsi scriptorem partis saeculi XIII Gestorum suo arbitrio res scripsisse declarant. Tamen numeri annorum (889 et 901), qui explicari possunt, scriptorem rerum gestarum potissimum adnotaciones ratione annalium conscriptas secutum esse admonent. Iam diu notum est fontem eundem esse atque Chronicon Reginonis. Textus nativus parce utitur verbis: “Anno 889 ... Carantanorum, Marahensium ac Vulgarum fines crebris incursionum infestationibus irrumpunt, perpaucos gladio, multa milia sagittis interimunt ... Anno 894 Circa haec etiam tempora Zuendibolch rex Marahensium Sclavorum ... diem clausit extremum ... Ungaris omnia usque ad solum depopulantibus ... Anno ... 901 gens Hungarium Langobardorum fines ingressa caedibus, incendiis ac rapinis crudeliter cuncta devastat. Cuius violentiae ac beluino furori cum terrae incolae in unum agmen congregati resistere conarentur, innumerable multitudo ictibus sagittarum periit, quam plurimi episcopi et comites trucidati sunt. Liudwardus episcopus Vercellensis ecclesiae, Caroli quondam imperatoris familiarissimus et consiliarius a secreto, assumptis secum opibus atque incomparabilibus thesauris, quibus ultra, quam estimari potest, habundabat, cum effugere eorum cruentam ferocitatem omnibus votis elaboraret, super eos inscius incidit ac mox interficit; opes quae secum ferebantur, diripiuntur” (Gombos III, p. 2039; Quellen zur karolingischen Reichsgeschichte, III. Teil, unter Benutzung der Übersetzungen ... neu bearbeitet von R. Rau, Berlin 1960, pp. 284 sq., 302, 310 sq.). Pars e textu omissa ipsa aetatem transcribendi monstrat. Scriptor quidam saeculi XI non offensus esset affirmatione, quod sagitta, non autem gladium summum telum Hungarorum erat, nam ipse Anonymus ineunte saeculo XIII ita repetit: “multitudo Lombardorum ... ictibus sagittarum periit” (SRH I, 107). Errores in serie temporum descripti quoque scriptorem saeculi XIII non ex opere ipsius Reginonis materiam sumpsisse, sed chrono priore quodam Hungarico conscripto usum esse, atque textum non semel transcriptum Reginonis perturbatum esse fidem faciunt. Secundum opinionem a multis acceptam hoc chronicon compositum idem est atque Gesta vetera saeculi XI, id est partes congruentes operis Anonymi et Gestorum ad haec Gesta vetera reduci possunt, quorum auctor opere Reginonis quoque usus est (Dománovszky pp. 82, 128 sqq.; Hóman pp. 80 sqq.; Mályusz 1966, p. 717; Csóka pp. 357 sqq.). Contra haec Kristó comprobare conatur fontem communem Anonymi et scriptoris Gestorum chronicon quoddam exeunte saeculo XII

et ineunte saeculo XIII conscriptum fuisse atque hoc chronicon conscriptum primum in Hungaria opere Reginonis ad usum convertisse (Kristó 1972, MKSz 166 sq.; 1970, FK 106 sq.). Pauler numeros annorum in Gestis satis mechanice, at Hóman (pp. 80 sq.) ipsa Gesta vetera restituturus cohaerentiam cum textu Reginonis magis quam Pauler invenit. Summarium tractatus eius hoc est: utraque bella (annis 889 et 894) cum Moravis et Carantanis commissa in Gestis veteribus, quae Reginonem sequuntur, ad annum 889 adiuncta sunt. Postea intervallum quattuor annorum (890—893) insertum est, et bellum cum Bulgaris gestum ad annum 894 transpositum est, auctor sic consecutus est, ut anno apud Reginonem scripto in Gestis quoque res gesta quaedam memoriae traderetur. Annis 895—900 intervallum sex annorum fuit, mox annus 901 iterum congruenter cum Reginone tempus belli cum Italis gesti fuit. Ex quibus omnibus ratio scribendi auctoris Gestorum veterum facile intellegi potest: tempora annorum apud Reginonem inventa servata sunt, intervalla autem annorum, cum apud Reginonem de Hungaris nulla mentio est, tempus quietis dicta sunt. Hic textus e Reginone conscriptus posterius sic corrumpebatur, ut in Gestis saeculi XIII et ex eis in opere Th. ad nostram aetatem remansit.

⟨51.⟩

Caput ex opere magistri Acus conscriptum est secundum Gesta vetera. Mályusz (1971, pp. 48 sq., 90—94) materiam adnotationum ad caput pertinentium in cohaerentia discrepanti cum sequentibus prodit.

Hungari devastant Bulgariam — Index idem est atque index capititis 240 Chronici Picti: “Hungari devastant Bulgariam” (SRH I, 305).

Anno autem quarto — Hic annus, ut Pauler computat, annus 900 est, sed secundum rectiorem interpretationem Hóman tempus rei in textu pristino Gestorum annus 894 est.

Anno autem ... Bulgariam invaserunt — Hungari cum Bulgaris ante ipsam occupationem patriae (896) pugnaverunt, et quia tunc cladem magnam acceperunt, in certamen venire cum illis posthac noluerunt. Anno 895 Hungari, qui in pugna Graecos pro imperio paeninsulae Balcanicae pugnantes adiuerunt, malo affecti sunt, nam in campo, ubi pugnatum est, a Graecis destituti cladem acceperunt, interea autem Bisseni, socii Simeonis imperatoris Bulgarorum, descensus Hungarorum in Etelkuzu everterunt, et incolas, qui domi remanserunt, decimaverunt (Pauler, Szt. István pp. 31 sqq.). Hac strage duplici Hungari profugentes non solum patriam novam querere coacti sunt, sed etiam ad sibi cavendum hostes orientales terribiles admoniti sunt. Diplomatae ergo Byzantii Hungaris persuadere, ut Bulgaros invaderent (917), frustra conabantur, usque ad mortem imperatoris Simeonis (927) omnes conatus eorum iam a primo ad repulsam ferendam destinati

sunt (Paurer op. cit. p. 68; Deér p. 27). Quae cum ita sint, enarratio scriptoris Gestorum in re ineunte saeculo X gesta nullo modo niti potuit.

armenta — In variantibus Chronici Budensis: “*armenta*”, in variantibus Chronici Vindobonensis: “*arma*” legi potest, quae discrepantia autem in SRH (I, 305) tantum ad *S* et *V* pertinens ostenditur.

Anno autem ... habent et possident — Ipsa vocabula e Gestis veteribus sumpta esse possunt, quia etiam apud Anonymum inveniuntur: “presidia subverterunt et regiones eorum possiderunt et usque in hodiernum diem adiuvante domino potenter et pacifice posteritas eorum detinet” (SRH I, 100). At Anonymus vocabula ad Carantanos apud fluvium Muram habitantes refert (“Carinthiorum Moroanensium fines”) et quidem quia horum nomen e nominibus “Marahensis” (‘Moravus’) et “Carantanus” composuit, pro certo habemus fontem eius communem cum auctore Gestorum saeculi XIII, id est Gestorum vetera regionem Transdanubianam, id est regionem Hungariae occidentalis, quae e Moravia erupta est et incolas Carantanos habuit, putavisse. Regionem igitur, qua Hungari patriam occupantes potiti sunt, et quae Hungarorum esse medio saeculo XI iure dici potuit. Adnotatio scriptoris Gestorum veterum rei in commentariis Reginonis ad annum 889 scriptis memoratae adiungitur, id est occupationi patriae. In Gestis autem saeculi XIII alio anno et tantum Bulgaris adiuncta legitur. Vocabula scriptor Gestorum saeculi XIII transtulit et quidem historiam temporis accommodans. Medio saeculo XIII iam per se intellegabatur regionem, quam quondam Moravi et Carantani possidebant, partem Hungariae esse, itaque hoc praedicare iam supervacaneum fuit. At vocabulis supra dictis vindiciae in Bulgaria eo magis approbari potuerunt, ex quo tempore Bela IV. sese ad tempus regem Bulgariae nominavit, Stephanus V. autem anno 1271 titulis regum Hungariae vocabula “Bulgariae rex” stabiliter inseruit (Szentpétery I., Bulgárország IV. Béla királyi címében [= Bulgaria titulis regiis Belae IV. inserta], Klebelsberg Emlékkönyv [= Liber memoriae Klebelsberg conscriptus], Bp. 1925, pp. 225 sqq.; Horváth p. 344). E contentione imperii vindicandi contra Bulgaros primis decenniis saeculi XIII ad ripam laevam Histri in regione a Bulgaris erupta et Hungariae adiuncta banatus Zeuriensis (Szörényi bánság) conformatus est ad defendendum regnum Hungariae, simul ut fundamentum vindiciarum futurarum exsequendarum esset (Paurer II, pp. 139, 197; v. caput (124.), sent. 512 sq.). Vocabula memorata Gestorum imprimis ad hanc regionem referri possunt. Bulgari occasione data regiones amissas recuperare, aut ibi saltem praedari et rapere conabantur, ita etiam anno 1260, cum bellum inter Bohemos et Hungaros ortum est, qua ex causa Hungari ulciscendi causa in Bulgariae irruperunt. Sed Stephanus V. adhuc ut rex iunior cupidine regni proferendi anno 1266 bellum Bulgariae intulit, cum civitatem Bidinum (hodie Vidin) ad Histrum occupavit vastans et praedans usque ad principalem sedem Tirnobum (hodie Veliko Tirnovo) irruit et Iacobum Sventslauum, qui in regione occidentali Bulgariae regnabat et olim vasallus regis Hungari-

ae erat, sed sui iuris fieri studebat, iterum dominio Hungarico subiecit (Paurer II, p. 265; Idem, V. István bolgár hadjáratai [= Bella Stephani V. in Bulgariam ducta], Hunfalvy-Album, Hunfalvy Pál félszázados akadémiai tagsága emlékére [= Album Hunfalvy, In memoriam sodalitatis academie quinquaginta annorum Pauli Hunfalvy], Bp. 1891, pp. 170 sq., 174; Jireček I, p. 320). Regio montuosa, quae in parte occidentali hodiernae Bulgariae et in parte orientali hodiernae Iugoslaviae porrigitur et tunc in potestatem Stephani delata est, non longius in dizione Hungarica remansit, tamen vindiciae Hungarorum affirmari potuerunt tempus, quo finitima regio Severiensis a Hungaris occupata est, in aetatem occupationis patriae ponendo. Occupatio quidem Bidini in Gestis quoque memoratur, cum res Stephani V. tractantur (SRH I, 470, Paurer op. cit. in Album Hunfalvy p. 169).

Postquam autem — Res in Italia quae inferius descriptae sunt, ex computatione Paurer anno 901 gestae erant.

Forum Iulii — Nomen civitatis Romanae “Forum Iulii” in nomine regionis orientalis Italiae septentrionalis, hodie “Friuli” (Friaul) superest. Terra, quae inter Alpes et mare Hadriaticum regionem fluviorum Taliaventi (Tagliamento) et Isantii inferioris (Isonzo) amplectitur, aetate Caroli Magni in marchionatum Francicum (marchia Foroiuliensis) conformata est, cuius marchio, Berengarius annis 888—924 rex Italiae fuit.

marchiam Longobardie — Marchionatus Langobardicus in Gestis falso memoratur. A Reginone, fonte textus excerpti recte pars regni a Hungaris invasa “Langobardorum fines” nominatur (Gombos III, p. 2039). Apud Anonymum vocabulum “marchia Lombardie” legitur (SRH I, 107), similiter in S (SRH I, 305). In Gestis Simonis de Kéza rectissime: “Lombardia” (SRH I, 168) est, at in cunctis aliis variantibus Gestorum vocabulum “marchia Longobardie” invenitur, quod quidem etiam in textu Th. transcriptum est. In fonte communi Anonymi et magistri Acus, in Gestis veteribus sine dubio vocabulum “marchia Lombardie” fuit, itaque vocabulum “marchia Longobardie” saeculo XIV formatum esse videtur. Et a scriptore Gestorum atque a Th., qui eum sequitur, et ab Anonymo vocabula “marchia Longobardie” sive “Lombardie” disiunguntur partim a Foro Iulii (Friaul), partim ab ipsa vera Lombardia. Haec distinctio igitur a scriptore Gestorum veterum orta esse potest. Quia Lombardia ac media pars Italiae septentrionalis etiam campum Padanum complectens, quae nunc quoque sic nominatur, eadem est, terra inter eam et Forum Iulii iacens regio civitatum Veronae et Tervisii (hodie Treviso) dici potest. Anno 899 comitatus Veronensis et marchionatus Foroiuliensis sub dicionem communem venerunt, similiter medio saeculo X. In Gestis veteribus non hic status redditur, sed qui post unum dimidiatumque saeculum exstitit. Status ideo mutatus est, quia marchionatus Veronensis ab Italia seiunctus anno 952 ad ducatum Bavoricum, anno 976 autem ad Carinthiam adiunctus est. Marchionatus in tres comitatus: Veronensem, Tervisiensem et Foroiuliensem

est divisus, quibus comites sui iuris praefuerunt. Comes Veronensis marchio Veronensis est appellatus. Forum Iulii potestate patriarchae Aquileiensis, qui etiam praefectus provinciae fuit, progrediebatur longius, ut sui iuris fieret, cuius rei indicum est, quod patriarcha anno 1076 potestatem comitis adeptus est, sed iam medio saeculo etiam comites saeculares, membra familiae Eppenstein pro suo iure augendo nitebantur (Schmidinger pp. 60 sq.). Vocabulum “marchia Lombardie” marchionatum Veronensem medii saeculi XI inter Forum Iulii et Lombardiam situm significat. In Gestis igitur veteribus vocabulum vulgare et incertum “Lombardorum fines” Reginonis cum nominatione magis definita “marchia Longobardie” permutatum est, quod etiam tempus operis conscripti explicatur.

civitatem Padwam ... consumpserunt — Devastationem Padovae cum sententia scriptoris Gestorum congruenter etiam Anonymus enarrat (“civitatem Paduam cedibus et incendiis et gladiis et rapinis magnis crudeliter devastaverunt”, SRH I, 107), quod Gesta vetera fontem amborum fuisse probat. Explicari non potest, cur hic fons communis prorsus Padovam memoraverit. Partim fons Gestorum veterum, Regino ne mentionem quidem huius civitatis facit, partim secundum argumenta diplomatum Hungari in locis vicinis civitatis multa vastabant, et ipsam civitatem inflammaverunt, tamen eam capere nequierunt (Gombos F. A., A honfoglaló magyarok itáliai kalandozása [= De incursione in Italia Hungarorum patriam occupantium] [898–904], HK 28 [1927] pp. 477 sq.).

Linthar ... occidentes — Carolus III., cui regno Karoling anno 876 dispertito Suevia obvenit, anno 880 autem rex Italiae, anno 881 imperator factus est, anno 878 rectorem cancellariae unicum Liutwardum, dilectum virum praefecit, qui loco humili se emersit. Anno 880 episcopatum civitatis Vercellensis (hodie Vercelli) inter Mediolanum (Milano) et Augustam Taurinorum (Torino) sitae adeptus est. Cupiditate habendi invidiam multorum in se convertit, familiam autem aliis praferendo, nam cognatos cum filiabus familiarum generosarum et opulentium matrimonii coniunxit, complures sibi inimicos fecit. Imperator anno 887 consiliarium omnium potentissimum dimittere coactus est, qui tunc in Bavariam ad Arnulphum animum eius contra dominum priorem inflammaturus properavit (Dümmler III, pp. 109, 276 sq., 280 sq., 300 sq., 509; Cartellieri pp. 333, 339 sq.; Bresslau I, pp. 415 sq.). Dies, quo mortuus est, ex Necrologio Augiensi et ex Necrologio Sancti Galli notus est: 24 mensis Iunii (M. G. H. Necr. I, pp. 277, 476). Regino adnotationem de morte eius ad annum 901 adiungit, tamen aperte falso, quia mense Martio episcopus Vercellensis iam non Liutwardus erat (Gams p. 825). Dümmler et Cartellieri arbitrantes anno 900 Liutwardum mortuum esse difficultatem chronologicam dissolvunt. Gombos fontibus accurate examinatis (op. cit. HK 28 [1927] 437, 448), sicut iam etiam Paurer (Szt. István pp. 36 sq.), Liutwardum anno 899, quo ad Brentam pugnatum erat, mortuum esse arbitratur.

cum Victoria redierunt — Bellum anno 899 in Italiam gestum Gombos tota materia fontium nisus omnino clarum expedivit (op. cit. 429 sqq.). Imprimis constituit Hungaros non solum causa praedandi incursionem fecissi, sed explorare voluisse res publicas et situm geographicum in Italia, possentne considere in paeninsula, in campo Padano, et tantum postquam sibi persuasum est incolas praesidiis et munitimentis defensos esse, neque ibi se ipsos iam pedem ponere posse, consilio considendi destiterunt (503 sq.). Via, qua in Italiam pervenerunt, trans Carniolam in valle Vipaci (hodie Vipava, Wippach) et trans Goritiam (hodie Gorizia) continuans pristinam Viam Postumiam Romanorum duxit. Etiam “strata Hungarorum” nominabatur. Nominatio utique peculiaria primum in diplomate anno 967 scripto imperatoris Othonis appareret, sed in diplomatis papae et imperatoris quoque saeculo XII memoratur (Gombos op. cit. 462 sq.; Schmidinger pp. 32, 140, una cum bibliographia ubere quaestio[n]is).

decem ... undecimo — Si quies decem annorum annis 902—911 fuisse ²⁴¹ computatur, annus undecimus anno 912 congruit (Hóman p. 81).

Saxoniam — Ducatus Saxonie in eunte saeculo X idem erat ac regio a cursu inferiore Rheni usque ad fluvios Albim (Elbe) et Salam (Saale) sita.

Turingiam — Pars Germaniae mediae circa civitatem Erfurtum (Erfurt) est, cui marchionatus Thuringiae adiunctus est, cuius sedes Misna (Meissen) erat ad septentriones a Bohemia.

Sweuiam — Ducatus Sueviae a ducatu Bavariae ad occasum situs est et trans Rhenum etiam Elisaciam (hodie Alsace) est complexus.

Francosque orientales et Burgundos — Ducatus Franciae, qui fluvio Moeno (Main) in duas partes divisus est, ad septentriones ducatui Saxonie, ad meridiem ducatibus Sueviae et Bavariae adiacuit. Civitas notissima regionis frequentis incolis Francicis orientalibus, quae “Francia orientalis, Franconia” nominabatur, Wirsburgum (Würzburg) erat, regionis autem Rhenanorum, quae “Francia Rhenensis” est dicta, Francofurtum ad Moe-num (hodie Frankfurt a. M.). Confinium inter eas fluvius, qui hodie nominatur Spessart, erat. Continuator Reginonis, fons scriptoris Gestorum veterum hanc orientalem Franconiam memoravit, cum incursiones Hungarorum narraret, et quia Anonymus quoque significazione vocabuli geographici est usus, dubium non est, quin res in Gestis veteribus quoque recte descripta fuerit. Scriptor igitur Gestorum saeculi XIII erravit, cum Francos et Francogallos eosdem esse putans locum rerum gestarum longius ad occidentem transtulit et nomen Francogalicum orientale interpretaturus ei coniunctione “id est” nomen Burgundum adiecit, locum rerum gestarum in Burgundia, ergo in regione Francogalliae Orientalis fuisse constitutus (Pau-ler, Szt. István pp. 222 sqq.). Fieri potest, ut aetate eius, saeculo XIII nominatio “Francia orientalis” iam non usitata sit: episcopi Wirceburgenses iuris dictionem ducis Franciae anno 1168 ab imperatore Friderico I. sibi demandatam et probatam affirmatur tantum in eunte saeculo XV titulum “Herzog von Ostfranken” suscepserunt. Nominatio a Pais falso interpreta-

tur, qui incolas ad Rhenum habitantes orientalis regionis imperii Francorum, at non ipsos Francos inter fluvios Mosam (Maas) et Ligerem (Loire) existentes Francos orientales esse putat (SRH I, 108, Anonymus p. 115). Th. vocabulum “id est” in “et” mutando textum corrigit, cum Francos orientales — recte — incolas orientalis regionis ducatus Franciae esse putaret, at apud eum nomen Burgundionum, quod in Gestis saeculi XIII ad interpretandum adscriptum est, locum belli gesti constanter in campo late patenti ostendit. Correctio textus a correctore editionis Augustanae facta esse credi posset, at quia in *b* quoque “et” legitur, correctionem a Th. factam esse credendum est.

castrum Abah — Nomen ignotum est, locus quoque incertus est. Neque Continuator Reginonis, neque Anonymus mentionem eius faciunt, itaque nec in Gestis veteribus inesse potuit. Incertum est, unde magister Acus hoc nomen Gestis inserere potuerit.

Alemanorum — Alemania et Suevia idem ducatus est.

anno ... redeuntes — Scriptor Gestorum veterum in enarratione belli, quod anno 912 gestum esse habetur, relationes Continuatoris Reginonis de incursionibus Hungarorum, quae annis 907, 908, 909, 910 et 912 factae sunt, conscripsit. Haec vocabula Continuatoris Reginonis ad res gestas illorum annorum scripta: “Bavarii”, “Saxoniam et Turingiam”, “Alamanniam”, “Franci in confinio Bavarie et Francie”, “Franciam et Turingiam” adiecto vocabulo anni 924 “Francos orientales” (Hóman pp. 80 sq., Gombos I, p. 781), apud Anonymum sic leguntur: “Bauariam, Alemanniam, Saxoniam atque Turingiam”, “Lothorigiam et Alemanniam”, “Francos orientales in confinio Franconie et Bavarie” (Hóman p. 80). Textu Continuatoris Reginonis cum textu Anonymi et textu Gestorum saeculi XIII, quem in manibus habemus, comparato hos non solum ex opere Continuatoris Reginonis pendere, sed etiam fontem ipsum eorum Gestorum vetera fuisse pro certo haberi potest (textus alium iuxta alium prodit Domanovszky pp. 89 sq.). Gestorum vetera a scriptore Gestorum saeculi XIII amplificata esse verum quidem esse videtur. Praeter mentionem Burgundorum et nominis Abah caedes hominum trium milium et narratio de rebus, quasi tunc pugnatum sit, ab eodem scriptore Gestorum inventae videntur. Simul sequens commutatio, quae respondet rationi belli gerendi saeculo XIII eiusdem scriptoris esse videtur: dum, ut Anonymus tradit, Hungari in proelio ad confinium Franco-Bavaricum conserto Francos orientales “multis milibus eorum cesis ictibus sagittarum in turpem fugam converterunt” (SRH I, 108 sq.), scriptor Gestorum saeculi XIII e textu, qui e communi fonte est transcriptus, vocabula de ictibus sagittarum omittit.

annis sedecim ... permanserunt — In Gestis saeculi XIII ordo annorum non solum hoc loco, sed etiam in capite sequenti omnino conturbatus est. Ordinem rectum statuere et Pauler (Sz. István pp. 224 sqq.) et Domanovszky (SRH I, 307, adnot. 1) conati sunt. Tamen tractatus Hóman (p. 81) rectior et probabilior videtur, ex quo ad annum 912 in Gestis veteribus

intervallum non sedecim, sed quinque annorum (912—916) notatum fuit, intervallum sedecim annorum (918—933) post annum 917 secutum est, spatium autem viginti annorum (935—954), cuius mentio in fine capitinis sequentis fit, rebus anni 934 adiunctum est. Haec sententia imprimis accipi potest, quia cum narratione Continuatoris Reginonis congruit. Ad partes singulas tractatus in capite sequenti adhuc revertendum est. Hoc loco tantum interpretatio faceta attingenda est, cur intervallum quinque annorum in Gestis veteribus post annum 912 secutum esse putari possit. Argumentum sumnum est, quod apud Anonymum apto loco, in ineunte capite, ubi mors Leel et Bulchu tractatur, vocabulum “anno quinto” (SRH I, 109), in historia Hunnorum autem enuntiatio “Atyla quinque annis Sicambrie repausasset” (SRH I, 269) legi potest, et quia scriptor historiae Hunnorum etiam e materia Gestorum veterum, in qua historia Hungarorum tractatur, elementa transcripsit, in fonte communi, in Gestis veteribus haec vocabula infuisse necesse est (Hóman p. 80). Coniectura Hóman una in re tamen emendanda videtur. Secundum coniecturam eius primus annus intervalli quinque annorum, quod anno 916 finit, annus 912 esset. At annus 912, ut iam descriptum est, bellis refertus erat, sicut Continuator Reginonis et Gesta vetera et Gesta saeculi XIII tradunt, atque ita ab hoc anno spatium lustri quieti dati initium sumpsisse nequit. Difficultas tollitur, si e vocabulo Anonymi “quinto anno” spatium non quinque, sed quattuor annorum sumimus, annum quintum autem, sicut ab Anonymo quoque factum est, non annum quieti, sed rebus recentioribus gerendis datum putamus. Ita tempus quietis annis 913—916 fuit. Ita vocabulum in historia Hunnorum “quinque annis” pro “quattuor annis” scriptum aut error per scripturam factus, aut numerale cardinale “quinque” e nomine numerali ordinario “quinto” neglegenter transcriptum duci potest.

⟨52.⟩

Caput e Gestis veteribus et e sermone populari a magistro Acus conscriptum est. Materiam adnotationum ad caput pertinentium in contextu, qui cum insequentibus non cohaeret, prodit Mályusz (1971, pp. 95—102).

De morte ... capitaneorum — Index idem est atque index capitinis Chronici Picti: “De morte Leel et Bulchu capitaneorum” (SRH I, 307). 242

Corrado primo — Quod rex Conradus I. (911—918) memoratur, cum res anni 955 enarrantur, ad arbitrium scriptoris factum esse videtur, et minime omittendum est, nam scriptorem textum fontis discerpsisse atque secundum voluntatem suam commutavisse demonstrat.

decimo octavo anno — In Chronico Budensi textus rectus: “decimo septimo” (SRH I, 307) servatus est, cui ab anno 912 intervallo sedecim

¹⁵ Johannes de Thurocz

annorum computato annus 929 pro anno decimo septimo responderet. At textus rectus, ut in capite superiore adnotatum est, a scriptore saeculi XIII loco falso insertus est, cum in sequentibus annus 955 tractaretur, res interim gestae autem, quarum tempora item anno 955 adiunguntur, posterius memorarentur.

ad urbem Augustam — Augusta Vindelicorum (Augsburg) in Bavaria in fontibus narrativis vulgo “urbs Augusta” nominatur (Oesterley p. 34). Apud Reginonem “Augusta civitas” legitur (R. Rau: editio cit. pp. 200, 276).

Vlrico episcopo — Ulricus (Udalrich) annis 923—973 episcopus Augustae Vindelicorum erat. Anno 993 in numerum sanctorum relatus est. Ingenium ac mores eius a Hauck (III, pp. 47 sq., 982) praeclare describuntur. Quam fortiter ipse Augustam anno 955 defenderit, v. ibidem p. 50.

ad Corradum — Imperator, qui exercitu Germanico praefuit, rex Teutoniae Otho (Magnus) (936—973, ab anno 962 imperator Romanorum) fuit.

Italicus exercitus — Exercitus Italicus proelio non interfuit, in nullis fontibus mentio talis fit. Eum producere a scriptore Gestorum saeculi XIII inventum est, probabiliter e coniunctione Hungarorum Neapolitana aetatis Stephani V.

fluvius ... faciens — Fluvius, qui non memoratur in Chronico Picto, quod Th. hoc loco fontem habuit, in Chronico Budensi quidem nominatur: “fluvius Lili”. Hic hodie Lech nominatus, a latere dextro in Danubium influit et una cum fluvio Wertach, quem ipse Lechus apud Augustam in se recipit, campum amplectuntur, qui de fluvio Lecho nomen accepit, ubi proelium fuit.

243 *Sic ... necati* — Pugna ad Augustam Vindelicorum magni momenti est. Omnem dubitationem sustulit Hungaros praestantiam militarem perdidisse, quam propter equitatum levis armaturae adjunctamque huic rationem belli gerendi adepti erant, eosque contra genus pugnandi militum medio saeculo X usitatum iam inferiores fuisse. Hungari clade commoti consilia abiecerunt, ut praedaturi incursionibus regiones occidentales Europae invaderent, simul Germani liberati ex adversariis Hungaris, qui vires eorum producentes modo calamitatum quotannis devastabant, energiam in progressum placidum augendum impendere potuerunt. Quoniam pugna ad Augustam Vindelicorum tanti momenti fuit, viri docto non solum commutatione rerum publicarum post pugnam eventa, sed etiam iterum ac saepius ea quaestione occupabantur, quo modo proelium consertum esset. E litteratura vetustiore eleganter et critica subtilitate adhibita proelium consertum Pauler descriptis (Szt. István pp. 82 sqq., 176 sqq.). Rerum scriptores ante ipsum primum bellum mundanum Teutonici quaestionem tantopere gravem esse putaverunt, ut etiam clari historici in ea occuparentur (sicut Delbrück tom. III², pp. 114 sq., D. Schäfer, Die Ungarnschlacht von 955, Sitzungsberichte der preussischen Akademie der Wissenschaften, Berlin 1905, pp. 552

sq. et Historische Zeitschrift 97 [1906] 538 sq., H. Bresslau, Die Schlacht auf dem Lechfelde, Historische Zeitschrift 97 [1906] 137 sq. Litteratura enumeratur apud Dahlmann—Waitz, Quellenkunde der deutschen Geschichte, Leipzig 1931⁹, p. 373 et apud Kosáry I., p. 41). Descriptio pugnae in Gestis saeculi XIII e documentis duorum fontium composita est, quorum alter opus Continuatoris Reginonis ad 955 est: "Ungarii ... ingenti multitudine exeentes ... ab exercitu regis apud Lichum fluvium tanta caede, deo praestante, prostrati sunt, ut numquam ante apud nostros victoria talis audiretur aut fieret" (Gombos I, p. 782). Ex hac adnotatione narratio Gestorum veterum sumpta est, ut ex comparatione cum Anonymo facta appareat (SRH I, 109), et magister Acus, sicut alio loco quoque, textu Gestorum veterum usus est. Alter fons opus "Pantheon" Godefredi Viterbiensis est: "Ungarorum gens erupit ... atque super flumen Lichum iuxta civitatem Suevie Augustam consedit. Quibus Otto precibus et oratione Udalrici, sanctissimi illius urbis episcopi, in domino confisus, occurrit tantaque illos virtute prostravit, ut ... ab infestatione aliorum quiescerent ... Barbari autem exceptis sex viris residuis omnes gladio narrantur extinti" (Gombos II, p. 1071. Cf. Hóman p. 80).

Leel et Bulchu — In Gestis Leel et Bulchu iam pridem inter capitaneos patriam occupantes memorati sunt (Th. capita (34. et 35.)).

in flagellum destinati — De Attila ut de "flagello dei" v. caput (15.), sent. 123. Scriptor Gestorum veterum Hungaros paganos ex voluntate Dei ad Christianos propter delicta eorum puniendos missos esse putavit. Tribus legendis Sancti Stephani observatis intellegere possumus, quemadmodum persona ipsa "flagellum dei", cuius imago in verbis Gestorum redditur, evanuerit et monumentum historiae facta sit, postquam Hungari ad Christianam religionem transierunt.

Cui Leel ... respondebo — Nomen Leel idem est ac vocabulum Hungaricum "lél", radix vocabuli "lélek" 'spiritus, anima' (Pais, *Anonymous* p. 125; SRH I, 82). E sermone populi nomini Lehel (Leel) adiungitur cornu eburneum, quod etiam hodie exstat, et cornu Philistaeorum (scilicet Jazonum, Hungarice jász) nominatur, tamen identitas eius ante saeculum XVII argumentis confirmari non potest. Cornu ipsum probabiliter exeunte saeculo IX et ineunte saeculo X ab opifice Byzantino fabricatum est, in quo spectacula circensis scalpta sunt, et sive ut merx, sive ut praeda in Hungariam delatum est (secundum I. Csemegi, A Lehel kúrtje kérdéséhez [= Ad quaestionem cornus Lehel], AÉ 83 [1956] 88 sq. e Kiovia ut cornu circense est delatum). In museis Europae ferme quadraginta similia cornua servantur, quorum nonnulla quidem Carolo Magno relata sunt. Cornu splendidum sive cornu potorium, sive cornu venatorium, sive cornu militare erat, apud vagas gentes equestres camporum patentium insigne dignitatis erat, atque etiam cornu Philistaeorum huiusmodi esse potuit. Kagano ducum Avaricorum cornu auri puri debebatur, ducibus auro caelatum, ducibus minoribus argento caelatum. Quamquam apud dignitates minores

accidit, ut gradus honoris tantum uno aut altero insignium indicatus esset, Leel certe haud solus inter duces erat, qui cornu habuit. (Cornu potorum Arpad in fabula equi albi a scriptore Gestorum quoque memoratur.) Fabula idcirco ei adiungi potuit, quia nomen eius effecit, ut ad cantum cornus cogitaretur (Hampel J., A jász kürt domborművei [= Caelatura cornus Philistaeorum], AÉ N. S. 23 [1903] 97 sq.; László Gy., Lehel kúrtje [= Cornu Leel], Bp. 1958²).

imperator moreretur — Imperator Otho I. (Magnus) anno 973 mortuus est, sed in pugna ad Augustam Vindelicorum vitam amisit gener eius, Conradus, dux Lotharingiae, stirpe materna nepos Conradi I., regis Teutoniae, qui nomine “Conradus Ruber” memorabatur (Pauler, Szt. István, pp. 79, 86). Duae causae interfuerunt rei, ex qua figura ducis Teutonici cuiusdam, qui cornu Leel occisus est, cum imperatore identificata est. Causa altera fuit mors Conradi, generi imperatoris, altera autem fuit error scriptoris Gestorum, qui regem Conradum I. tempore pugnae ad Augustam Vindelicorum imperatorem regnante fuisse putavit. Probabile enim videtur in fabula Leel non imperatorem Germanicum nec quendam nomine memoratum fuisse, sed generatim ducem Teutonorum, cui postea scriptor Gestorum nomen dedit. Mortem ducis Conradi quidem Continuator Reginonis memorat (“Cuonradus quondam dux ibi occiditur”, Gombos I, p. 782), sed quia Anonymus tacitus praetermittit, etiam in Gestis veteribus neglectam esse putari potest. Quod si ita est, mors ducis Conradi ex opere Godefredi Viterbiensis (“Cecidit in eo prelio gener regis Conradus”, Gombos II, p. 1071) in Gesta saeculi XIII transcripta esse videtur.

In quo loco Leel ... patibulo suffocati — Annales Sangallenses maiores Bulchu et Leel suspensos esse memoriae tradunt (Gombos I, p. 199), tertius dux Hungaricus, nomine Sur, qui in fontibus Hungaricis ignotus est, in opere “Vita Henrici II. imperatoris” (Gombos III, p. 2439), ubi etiam nomen Ratisbonae legi potest, memoratur (Pauler, Szt. István p. 87). Quia Anonymus quoque Leel et Bulchu a Germanis suspensos esse narrat (SRH I, 109), e congruentibus textibus (Hóman p. 31) conici potest Gesta vetera historiam Leel et Bulchu summatim amplexa esse, cui historiae sententia scriptoris Gestorum veterum de partibus Hungarorum in Europa occidentali explendis adscripta est, quae partes eorum in vocabulis “flagellum dei” exprimuntur. Ipsa historia per saecula in fabula populari transformari potuit, ex quo textus fabulae Leel, in Gestis descriptus per saecula multa evolutus videtur. Quo modo historia Leel et Bulchu conformari potuerit, adumbrare difficile est, quia gradus necessarii historiae diu evolutae in fontibus non traduntur. Res ipsa, supplicium ducum Hungarorum iam primo gradu famae morti ducis Conradi adiungi potuit, persona ducis autem cum persona imperatoris est identificata. Coniunctio ita effici potuit, ut imperator in fama a Leel occisus esset. Causa facti, quam Leel verbis exprimit, scilicet ut hostis occisus sibi apud inferos serviturus sit, vetus opinio religiosa Hungarorum ab oriente orta est. Sententia, ex qua vita,

quae post mortem futura est, continuatio vitae ipsius terrestris esset, atque ita omnia, quae apud inferos necessaria sunt, mortuis suppeditanda essent, omnino divulgata erat, quam et Herodotus narratione sepulturae regis Scythici comprobat, et Ibn Fadhlân combustionem (anno 921) una cum nave divitis et nobilis viri cuiusdam Russici describens. Sed tantum apud vagas gentes bellicosas Asiae Mediae est nota opinio, ex qua hostis occisus illi servire debet, a quo occisus est. Ut Marco Polo (secunda parte saeculi XIII) tradit, magnus chanus, quocumque loco mortuus sit, in montibus Altaicis sepelitur, comites autem eius omnes homines sibi obviam venientes occidunt et addunt: “I et servi domino et duci nostro apud inferos!” Equi obviam occurentes quoque suffocantur. Huius veteris religiosae opinionis Hungari, ut in Gestis affirmatur, medio saeculo XIII adhuc non obliti sunt (Solymossy S., Lél vezér kürt-mondája [= Fabula cornus ducis Leel], Ethn. 40 [1929] 21 sqq.). Fabula ipsa cornus tamen recentioris originis est, quae sequentia elementa habet: Rei actor 1) sub patibulo, 2) iam excogitata fraude, 3) petit, ut cornu suum inflet et 4) prius ille ab eo occiditur, qui eum capit is condemnavit. Fabula non est originis Hungaricae. Instrumentum, quod filis fabulosis circumPLICatur, cornu regis Iudeorum, Salomonis est, quod Hierosolymae propalam collocatum peregrinatores contemplari et ibidem fabulas miras ei additas comperire potuerunt. Ex his fabulis Byzantii fabula Salomonis eam formam induit, quae quattuor illa elementa, quamquam compluribus digressionibus aucta, tamen perspicue ostendit. Formae variantes fabulae Salomonis in Europa Occidentali perlatae, sic Germanicae, Francogallica et Britannicae, quae ad finem saeculi XII iam evolutae sunt, opera litteraria sunt, quae ad aures populi non perferebantur, contrarie formae variantium fabularum in Europa Orientali evolutarum, quae in regione ecclesiae Graecae ritus non uniti ortae in sermone populari Russico, Rumanico, Serbico servabantur. Probabiliter in ecclesia Graeca ritus non uniti fabula parabolis orationum sacrarum inserta est, itaque eam populus in templis a sacerdotibus cognoscere potuit. Hungari variantem orientalem fabulae Salomonis cognoverunt, ea ergo non intercedentibus operibus litterariis ad eos perlata est. Saeculo XII fabula iam toto in Europa tam divulgata fuit, ut etiam in Hungariam fabellam cornus perlata esse necesse esset. Divulgata et omnibus nota fabella ad figuram ducis Leel adjuncta a cantoribus popularibus est. Causa coniunctionis cornu fuit, quod et nomen ducis Leel et descriptio Anonymi (“tuba cecinit”) simul ostendunt. Cantores populares stragem exitialem anni 955, necem Bulchu, Leel et Sur in cantibus lugubribus immortalitati commendantes et per suboles tradituri licentia illa poetica tristem animum auscultantium allevaturi erant. Ergo fabula hoc modo completa ducis Leel a magistro Acus servata est, id est fabula e minimis inceptis plena evoluta “fide digna acceptaque historia, probata ab omnibus” facta est (Solymossy op. cit. 22 sqq., 39. Litteraturam quaestionis comprehensam v. Kristó 1970, 125 sq.). Fabula — rectius tantum singula elementa eius — a magistro Acus descripta sunt. Scriptum

eius Simoni de Kéza displicuit atque ideo afferens causas contra rationem conscriptas in fabula, totam fabulam ut falsam refutavit et recusavit in Gestis: “Quidam vero ipsos aliter damnatos fabulose asseverant, quod caesari praesentati unus illorum cum tuba in caput ipsum caesarem occidisset feriendo. Quae sane fabula verosimili adversatur et credens huiusmodi levitate mentis denotatur. Nam personae criminosae ligatis manibus conspectui principum praesentantur” (SRH I, 169; cf. Horváth p. 297). Simon de Kéza — si ipse cum fonte scripto, et quidem non cum fama disputat (v. Solymossy op. cit. 19) — fabulam cornus a magistro Acus descriptam oppugnabat (Horváth, Hun-tört. p. 451). In hac disceptatione Simon de Kéza mentionem fecit “librorum chronicarum”, in quibus sententia vera habetur, ex qua duces (capitanei) Hungarorum “blasphemati audacter caesari muriōse sunt locuti asserentes, quod si ipsos occidi fecerit, de gente sua de caetero nullus captus vivere poterit, sed vel in perpetuam tradetur servitutem, aut nullo iudicio praecedente occidetur” (SRH I, 169). Viri docti putabant “libros chronicarum” aut opus historicum quoddam saeculi XIII (Paurer, Szt. István p. 225), aut ipsa Gesta vetera saeculi XI fuisse (Györffy Gy., A magyarok elődeiről és a honfoglalásról [= De proavis Hungarorum et de occupatione patriae], Bp. 1958, p. 147; Mályusz 1971, 97). “Libri chronicarum” sine dubio textum fabulae integriorem completebantur, nam secundum Simonem de Kéza duces Hungarorum, si ipsi occiderentur, imperatori minati sunt omnes captivos Germanicos a Hungaris aut in servitutem perpetuam abductum, aut occisum iri. Pars talis in textu historiam Leel et Bulchu continentis Gestorum saeculi XIV iam non invenitur.

244 *Ratispone — Ratisbona (Regensburg) in Bavaria ad Danubium est.*

in quandam silvam — In Chronico Picto “insula” memoratur. Apud Th. et in S B D varians rectior Gestorum Simonis de Kéza servatur (SRH I, 308, 170).

244—245 *Alius autem exercitus ... detentos redemerunt — Tota descriptio ficta est, res similis, quae aut post ipsam pugnam ad Augustam Vindelicorum commissam aut posterius facta sit, in fontibus eiusdem temporis non invenitur. Apud Anonymum apto loco quidem legimus (SRH I, 109—110) superstites fortiter pugnavisse, nec alterum destituisse alterum, sed auxilio fuisse, tamen vocabula haec multo magis generalia sunt, quam quae rem in Gestis saeculi XIII descriptam vere reddere possint.*

245 *Vlta — Fulda ad fluvium eiusdem nominis, a Wirsburgo (Würzburg) ad septemtriones, a Francofurto ad Moenum inter orientem et septemtriones sita est, ubi monasterium ordinis Sancti Benedicti conditum est, quod scholam claram habuit, et cuius abbas munere cancellarii summi uxoris imperatoris Romanorum functus est.*

combusserunt — Tempus: annus 915 est. Fons Gestorum saeculi XIII, scriptor Gestorum veterum relationes ex adnotationibus ad hunc annum additis Continuatoris Reginonis sumpsit: “Ungarii ... usque ad Fuldam

monasterium pervenerunt" (Gombos I, p. 781). Vocabulum "comburere" (delere) nimium dictum videtur. E contrario in fontibus occidentalibus conservatum monasterium esse memoratur (Pauler, Szt. István pp. 55, 167).

Reno ... vastaverunt — Haec nuntiatio Gestorum saeculi XIII Gestorum ve veterum ex adnotationibus sequentibus annorum 932 et 954 Continuatoris Reginonis manat: "Ungarii ... multis civitatibus igne et gladio consumptis ... Rheno transito" (Gombos I, 781 sq.). Ambobus temporibus Hungari per loca Germanica tantum transierunt, qui Francogalliam praedaturi erant, unde per Italiam reversi sunt. Nam dux Saxoniae, Henricus, qui post mortem Conradi I. (anno 918) a Teutonis rex creatus est, donis annuis solvendis anno 924 per novem annos Saxoniae quietem comparavit. Hungari pactum servabant, sed terrae longius sitae ab incursionibus non liberabantur, immo etiam ipse dux Bavariae tantum exemplo Saxonum iterato Hungaros regno arcere potuit (Pauler, Szt. István pp. 59. sqq.). Anno 954 Hungari duce Bulchu ad usum suum transferendo occasionem, cum inter regem Othonem I. et ducem Sueviae Liudolphum, filium regis atque ducem Lotharingiae, Conradum, generum regis discordia oriretur, his ducibus adiuvantibus in terram hodierni Belgii et Francogalliae septentrionalis praedam opulentam sibi comparaturi incursionem fecerunt. Ambo duces Hungaris ductores itinerum dederunt, qui eos in possessiones adversariorum, ita in possessionem archiepiscopi Coloniensis, fratris minoris regis Othonis I. ducerent, Conradus in Wormatia quidem etiam hospitio Hungaros accepit, atque postquam ita Liudolphus et Conradus ducatus suos a devastationibus maioribus liberaverunt, neglegenter spectabant, quo modo regiones occidentales — Francogallicae — praedarentur (Pauler, Szt. István pp. 79 sqq.; Marczali tom. I, pp. 160 sqq., 171 sq.).

Strazburg — Similis forma in *V₃* et *V₄* legitur: Straspurg. Cf. *V₁*: Strozburg, *B D*: Strozpurg (SRH I, 309).

Ubi circa Strazburg ... decollaverunt — Textus ex adnotatione ad annum 917 scripta Continuatoris Reginonis manat: "Ungarii per Alamanniam in Alsatiam et usque ad fines Lothariensis regni pervenerunt. Erchanger et Berahbold decollantur" (M.G.H. SS I, p. 615). Sors duorum comitum Suevicorum bene nota est, qui in compluribus fontibus eiusdem temporis memorati sunt. In numero adversariorum regis Conradi I. referebantur, regi episcopis innitenti audacter obstiterunt, quapropter rex, affimis quidem eorum, anno 917 securi eos decolli iussit (Dümmler III, p. 611; Cartellieri pp. 6 sq.). Caedes duorum fratrum nihil ad Hungaros attinuit, tamen scriptor Gestorum veteranum per errorem enuntiationes unam post alteram sequentes Continuatoris Reginonis cohaerere putans supplicium a Hungaris factum arbitratus est. Id, quod in Gestis veteribus erratum est, in textu Anonymi evidenter patet. Nam apud eum, cuius textus cum textu Gestorum saeculi XIII congruens probat utrosque auctores rem e Gestis veteribus sumpsisse, textus Continuatoris Reginonis in hac forma legitur: Hungari "Alemanniam ... et regnum Lathariense igne et gladio consumpserunt et

Erchangenum atque Bertoldum duces eorum decollaverunt” (SRH I, 110. Adnot. 5 errat, quae dicit Anonymum necem eorum a Hungaris factam affirmavisse). In Gestis saeculi XIII rebus servato temporum ordine enarratis adhuc dispositio geographica additur, ex qua Erchangerus dux Lotharingiae, Bertoldus autem dux Brabantiae factus est, atque Argentorato (hodie Strasbourg) inserto verum quoddam proelium constructum est. Textus inter se comprobati haud ambigue affirmant scriptorem Gestorum saeculi XIII ad suum arbitrium egisse, itaque supervacaneum videtur praedicare ducibus Lotharingiae et comitibus Brabantiae admodum nihil cum Erchangero et Bertoldo fuisse.

246 *Galliam ... sevientes* — Textus — per Gesta vetera — paraphrasis verborum ad annum 954 additorum Continuatoris Reginonis est: “in quadragesima ... pervadentes Galliam inaudita mala in ecclesias dei fecerunt” (Gombos I, p. 781 sq.). Cohaerentia ab Anonymo manifesta facta est: “in quadragesima transierunt ... regnum Latariensem ... exterminaverunt. Universam quoque Galliam attrociter affligentes ecclesias dei crudeliter intrantes spoliaverunt” (SRH I, 112).

Mettenseque ... territorium — Vocabula civitatum Divoduri (hodie Metz), Augustae Treverorum (Trier), Aquisgranum (Aachen) affirmant, quam instructus scriptor Gestorum saeculi XIII in disciplinis geographicis fuerit.

igne — Hoc vocabulum tantum in variantibus Chronici Budensis invenitur (SRH I, 309). Apud Anonymum in loco eius vocabula “in gladio” leguntur (SRH I, 112).

montium Senonensium — Regio inter fluvios Ligerem (Loire) et Sequanam (Seine) porrigitur, domicilium pristinorum Senonum Gallorum, ubi civitas Senonis, sive Senonica urbs, hodie civitas Sens sita est, cuius vicina loca anno 937 a Hungaris Francogalliam praedantibus, ut argumentis affirmari potest, depopulata sunt (SRH I, 112, adnot. 2; Pauler, Szt. István p. 72).

populos exterminantes — Explicatio vocabuli a verbis Anonymi ducenda est: “Inde per abrupta Senonensium per populos Aliminios ferro sibi viam et gladio apperuerunt” (SRH I, 112). Incertum et haud diiudicatum est, cuius populi nomen hoc loco in Gestis veteribus scriptum esse potuerit. Nomen “Aliminus” ignotum est, ex situ geographicō gens quaedam Francogallica vel Helvetica putari potest (SRH I, 112, adnot. 3). Nomen nec scriptori Gestorum saeculi XIII, nec prioribus scriptoribus librariis notum erat, itaque intellegi potest e nomine proprio nomen commune factum esse. Haud sane vulgatum, tamen — quia de bello agitur — peropportunitum vocabulum attributivum est: “per populos eterni Martis” (SRH I, 309), cuius sententia sic quoque locum definit. Th. notam vocabuli mutat, fortasse quia superbiam suam offendit, quod Hungari per populos bellicosos sibi viam aperuerunt. Praepositione “per” omissa Th. substantivum “populos” obiectum facit, attributum autem in verbum mutat, sic gloriam militarem Hungarorum augens et amplificans.

Segusam — Temporibus Romanis Segusio, hodierna Susa ab Augusta Taurinorum ad occidentem locus maximi momenti viarum per Alpes Francogallicas ferentium est.

Taurinamque — Augusta Taurinorum (Torino) civitas est in Italia septemtrionali.

Segusam ... cum victoria revertuntur — Quod haec pars e Gestis veteribus transcripta est, e comparatione cum Anonymo facta satis probatur: “*Segusam ceperunt civitatem ... Taurinam civitatem ... expugnaverunt et, postquam planam regionem Lambardie aspexerunt, totam pene Italiam ... conscitatis cursibus spoliaverunt. Deinde ... felici victoria fruentes ad propria regna revertuntur*” (SRH I, 112).

annisque viginti ... permanserunt — Intervallum sedecim annorum initio capitnis primo memoratum et quattuor anni, qui textui nostro desunt, alibi tamen memorantur, et viginti anni nunc memorati atque tres anni intervallis inserti, quibus multa gesta sunt (917, 934, 955), additi ($16 + 4 + 20 + 3$) quadraginta tres efficiunt. Hic numerus ab anno 912 computatus accurate congruit anno 955, id est anno cladis ad Augustam Vindelicorum acceptae, qui annus eversio magni momenti rerum publicarum inter Hungaros et populos occidentales facta dici potest (Hóman p. 81). Textibus inter se comparatis textus Gestorum sic mutari potuit: a Continuatori Reginonis complures incursiones Hungarorum praedaturorum in terras regnorum occidentalium ad numeros annorum (912, 913, 915, 917, 924, 926, 932, 934, 938, 944, 954, 955, Gombos I, p. 781) coniunctae memoratae sunt, sed ita, ut ad singulos annos etiam res duorum annorum contraherentur, si eae in cursu rerum quasi redintegratae sunt. Fons Hungaricus, qui opere Continuatoris Reginonis utitur (e sententia vulgo accepta, cui tamen non omnes consentiunt, scriptor ipsorum Gestorum veterum), contractionem continuavit. Narratio Gestorum veterum ne inanis fieret, scriptor quattuor annos (912, 917, 934, 955) exemit, quibus argumenta apud Continuatorem Reginonis inventa addita sunt, atque res complurium annorum quasi eiusdem incursionis gestas enarravit, spatia autem interposita temporum intervalla otii atque quietis domesticae longiora magis, quam breviora indicavit. Probabiliter scriptorem Hungaricum non solum affectatio effectus movit, sed etiam id, quod per genus pugnandi mutatum incursiones crebras unam post alteram factas insolitas forsitan haud perspicuas habebat. Notio belli ab ineunte saeculo XI, ut constitui potest, in conscientia Hungarorum iam mutata est, ex qua incursionibus variis singularum maiorum minorumve turmarum nil nisi praedam sibi proponentium bella consilio potestatis centralis, id est regni ordinata subierunt. Scriptor igitur res contractas enarrando eas lecturis proprius admoturus est, simulque sic consecutus est, ut facilius intellegantur. In Gestis saeculi XIII contractio continua est, cum res ferme quinquaginta annorum ad unum annum (955) adjunctae sunt, atque ita, ut eo scriptor rationem vero contrariam dedit. Id, quod in Gestis veteribus res annorum 912, 917, 934, 955 secerni possunt, ad notam operis

constituendam magni momenti videtur. E quattuor annis tres tempora cladium Hungarorum sunt. Adnotatio Continuatoris Reginonis ad annum 912 scripta cladem apud fluvium Aenum anno 913 acceptam, adnotatio ad annum 934 scripta magnam calamitatem priore anno iuxta Riade, adnotatio autem ad annum 955 scripta stragem ad Augustam Vindelicorum acceptam narrat. Non solum ex ipsis temporibus, ex numeris annorum res interpretari possumus. Pars, quae pugnam ad fluvium Aenum memorat, etiam apud Anonymum descripta est, cuius fons autem Gesta vetera erat, unde etiam nomen regis Conradi transcriptum est (SRH I, 109). Ut iam cognitum est, nomen Conradi in Gestis saeculi XIII ad annum 955 iam haud apto loco memoratum est, tamen ipse error scriptoris fontem Hungaricum, Gesta vetera vere mentionem Conradi iam fecisse demonstrat. In Gestis veteribus igitur res Hungaris adversae non omissae sunt, ipsi Hungari haud invicti, non ut viri fortissimi, qui nunquam detimenta accipiunt, memorantur. Ex habitu modesto scriptoris saeculi XI observando etiam descriptionem frigidam patriae veteris concludere possumus opus eius, antiquissima historia scripta Hungarorum funditus discrepare mente et voluntate ab operibus posterioribus. Elementa iniqua a successoribus gradatim depressa, immo vero omissa sunt. Anonymus descriptionem clodium annorum 913 et 955 contraxit (SRH I, 109), tamen ita, ut vocabulis "iuxta fluvium Hin" ostendit stragem anni 913 sibi cognitam esse, quamquam haec strages ut "nefande fraudes" Bavarorum et Alemannorum ab eo describitur et lecturis affirmat: Hungari "quamvis erant victi, tamen victores suos fortius et victoriosius vicerunt" (SRH I, 110), cogitationi et inventioni lecturorum committens, quo modo hoc fieri potuerit. In Gestis autem saeculi XIII iam confusio rerum longius procedit, nam nomen Aenus una cum pugna nomini fluvii adjuncta omittitur, atque strages omnes in unam stragem communem anno 955 acceptam contractae sunt, ad notam cuius dissimulandam, immo vero in victoriam transformandam e materia, in qua de incursionibus prioribus agitur, bellum magnum causa ulciscendi ductum componitur. Scriptor tamen Gestorum saeculi XIII fidem veritatis observat, cum Hungaros Francogallia relicta non eodem itinere, quo incursionem fecerunt, sed ad meridiem Alpibus traiectis per Lombardiam domum regressos esse memorat. Hoc enim argumentis eiusdem temporis omnino affirmatur, atque haud ignotum est Hungaros annis 935, 937 et 954 per Francogalliam et Italiam septentrionalem vere percurresse (Paurer, Szt. István pp. 71 sq., 82). Immo potius dicendum esset scriptorem quidem Gestorum saeculi XIII nimium moderatum fuisse, nam toto argumento Continuatoris Reginonis de anno 932 tradito: "usque ad mare oceanum Galliam devastantes per Italiam redierunt" (Gombos I, p. 781) non usus est. Ratio scribendi Simonis de Kéza nota est, qui res historiae Hungarorum in historiam Hunnorum hanc gloriosiorem demonstratus transcripsit (Hóman p. 61), et quia Hunnos vere in extremis regionibus Galliae (SRH I, 264; Th. caput (17.), sent. 131) ab ipsis nunquam frequentatis moratos memorat, iure arbitrari

possimus res Hungaricas ideo modice memoratas esse, quia facta Attilae verbis Gestorum aucta sunt, id est apud magistrum Acus oceanii adhuc in narratione rerum Hungarorum mentionem factam esse. (Id, quod auctor excogitandae ultioris magister Acus, non autem scriptor Gestorum veterum fuerat, iam ex comparatione cum Anonymo facta quoque apparet. Pars textus Anonymi, in qua de his rebus agitur, latius diffusa est, quod affirmat bella quinquaginta annorum in fonte, in Gestis veteribus ordine temporum digesta tractata esse, ceterum quidem haec res alterna vice annorum intervallorumque quieti datorum quoque consequitur.) Maxime proprium sententiae scriptoris Gestorum saeculi XIII est ipsam ultimam incursionem, id est stragem in triumphum magnificum magnam partem orbis terrarum circumplexentem transmutare, tamquam si Hungari incursions occidentales non vi coacti, sed voluntate sua desierint. Textus has res describentes Reginonis, Anonymi et historiae Hunnorum collatos prodit Hóman (pp. 80 sq.), tamen partem, in qua oceanus est memoratus, omittit. Kristó, quamquam tres ex pugnis quattuor a Reginone sive a continuatore eius transcriptis clade Hungarorum finitas esse probat, tamen existimat non Anonymum, sed auctorem gestorum paulo prius, exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII conscriptorum primum refutavisse sententiam scriptoris Gestorum saeculi XI, quae barbaros Hungaros despicit (1970, FK 113; 1972, MKSz 172 sq.).

(53.)

Caput sermone populari adhibito a magistro Acus conscriptum est. Summa adnotationum capitis a Mályusz (1971, pp. 103–106) continuo pertractatur.

De obsidione ... urbis — Index forma varia indicis capitinis Chronici Picti a 247 Th. transcripti est: “Greci devincuntur per Hungaros” (SRH I, 310).

Vicesimo ... primo anno — Ut ad caput superius adnotatum est, anno 21 respondet annus 955, sed magister Acus ad suum arbitrium hoc loco rem cum Graecis coniunctam hic transponit.

Idropolim — Sine dubio antiqua Hadrianopolis, hodierna civitas Edirne intellegenda est. Nil subest ad diiudicandum, unde magister Acus nomen Idropolis (Ydropolis) invenire potuerit. Nam sic nominabatur civitas Feuchtwangen in Bavaria (Graesse p. 161), sed, ut conici potest, non nisi aetate recentiore, quia saeculo XIII et antehac nomen Graecanice transformatum in fontibus non memoratur (Oesterley p. 179).

tandem obsederunt — Hungari in paeninsulam Balcanicam incursions facientes, quae in fontibus Byzantinis memoratae sunt, bis usque ad Constantinopolim pervenerunt. Anno 934 Thraciam depopulati sunt magna praedam referentes, ante Constantinopolim quadraginta dies castra

posuerunt et captivos suos venditabant. Imperator, nomine Romanus tunc patricium (patrikion) Theophanem ad Hungaros misit, qui cum eis pactio-nem fecit, ut omnes captivos redimeret. Alia autem occasione, anno 959, circa festum Paschae (die 11 mensis Aprilis) Constantinopoli aderant, Thraciam depopulantes praedam opulentam ceperunt, exercitus Byzantinus ab imperatore Constantino VII. in eos missus duce patricio Potho Argyro Hungaros nocte agressus acriter prostravit, praedam ademit, captivos autem liberavit (Pauler, Szt. István pp. 71, 91; Moravcsik, Magyarság pp. 46 sq.).

Bothond — Nomen, ut Pais arbitratur, et ex lingua Hungariana, et ex lingua Turcica pluribus modis interpretari possumus. Verbum nativum aut “bota” ‘pullus camelī’, aut “bat” ‘submergitur’, aut “bot” ‘nodus, baculum’ est. Pais hoc ultimum veri simillimum putat (SRH I, 85, adnot. 4). In comitatu Hevesiensi saeculis XIV et XV locus nomine Botond exstitit, e diplomaticis noti sunt possessores hoc nomine nominati saeculis XIII et XIV, immo etiam genus nomine Botond erat, quod praedia inter fluvios Dravum et Savum sita possidebat (Karácsonyi I, pp. 273 sq.; Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 66 sq.).

248 *Opour* — Pronuntiatio nominis est: Apor. Genus hoc nomine aetate magistri Acus vivebat, auctoritatem tamen eximiam non consecutum est. Quoniam sedes generis villa Apor una cum monasterio canonicorum ordini Sancti Augustini ascriptorum in regione meridionali Transdanubiana, in comitatu Tolnensi sita est (Karácsonyi I, pp. 127 sqq.; reliqua vocabula locorum v. Kristó—Makk—Szegfű I, p. 75), et, quia incursions in Graeciam a tribubus in meridionali regione regni considentibus factas esse conici potest, capitaneum nomine Apor nominatum producere haud absurdum videtur, immo etiam e traditione familiae manare dici potest. Atque etiam eo magis, quia, quamquam nomen Apor saeculo XIII in diplomaticis iterum atque iterum memoratur (Kovács, Index p. 498), inter aequales magistri Acus homo nomine Apor amplissimos honorum gradus assecutus non invenitur. Apor de genere Pécorus, qui anno 1283 vaivoda Transyl-vaniae, annis 1293—1297 iudex curiae, annis 1298—1299 palatinus fuit (Karácsonyi II, pp. 430 sq.), ad aetatem post scriptorem referendus est.

247—249

In obsidione ... propria sunt reversi — Fabula Botond a magistro Acus descripta posteritati tradita est. Anonymus non solum notitiam fabulae, sed etiam eam cognitam habuit, et quia non certis auctoribus legit, sed solum sermone audivit, repudiavit (Horváth pp. 297, 301 sqq.). Botond quidem ab ipso aetate Arpad producitur, aequalis Leel et Bulchu fuisse memoratur et vir fortissimus, a quo praeclara facta in bellis gesta sunt, dicitur. Secundum Anonymum ipsi tres a Bulgaris obsides exigerunt, usque ad portam Wazil inter civitates Sophiam et Philippopolim erectam irruerunt, terram Rasciae occupaverunt, cuius ducem comprehenderunt, usque ad mare Hadriaticum percurrerunt, civitatem Spaletum ceperunt et Croatia in potestatem suam redegerunt. Ad haec facinora militaria enumerata trium ducum adduntur:

“Quorum etiam bella et fortia queque facta sua, si scriptis presentis pagine non vultis, credite garrulis cantibus ioculatorum et falsis fabulis rusticorum, qui fortia facta et bella Hungarorum usque in hodiernum diem oblivioni non tradunt. Sed quidam dicunt eos ivisse usque ad Constantinopolim et portam auream Constantinopolis Botondium cum dolabro suo incidisse. Sed ego, quia in nullo codice hystoriographorum inveni, nisi ex falsis fabulis rusticorum audivi, ideo ad presens opus scribere non proposui” (SRH I, 87). Anonymus, quamquam fabulam posteritati tradere noluit, elementum illius quoddam et magni momenti conservavit: porta, quae securi Botond irrupta est, non aerea, sed aurea erat. Constantinopoli in parte occidentali exstructa erat porta huiusmodi, χρυσὴ πόρτη nominata, per quam duces victoriam reportantes triumphum agere soliti sunt. Contra Anonymum e fama detorta (sive e depravato textu) apud Simonem de Kéza porta aerea (“portam urbis, quae aerea erat”, SRH I, 171, pariter in Gestis et apud Th. “portam urbis, que erat metallina”, SRH I, 310 sq.) scripta est. Secundum H. Marczali identitas notanda est, quo modo porta aurea in fabula Botond et in descriptione duarum rerum historicarum memorata sit. Alterius in descriptione, ut Theophanes tradit, anno 813 Krum, chanus Bulgarorum summis viribus Constantinopolim obsedit, in campo a porta aurea usque ad mare porrecto inhonesta ac diabolica sacra fecit, mox ab imperatore postulavit, ut ipse hastam in portam auream inicere posset, cum autem imperator hoc ipsi abnegaret, in praetorium se removit. Secundum alteram autem, ut in “Chronicis Polonorum” a Gallo scriptis legitur, anno 1018 rex primus Poloniae, Boleslaus Fortis (Bolesław Chrobry) sororem magni principis Kioviae, nomine Jaroslai, qui filius et successor Sancti Vladimiri erat, in matrimonium petivit, repudiatus autem bellum intulit et urbe capta portam auream in duas partes gladio cecidit et admirantibus ridens dixit, cur hoc fecisset: filiam regis, quae ipsi foede negata est, non uxorem, sed concubinam ducet, ut ad ignominiam Russorum ulciscatur iniuriam generi suo illatam. Marczali portam auream opulentarum civitatum, quae insatiablem cupiditatem praedandi barbarorum assidue incitabant, perfringere symbolicum esse videt, item civitatem capere idem esse ac feminam rapere putat. G. Fehér (A bolgár-törökök szerepe és műveltsége [= Partes et cultus Bulgaro-Turcorum], Bp. 1940, p. 9) lanceam portae infixam simpliciter bellum indictum esse significare arbitratur, cui autem interpretationi textus Theophanis a Marczali quoque citatus contradicere videtur: “In ipsam Chrysen portam hastam infigere ab imperatore expetiit: quo petita respuente in proprium tentorium recessit” (ἡτήσατο τῷ βασιλεῖ πῆξαι τὸ δόρυ αὐτοῦ κατ’ αὐτῆς τῆς χρυσῆς πόρτης. τοῦ δὲ τοῦτο μὴ καταδεξαμένου, ὑπέστρεψεν εἰς τὴν ἴδιαν σκήνην [Chronographia, ed. I. Classen, CSHB 1839 I, p. 785]). Hic textus nullo modo ita explicari potest, ut Fehér arbitratus est: aut postulata ab imperatore persolverentur, aut lancea portae infigetur. At adhuc saeculo XII quoque traditio Byzantina hastae in

porta defixae probabiliter ut signum impetus ac belli illati viva erat, sicut Nicetas Choniates de imperatore Manuele Comneno notavit: “et imperator, ut sui aemulatione milites accenderet, primus equo invictus hastam in media porta defigit” (πρῶτος τοίνυν ὁ βασιλεὺς τῷ τῆς μιμήσεως δόμοιῷ διερεθίζων τὸν ὑπ’ ἐκεῖνον κατὰ τῶν τῆς πόλεως πυλῶν τὸν ἵππον ἐπαφίησι καὶ μέσον αὐτῶν τὸ δόρυ ἥλασεν [Historia, ed. I. Bekker, CSHB 1835, p. 175]). Vir fortis in fabula Hungarica nec rex, nec dux exercitus, nec vir nobili loco natus, sed unus e multis est. Virtutem et vires corporis iussu ducis Apor probat, illius autem luctatio cum homine Graeco immani mole corporis neutiquam ludus militaris, sed certamen tale est, quo rustici vires temptare solebant. In figura eius vulgus sibi monumentum perenne fecit: Botond statura humillimus inter Hungaros est, tamen ipse solus vincere potest, et quidem haud suo privato commodo, sed genti suae, nam gloriam non sibi comparatur est, ne praemium quidem expectat, quo neque afficitur. Nec potestas, nec divitiae ei ex sententia vulgi impertiuntur, in cuius memoria unus de suis ortus servatur, ut in figura eius verae indoles reconditae vulgi appareant. Fabula, sicut et re, et notis vetustatis approbat, saeculo X orta est. Annus 969 est ultimus, qui tempus incursionis Hungarorum in Byzantium factae credi potest (Paurer, Szt. István p. 91), post hunc annum iam nulla res gesta est, cui memoria cum Byzantio coniuncta adiungi potuit. Nimirum textus a fabulatoribus cantatus particulatim mutari potuit, re vera tamen immutatus remansit. Anonymus ipsum Botond et famam eius, si quidem obscurare non potuit, ad gloriam classis regnantis societatis vertere conatus est. Idem personam Botond ad duces Bulchu et Leel provexit, post mortem Arpad autem ab ipsis tribus regnum gubernatum esse tradidit, atque caudem duorum aliorum ducum post cladem ad Augustam Vindelicorum acceptam ab eo vindicatam esse et eum victorem rediisse scripsit. Etiam consanguineos nobiles ei tribuit, affirmans patrem eius Bissenum Culpun (Kölpény), patrum ducis Tusu (Tas) fuisse, tamen ad rem quandam unam ne ipse quidem satis magnam vim imaginandi habuit: proavum ne ullius quidem generum exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII splendide se gerentis Botond facere potuit. Nam nota familia, cuius in memoria Botond ut proavus superesset, non erat, itaque traditione huius modi deficiente Anonymus Arpad ei pro rebus magnis gestis praemio possessiones amplias tribuisse tradere non potuit. Sic Botond etiam apud Anonymum nullis prognatis relictis mortuus est, id est eum a vulgo separare et in numerum procerum ascribere Anonymo non plane successit. Familia de Óvár quidem, quae de genere Győr orta est, ex identitate nominum figuram Botond cum Bavaro milite Boto saeculi XI, quem proavum libenter habuit, commiscere conata erat, tamen frustra, veri simile est, quia fabula Botond populo Hungarico inveterata erat (Marczali H., A Botond-monda történeti kapcsolatai [= Coniunctiones historicae fabulae Botond], Akadémiai Értesítő [= Acta Academica] 27 [1916] 90 sq.). In memoria familiari generis Botond saeculi XIII ex identitate nominum opinio de

genealogia e viro fortissimo fabulae maiore iure vivere potuisset, tamen hoc genus copiis rei familiaris nequaquam abundabat, atque ita adiunctio ad id genus per se minime demonstravisset virum a vulgo devulsum esse. *Anonymous accipere*, ubi possessiones generis Botond sitae essent, et novisse potuit eas prope castrum Culpun (Kölpény) ad Savum sitas fuisse, atque forsitan ideo Culpun (Kölpény), a quo castrum nomen accepit, cognatum Botond diceret (cf. Karácsonyi I, pp. 273 sq.; Györffy p. 120), tamen ipse quoque tantam distantiam inter condiciones Botond, ducis temporis incursionum et condiciones generis saeculi XIII videre potuit, ut non auderet genus, quia vulgo nimium propinquum erat, a viro fortissimo fabulae ortum dicere. Bibliographiam copiosam fabulae profert Kristó (1970, 123 sq.).

tempora Toxum ducis — Aetas ducis Toxun ut cardo rerum iam apud 249 Anonymum memoratur, inde interpretari possumus distributionem aetatum a magistro Acus factam. Contra magistrum Acus Simon de Kéza commutationem rerum aetatum duce Geysa regnante fuisse tradit (Györffy p. 141; Horváth p. 344).

⟨54.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

De generatione ... Hungarorum — Index ex indice capitinis Chronici 250 Budensis transformatum est: “De generatione Sancti Stephani primi regis Hungarie post secundum ingressum de Scitia in Pannoniam ac de vita, bellis et morte eiusdem” (SRH I, 311).

Toxun ... Uazul — Genealogia probabilis est. Scriptori Gestorum Sancti Ladislai — a quo secundum Horváth (p. 341) totum caput conscriptum videtur — genealogia domus regnaticis nota esse potuit, eaque ab eo recte tradita est. E nominibus enumeratis Toxun et Geysa origine Turcica sunt, Michael, Vazul et Ladislaus e terminologia Christiana oriri videntur (v. caput ⟨60.⟩, sent. 265). Ut Hóman (p. 89) apte arbitratur, e sermone matrum pependit, quo nomine nati in baptizmo appellarentur, et quoniam Vazul (Vasilij), Ladislaus (Vladislaus) nomina Slavica sunt, concludit id, quod uxor Michaelis origine Slavica, forsitan Polonica esset. Attributum “Calvus”, Hungarice Zaar ‘szár’ non calvitium naturale, sed more paganico caput tonsum significat (Nagy G., Szent István király családi összeköttetései [= Coniunctiones familiares regis Sancti Stephani], Turul 24 [1906] 65). Res memoratu digna videtur Slavos ab archiepiscopo Salisburgensi, Theotmaro circa annum 900 more Hungarorum capitum detonsorum accusatos esse (“Sclavi ... Ungarorum more ... capita suorum pseudochristianorum penitus detonderunt” Gombos III, p. 2200), episcopus Cremonensis, Liudprandus autem anno 968 Constantinopoli “Bulgarorum nuntium Unga-

rico more tonsum" vidit (Gombos II, p. 1475). Filius natu minor ducis Toxun, Michael proavus est regum stirpis Arpadianae posteriorum. Uter Zaar Ladislaus (Ladislaus Calvus) an Vazul natu maior fuerit, certe discerni non potest. Ex hoc ordine enumerationis nominum Zaar Ladislaus natu maior esse potuit (Sz. Vajay: Grossfürst Geysa von Ungarn, Südost-Forschungen 21 [1962] 66), sed ex sententia nonnullorum Vazul natu maior erat, quia hic a Simone de Kéza atque in Chronicis Varadiensi et Zagrabiensi (SRH I, 172, 206) ante Zaar Ladislaum memoratur (Váczy P., A Vazul-hagyomány középkori kútfőinkben [= De fama Vazul in fontibus Hungaricis medii aevi], LK 18–19 [1940–1941] 312 sq.). Fieri potest, ut Zaar Ladislaus ante annum 1031 mortuus sit, nam, cum dux Emericus hoc anno de vita decessit, qui successionem composuerunt, de Zaar Ladislao nullam mentionem fecerunt (Wertner pp. 21, 111 sq.).

Geycha ... Stephanum — In Gestis Simonis de Kéza annus 967, quo Sanctus Stephanus natus esset, adnotatus est (SRH I, 172), sed hic annus per errorem scriptoris quoque descriptus esse potest. In fontibus autem Polonicis annus nativitatis Sancti Stephani pro certo annus 975 affirmatur, qui a Floriano Mátyás et a Karácsonyi probatus est. Wertner et Hóman (M. Tört. I, pp. 171, 435) verum annum nativitatis 969 fuisse declaraverunt, Paufer autem inclinat, ut arbitretur: annum 967 apud Simonem de Kéza inventum pro 977 false descriptum esse (I, pp. 384 sq. Adversariae opiniones enumerantur: Döry op. cit. in Szent István Ekv II, 563 sq.). In operibus recentioribus Gy. Bónis (István király [= Rex Stephanus], Bp. 1956, p. 28) et Sz. Vajay (op. cit. 47 sq.) annum 975 pro certo acceperunt. Millennium Sancti Stephani nati in Hungaria anno 1970 celebratum est, quamquam ne unus quidem e fontibus eum anno 970 natum esse tradit. Adnotatio, quae in opere "Epithoma rerum Hungararum" episcopi Lucerini Petri Ransani saeculi XV legitur, annum 975 in fontibus Polonicis memoratum confirmare videtur, ex quo Sanctus Stephanus tres et sexaginta annos natus anno 1038 mortuus est, cui annus 975 congruit. Quia Ransanus prius ex Gestis annum natalem Sancti Stephani annum 967 fuisse adnotavit, fontes Polonicos autem notos non habuit, Florianus Mátyás Ransanum e biographia quadam Sancti Stephani, quae aetate nostra non superest, annum duxisse arbitratus est (Disquisitio de anno natali et annis regiminis S. Stephani regis, Font. dom. IV, p. 294). Coniectura de fonte ignoto a viris doctis haud una mente accipitur (eandem probant Z. Tóth, Szent István legrégebbi életirata nyomán [= De indicio biographiae veterissime Sancti Stephani], Száz. 81 [1947] 23 sq.; Gerics p. 17; recusant Csóka pp. 623 sqq.; L. Blazovich, Ransanus és a "legrégebbi István-legenda" [= Ransanus et "legenda veterissima Stephani"], ItK 79 [1975] 186 sq.), tamen annum 969 omnino omittere haud necesse videtur. In Gestis tam pauca argumenta certa inveniuntur, ut arbitrandum sit ea a scriptore non ultro addita esse, et quoniam etiam opiniones falsae non sine causa ortae sunt, ne ipsas quidem ex coniecturis futilebus aspernari debemus, tantum ideo, quia falsae

videntur. In hac re proficere non poterimus, nisi accuratius perscrutaverimus ea, quae in anno 969 a viris doctis reprehensa sunt. Omnes, quibus annus 969 praematurus visus est, argumentum grave existimabant, quod in Gestis ipsis, ut e capite sequenti intellegi potest, Sanctus Stephanus cum regno potitus est, adolescens est dictus, et quoniam viro duodetriginta annorum hoc attributum parum aptum videtur, annus 977 autem vel annus 979 serus habetur, nam ipse Sanctus Stephanus anno 996 in matrimonium inicit, annus 975, qui in fontibus Polonicis quoque memoratur, maxime probandus est visus. Argumentatio infirma in capite sequenti tractabitur. Ex iis, quae ibi explicantur, annus 969 in Gestis omnino rectus ac nullo modo reprehendendus videtur.

sancti — Vocabulum solum in *B* et *D* legitur, in aliis cunctis variantibus vocabulum “*beati*” (SRH I, 312) invenitur.

quemadmodum ... scriptum est — E tribus legendis de Sancto Stephano veterima, legenda maior nominata, quae inter annos 1077 et 1083 oriri potuit, post eam autem tempore regis Colomani orta legenda Hartvici speciem nocturnam a duce Geysa visam enarrant (SRH II, 379, 404). Haec pars Gestorum igitur ante annum 1077 oriri non potuit. Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 52) legendam Hartvici hoc loco fontem Gestorum fuisse putat, quae circa annum 1100 orta est (Csóka p. 164).

Stephanum regem — Nomen eius, ut a Thietmaro adnotatum est primum Waic (Vajk) fuit, quod idem est ac nomen Turcicum dignitatis “*baj*”, id est ‘dux’ (Németh p. 293). Nomina personarum ac vocabula locorum Vajk medio aevo iterum ac saepius inveniuntur (Kristó—Makk—Szegfű I, p. 49). Nomen Christianum ab avo materno, a Gyula seniore traxit, cui enim Constantinopoli baptizato secundum Russicum opus quoddam disputaciones theologicas continens, quod ex nuntio hodie non extanti Byzantino manat, nomen Graecum “*Stephanos*” additum est. Partes magnae, quas uxor ducis Geysae in domo principali ad fidem Christi convertenda suscepit, explicant, cur hoc nomen heres regni acceperit (Moravcsik Gy., Görög nyelvű monostorok Szent István korában [= Monasteria linguae Graecae aetate Sancti Stephani], in Szent István Ekv I, pp. 399 sq.).

ex Sarolth filia Gyule — V. caput (32.), sent 213. Narratio Gestorum, ex qua mater Sancti Stephani Sarolt erat, in historiographia Hungarica vulgo accepta est. Karácsonyi ex fontibus Polonicis, sententiis futilibus factis iterum ac saepius Adelheidam, sororem ducis Poloniae Mieszko I. (Micislaw) uxorem ducis Geysae fuisse affirmavit. Ex quo partes singulæ Gestorum compositorum accuratius disiungi possunt, atque tempus, quo conscriptae sunt, quantum coniectare licet, constitui potest, theoriam Karácsonyi fictam ac dubiam esse magis manifestum est. Nam non est dubium, quin documenta genealogica Gestorum ad rem pertinentia temere orta declarari possint (Karácsonyi J., Az Árpádház második elágazása [= Secunda ramificatio stirpis Arpadianae], Turul 8 [1890] 53; Idem, Szent István anyja. I. András atyja. Új eredmények [= Mater Sancti Stephani.

Pater Andreae I. Conclusiones recentes], Turul 24 [1906] 97 sq.; Idem, Szent István pp. 6 sqq.; Idem, A Szent István anyjáról szóló adatok új megrostálása [= Indicia novissime recognita de matre Sancti Stephani], Turul 27 [1909] 1 sq.; Pauler I. p. 382; Idem, Szent István p. 187; Nagy G. op. cit. Turul 24 [1906] 53 sq.; Idem, Szent István vérsége és a magyar kútforrások [= Consanguinitas Sancti Stephani et fontes Hungarici], Turul 25 [1907] 26 sq., 127 sq., 175 sq.; 26 [1908] 14 sq., 155 sq.; Döry op. cit. in Szent István Ekv II, pp. 556 sq. Summarium novissimum quaestio[n]is v. Szegfű, in Horváth—Székely pp. 240 sq.).

rex ... filios — Vitam natorum, qui dicuntur, Sancti Stephani et documenta de iis accurate tractat Wertner (pp. 45 sq.). In recensione fontium — contra Hóman (p. 27) — satis explicatum est famam pristinam cum veritate congruenter tradidisse Stephanum plures filios habuisse et non nisi temporibus posterioribus Emericum unicum filium Stephani dictum esse (Tóth S., Magyar és lengyel Imre-legendák [= Hungaricae et Polonicae legendae Sancti Emerici], in AU Szeged. AH 11 [1962] p. 38; Csóka pp. 655 sq.).

251 *Hic ... Sapientie* — Pars, in qua praedicatur immaturam mortem rem solaci plenam esse, secundum S. Tóth (op. cit. pp. 38 sq.) medio saeculo XII interpolata est et e legenda Sancti Emerici transposita esse p[ro]ae se fert, nam in legenda dies supremus vitae Emerici non dies luctus, sed dies laetitiae factus est (SRH II, 456).

in libro Sapientie — Sap. 4, 11.: “Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius aut ne fictio deciperet animam illius.”

sanc[t]us ... Emericus dux — Dux Emericus una cum Stephano et episcopo Gerardo anno 1083 in numerum sanctorum relatus est (Pauler I, pp. 147 sqq.).

legenda eiusdem — Quando legenda Sancti Emerici scripta sit, ambigitur. E. Bartoniek (Praefatio SRH II, 443) inter annos 1109—1112, I. Madzsar (Szent Imre herceg legendája [= Legenda ducis Sancti Emerici], Száz. 65 [1931] 55 sq.) et Horváth (p. 153) inter annos 1109—1116 eam scriptam esse declaraverunt. A S. Tóth (op. cit. pp. 32 sqq.) quoque idem tempus probatur, tamen — contra opinionem historicorum temporum priorum — secundum eam legenda Sancti Emerici non ante, sed post legendam Hartvici scripta est. L. Erdélyi (Szent Imre legendája [= Legenda Sancti Emerici], Bp. 1930, 41 sq.) circa annum 1130, Csóka (pp. 200 sqq.) circa annum 1150 legendam Sancti Emerici scriptam esse putant. Editio novissima legendae: SRH II, 449 sqq. est.

Ut ergo acta ... scribere intendimus — Horváth (pp. 336 sq.) textum, oratione soluta atque extremis syllabis consonanti conscriptum esse subtiliter et vere constituit, et quia scriptor saeculi XIII prosam orationem syllabis extremis consonantem non conscripsit, haec discrepantia quoque partem textus prius ortam esse affirmat. Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 52) e numero plurali vocabuli “ab aliis scriptoribus” indicavit

scriptorem Gestorum, qui et legendam Sancti Emerici, et unam legendarum Sancti Stephani notam habuit, argumentum harum legendarum ideo tractare noluisse.

⟨55.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

De bello ... Symigensem — Index ex indice Chronicis Picti transcriptus est: 252
“Pugna sancti regis Stephani contra Cupan ducem” (SRH I, 312).

in adolescentia — Vocabulum ad aetatem Sancti Stephani atque ad annum statuendum, quo ille natus erat, magni momenti est. Omnes, qui negant Sanctum Stephanum anno 969 natum esse — ut scriptor Gestorum affirmit — et annum illius natalem tempore posteriore ponunt, afferunt Stephanum virum 28 annorum anno 997, quo dux Geysa mortuus est et quo bellum contra Cupan poni potest, “adolescentem” dici non posse (Pawler I, p. 22; Karácsonyi, Szent István p. 9). Attributum “iuvenis” in legenda maiore memoratum — dicunt — viro duodetriginta annorum convenit, attributum “adolescens” autem, quod et in legenda Hartvici, et in Gestis idem significat, magis viro viginti duorum annorum, sed vocabulum “puer” in legenda minore scriptum ne huic quidem convenit (cf. Pawler I, p. 384; Hóman, M. Tört. I, p. 435., eum corrigens Döry op. cit. in Szent István Ekv II, p. 564). Maximus error harum argumentationum est, quod a significacione hodierna verborum ordiuntur. Quid medio aevo vocabulum “adolescentia” significaverit, ex Etym. (XI, 2.) Isidori Hispalensis accurate constitui potest. Secundum Isidorum Hispalensem aetas humani generis ita dividitur: infantia ad annum septimum, pueritia ad annum quartum decimum, adolescentia ad annum duodetrigesimum, iuventus ad annum quinquagesimum, aetas senioris ad annum septuagesimum, senectus usque ad mortem durat. Quoniam in doctrina Isidori Hispalensis communis opinio medii aevi reddita, et simul affirmata est, dubium non est, quin vocabulum “adolescentia” in Gestis e sententia Isidori Hispalensis descripta sit. Nonnulli casus nimirum excipiuntur, quibus tamen Sanctum Stephanum anno 969 natum esse non refellitur. Aetates enim “infantia”, “pueritia” et “adolescentia” comprehensae saepe ut prima aetas “pueritia”, quae usque ad annum duodetriginta duravit, nominabantur (A. Hofmeister, Puer, iuvenis, senex. Zum Verständnis der mittelalterlichen Altersbezeichnungen, in Papsttum und Kaisertum, Forschungen zur politischen Geschichte und Geisteskultur des Mittelalters, Paul Kehr zum 65. Geburtstag dargebracht, hrsg. v. A. Brackmann, München 1926, pp. 289 sq., 295 sq., 304, 316). Attributum igitur “adolescens” in Gestis ab usu verborum illius aetatis non discrepat, quia vocabulum regi convenit, qui anno 969 natus est, ergo anno 997 annos duodetriginta habuit, simul attributa “iuvenis”, immo

quidem “puer” explicari possunt (Mályusz E., I. István születési éve [= Annus nativitatis Stephani I.], LK 39 [1968] 199 sqq.).

Cupan — Nomen Cupan (Koppány) idem est ac nomen dignitatis Turicum “kapan” (Németh p. 46). Medio aevo frequentatum nomen personale, item vocabulum loci erat (Kovács, Index p. 178; Kristó—Makk—Szegfű I, 47 sq.).

Calvi Zirind — Nomen in hac forma servatum est in *S B V₂ V₄* (SRH I, 313). Nomen Zirind (Szerénd) secundum Hóman (M. Tört. I, p. 181) in vocabulo villae hodiernae Szörény (saeculo XV: Zeren, Csánki II, p. 649) in comitatu Simigiensi (Somogy) servatum est, nomen personae Cupan villaे, quae Koppány nominantur, in confinio comitatuum Simigiensis et Tolnensis sitae servant, atque quoniam hae possessiones vicinae sunt cum villis nomina membrorum stirpis Arpadianae; Tarhos, Tevel et Tormás servantibus, a Hóman Cupan progenies Tarhos, id est propinquus Sancti Stephani putatur. Ut Györffy coniectat, Cupan progenies ducis Fayz (Fajsz) fuit, et Fayz propter ipsum Cupan ex indice nominum ducum in Gestis omissus est (Györffy, Tanulm. p. 85). Secundum G. Heckenast (p. 46) Zirind frater, aut frater patruelis pronepotis Arpad, Tormás fuit. Indicem vocabulorum locorum et nominum Szörény (Zerind) v. Kristó—Makk—Szegfű I, 48 sq.

ducatum tenebat — Terra, quam Cupan in potestate sua habuit, regio hodie comitatus Simigiensis nominata a lacu Balaton ad meridiem correcta est. Descensus Cupan prope hodiernam villam Somogyvár in colle, sub quo posterius sedes comitis erat, situs est. Valla extensa hodie quoque videntur (Holub J., A királyi vármegyék eredete [= De ortu comitatuum regalium], in Szent István Ekv II, p. 104). Somogy ut vocabulum loci etiam aliis locis invenitur, et origine nomen Hungaricum personale est (Melich J., Szepes és Poprád [= Scepusium et Poprad], MNy 25 [1929] 38; Idem, Adalék a kicsinyítő képzés történetéhez [= Additamentum ad historiam formationis deminutivorum] MNy 13 [1917] 18). In Gestis memoria servatur, quo modo regii prognati in Hungaria terram regni primum inter se divisorint. Ut in Bohemia ineunte saeculo X Venceslaus et Boleslaus, ita in Hungaria exeunte saeculo X Geysa et Cupan regionem stirpis suae inter se partiri potuerunt (summarium quaestionis cum adiecta litteratura v. Kristó, Hercegség pp. 48 sq.).

mortuo ... connubium — Ex auctoritate ecclesiae Christianae connubium inter propinquos vetitum erat. Contra quod inter paganos Hungaros consuetudo leviratus valuit, ex quo genus mariti viduam minori fratri mortui — ex locutione Hungarica “minori viro seu domino” — aut alteri viro cuidam eiusdem generis in matrimonium dare potuit (quaestionem etiam res analogicas ethnologiae attingens tractat G. Nagy op. cit. Turul 26 [1908] 112 sq.; Tagányi op. cit. Ethn. 28 [1917] 209 sq.). Cupan igitur more institutoque maiorum Sarolt sibi uxorem postulavit, Sanctus Stephanus autem generaliter interdixit — quod quidem causa regni quoque nunc postulavit —, ut viduae invitae novum matrimonium inire cogerentur

(decretum I, caput 26., Závodszky p. 149). In Gestis, cum connubium incestuosum memoratur, fides veritatis non observatur. Quoniam Cupan consanguineus cum Geysa, non autem cum Sarolt erat, matrimonium etiam secundum ecclesiam illicitum dici potuit (Döry op. cit. in Szent István Ekv II, p. 561).

ducatumque ... potestati — Sine dubio de eo actum est, quis in locum Geysae successurus esset: filius eius, an vir generis ex aetate maiore ad regnandum maxime idoneus. Sententiae pagana et nova Christiana de ordine successionis regnandi inter se collisae sunt. Ecclesia Christiana iuri hereditario rationem idoneitatis ad regnandum opposuit, et hanc potiorem putavit. Ergo ecclesia contra reges legitimos regibus Francorum Pipino et Burgundiae Bozo, mox Germaniae regibus adversariis rerum adepturis favit afferens hos magis idoneos atque aptiores ad regnandum esse. In Hungaria ecclesia filium Calvi Zirind sibi addictum habere non potuit, eo magis filium Geysae in fide Christiana educatum, quem omni modo directe atque indirecte ad res adipiscendas adiuvit. At Cupan non solum cupiditate regnandi quadam personali ad contentionem concitat, sed etiam studio regni e ratione senioratus, id est more antiquo adipiscendi (Hóman, M. Tört. I, p. 181) movet.

proceribus — In diplomatibus et legibus saeculorum XI–XII primores non solum “principes, optimates, primates, ministri maiores”, sed etiam “proceres” nominantur. Noti anni, quibus vocabulum “proceres” invenitur, hi sunt: 1097, 1143, 1146 (Szilágyi L., Az Anonymus-kérdés revízija [= Recensio quaestio de Anonymo], Száz. 71 [1937] 13, 16, 18), atque ita in continuatione temporis Colomani memoratum vocabulum ad illud tempus aptum videtur. (Tamen usus vocabuli “proceres” anno 1146 tantum ad tempus intermittit, nam saeculis XIV–XVI vulgo notum et persaepe usitatum erat.)

beatissimi Martini confessoris — Episcopus Turonensis S. Martinus (v. caput (13.)) sanctus gentis Francorum est. Solum in Francogallia quattuor milia ecclesiarum et capellarum de ipso nominatarum inveniuntur, cuius cultus saeculis V–VIII in toto regno Karoling, etiam in Germania meridionali et media divulgabatur (Künstle II, p. 439; F. Graus, Volk, Herrscher und Heiliger im Reich der Merowinger, Praha 1965, pp. 114, 325, 381) et una cum religione Christiana ad Hungaros quoque traductus est, a quibus ex fabulis regionalibus quoque benignius acceptus est.

primitus accinctus est gladio — A tempore Karoling consuetum erat, ut iuvenes familiarum principalium, cum sui iuris esse cooperunt, et inter arma ferentes numerati sunt, atque ad rem publicam accesserunt, rite et sollemniter gladio accingerentur. Ritus a patre perfectus est, si pater ipse iam non vixit, plerumque — ut a tutoribus — a summis sacerdotibus (archiepiscopis, episcopis), aut a propinquis (a patruo), a ducibus propinquis. Ab exeunte saeculo XI saepius accidit, ut persona patris a laicis gereretur (Erben 108 sqq.). Cum Sanctus Stephanus gladio accinctus est, episcopos defuisse clare

explicari eo potest, quod status ecclesiae eo tempore non satis ordinatus erat. Descriptio ad res ineuntis saeculi XII apta est, atque vocabulum a scriptore descriptum quoque ad illud tempus apte convenit. Vocabulum “accinctus est gladio” accurate idem est ac vocabula “ense accinctus est”, “cinxit”, “succinxit”, quorum in locum a medio saeculo XII vocabula pro gladio cingulum praedicantia, ut “cingulo insignire, decorare, cingulo militie accingere” (Erben 113) adhibita sunt. Secundum Z. Tóth (A Hartvik-legenda kritikájához [= Ad recensionem legendae Hartvici], Bp. 1942, p. 19) totus ritus sollemnis, quo Sanctus Stephanus accinctus esset gladio, fictus est, et ad res temporum posteriorum reduci potest.

ad custodiam ... constituit — Duo milites Germanici, ut e textu appareat, praefecti comitivae regiae (Gefolgschaft, družina), hodierno vocabulo: cohortis regiae, id est militum fidelium, quos rex ipse in potestate habuit, erant (Györffy, Tanulm. p. 85. Ad vocabulum “comitiva” v. Mályusz E., Az egynyelvű ország [= Regnum unius linguae], Száz. 75 [1941] 114 sq.; Elekes L., A középkori magyar állam története megalapításától mohácsi bukásáig [= Historia regni Hungariae mediæ aevi a primordio eius usque ad cladem apud Mohács acceptam], Bp. 1964, pp. 74 sq.).

Totius ... prefecit — “Exercitus totus” praeter ipsam comitivam regiam, id est cohortem regiam, pubem militantem comitatuum regiorum in se comprehendere potuit (Györffy, Tanulm. p. 85). Vencellinus iam in capite 40 Gestorum (Th. cap. (39.)), quod saeculo XIII ortum est, memoratus est, et quidem apte aetati scriptoris “capitaneus” nominatus. Vocabulum “princeps et dux” iam prius scriptum est, nam haec pars a scriptore saeculi XII conscripta est.

Commissio ... victoriam — Cupan cum exercitu lacum Balaton ambiens ad sedem descensus generis principalis ad Vesprimium progressus est, ubi exercitui Sancti Stephani a Strigonio appropinquenti obvius factus est. In proelio Stephanus victoriam magnam reportavit (Paurer I, pp. 26 sq.).

Vencellinus — Haec forma nominis tantum in *V₃* et *V₄* invenitur (SRH I, 313).

beneficiis — E sententia J. Horváth (P. mester és műve [= Magister P. et opus eius], ItK 70 [1966] 10) memoria aetatis Colomani, temporis codicis decreti I Colomani esse potest ea pars, quae remunerationem Vencellini tractans vocabulo “beneficium” utitur, quod post legem Colomani diu in usu iuris dictionis ac diplomatum omittitur, et in significatione ‘donatio feudi’ denuo in diplomate regis Belae III. anno 1193 invenitur.

Postmodum ... remuneratus est — Descriptio pugnae iisdem verbis iteratur, quibus in capitibus 76 et 93 Gestorum, sicut huius rei Domanovszky nos admonuit (Th. (64.) et (71.)). Ad possessiones generis Rád a Vencellino orti v. Karácsonyi III/1, pp. 1 sqq.

254 *Strigoniensem* — Hodiernum Strigonium (Esztergom) ad ripam dexteram Danubii adversus ostium fluvii Grani est, ubi archiepiscopatus primus a Sancto Stephano conditus est. Sedes non solum comitum, sed etiam regum

saeculis XI—XII erat, quo, ut traditur, Sanctus Stephanus natus est. Vocabulum loci Strigonium (Esztergom) e nomine personae oritur et idem est atque Hungaricum nomen Sztrigon, quod Slavico nomini Strigon congruens est (Melich p. 401). Secundum sententiam Györffy vocabulum e nomine opificum loricarum “strgūn” oriri potuit, atque ita vocabulum loci e nomine negotii factum est (TSz 15 [1972] 287, adnot. 108).

Wesprimiensem — Hodierna civitas Vesprimum (Veszprém) iam aetate Sancti Stephani sedes comitum et episcoporum atque sedes curiae reginae erat. Sedem curiae reginae in civitate fuisse — praeter cetera — monasterio monacharum iuxta civitatem in valle Vesprimensi condito quoque demonstratur, cuius diploma fundationale Graece scriptum ineunte saeculo XI ortum esse potuit, in renovatione regis Colomani anni 1109 ad nostram aetatem servatum est (Szentpétery I., Szent István király oklevelei [= Diplomata regis Sancti Stephani], in Szent István Ekv II, pp. 192 sq.). Ipsa ecclesia episcopalnis Vesprimiensis saeculo XV famam veterem appellans se ipsam prius, quam ecclesiam Strigoniensem conditam esse declaravit (Korompay Gy., Veszprém, Városképek — műemlékek [= Vesprimum, Conspectus urbium — artis monumenta], Bp. 1957, p. 16). Nomen civitatis e nomine personae ortum est. Idem est ac nomen personae Slavicum Bezprem (bez + прѣмъ ‘non directus, inaequalis, inquietus’) (Melich pp. 398 sq.). De vocabulis loci Veszprém v. Kristó—Makk—Szegfű I, p. 51.

Iauriensem — Hodierna civitas Iaurinum (Győr) iuxta Danubium, apud ostium fluvii Arrabonis (Rába), ad occasum a Strigonio, loco Romanae civitatis Arrabona sita est. A Sancto Stephano sedes comitatus et episcopalnis facta est (Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 103). Variati ordines vocalium acutarum et gravium aetate media valuerunt, et sicut ex argumentis confirmari potest, initium verbi littera consonanti J formatum (anno 1009: in civitate Jauryana) prius valuit, quam initium verbi consonanti G formatum (Váczy P., A város az ókor és a középkor fordulóján [= Civitas exeunte antiqua aetate et ineunte medio aevo], in Győr, Várostörténeti tanulmányok [= Iaurinum, Studia de historia civitatis], Győr 1971, pp. 54 sq. V. adhuc Mikos J., A fehérvári kereszesek 1193. évi oklevele mint magyar nyelvemlék [= Diploma anni 1193 cruciferorum Albensium ut monumentum linguae Hungaricae], MNy 31 [1935] 250. Cf. Knieza I., Magyarország népei a XI. században [= Populi Hungariae saeculo XI], in Szent István Ekv II, p. 463). Ex opinione divulgata vocabulum loci Iaurinum e nomine personae ortum est. Nomina personarum Győr v. Váczy op. cit. p. 69, vocabula locorum Győr (Geur, Jaur) v. Kristó—Makk—Szegfű II, pp. 20 sq. Nomen Győr B. Szőke (Győr nevéről [= De nomine Iaurini], Arrabona 2 [1960] 13 sq.; Idem, Fejezetek Győr kora középkori történetéből [= Tractationes de historia praemediaevali Iaurini], Arrabona 1 [1959] 91 sq.) idem esse dicit ac nomen commune geographicum “győr”, cuius significatio est: ‘tumulus, qui e solo aquatico prominet’. Secundum Váczy (l. cit.) nomen Győr ab Avaris civitati datum est; denominatio e

verbo vetere Turcico "yoyur" (vel "yuγur") significanti 'transire, pervadere' orta Iaurinum a temporibus veterrimis aditum pontis viae per paludes magnas fluvii Arrabonis ductae fuisse demonstravit.

Erdel — Hic in Gestis pars regni nominatur, tamen haud dubium est scriptorem praeter tres alias civitates, maximam et veterissimam civitatem Transylvaniae, Albam Iuliam putavisse, quae simul etiam sedes episcopalis erat.

Ipsum vero ... in Erdel — Pauler descriptionem veterem esse ex eo acute cognoscit, quod inter quattuor civitates Alba Regia non memoratur, quae postea caput regni facta est. Scriptor, dicit Pauler, adhuc notum habuit Albam Regiam civitatem a Sancto Stephano posterius conditam esse. Itaque scriptor Gestorum anachronismum non descriptis, sicut scriptor Chronicus Polonorum, qui Stephanum Albae Regiae coronatum esse tradit (Pauler I, p. 389, adnot. 51). Portae, in quibus secundum descriptionem cadaver Cupan dissecutum propalam positum est, portae non ecclesiarum, sed saepimentorum ligneorum vel aggerum exstructorum coloniarum iuxta ecclesias conditarum esse potuerunt. Unaquaeque quattuor civitatum medio aevo partem velut arcem exstructam munitamque habet, Strigonum et Iaurinum autem civitates iuxta magnam occidentalem mercandi viam sitae, ut e statuto telonario apparet, loca frequentata commercii vividissimi sunt. Usque in hodiernum diem haud explicatum est, Sanctus Stephanus utrum minitabundus (admonens, ut omnes dominium ac potestatem regis probent), an animos sedatus (ne novi regnum obtinentes statum pristinum reversum iri timeant) cadaver Cupan in quattuor partes distractum in quattuor loca et quidem qua de causa in haec loca dimiserit (Kulcsár P., A magyar államszervezés néhány problémája. István és Ajtony harca [= De nonnullis quaestionibus conformandi status regni Hungariae. De certamine Stephani et Ohtum], in AU Szeged. AH 3 [1958] p. 37). L. Erdélyi quidem (Krónikáink p. 30) — certe falso — sententiam ostendit distrahere in quattuor partes et figere partes cadaveris supplicia aetatis militum fuisse.

decimas ... dare — Vocabulum "liber" vulgo ut 'proles' intellegitur (Gericus p. 81), et quia in legenda Hartvici haud ambigue decima pro lum monasterio danda ("constituens ... tam stricte decimas dari, ut si cui decem liberos habere contingeret, decimam prolem sancti Martini cenobio daret", SRH II, 410), immo etiam in diplomate proles ut decima monasterio debita (Pannonh. I, p. 148) memorantur, interpretatio haud reprehendenda videri potest. Grammatice tamen minus probatur: decima frumenti et pecorum a pueris data cogitari non potest. Textus recte intellegitur vocabulum "liber" pro adjektivo 'liber = non servus', non autem pro substantivo 'liber = proles' interpretando. Ita decima hominum liberorum, decima messis eorum et decima pecorum a rege monasterio data est. (Sic etiam Erdélyi interpretatur, Krónikáink p. 145.)

Beatus ... decrevit — In honorem Sancti Martini sacratum monasterium ordinis Sancti Benedicti in Monte Sacro Pannoniae, ut e diplomate Sancti

Stephani interpolato anno 1002, tamen in parte narratoria exemplum verum sequenti appareat, a duce Geysa aedificari inceptum est, cuius opus a rege Stephano finitum est ex voto quidem, quod Stephanus tunc vovit, cum ipse contra Cupan se proelio commisit. “Votum vovi — dicit rex in diplomate vocabulis, quae in Gestis quoque inveniuntur — sancto Martino, quod si de hostibus interioribus et exterioribus eius meritis victor exsisterem, suprano-minati [Sumigiensis] decimationem de omnibus negociis, prediis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus vinumque hospitum, quod in prediis eorum excresceret, ne parrochiano episcopo pertinere videretur, sed magis abbati eiusdem monasterii … subiugarem” (Pannonh. I, p. 589). Textus diplomaticus et Gestorum invicem se affirmant et supplent, atque ita decima comitatus Simigiensis a rege non episcopo Vesprimensi, sed monasterio in Monte Sacro Pannoniae ex voto data esse non ambigitur. Hic successus, qui exstitit, postquam Cupan devictus est, in capite quodam superiore Gestorum quoque memoratur, tamen — quod magni momenti est — in alia sententia verborum (Th. cap. (40.), Gesta cap. 41. SRH I, 297). Nam res sic narratur: “plures nobiles Hungari duci Cupan adherentes … ad turpia servitia sunt detrusi”. Contradictio in eo appareat, quod dum secundum caput superius sectatores Cupan in servitutem abducti sunt, secundum textum nunc explicatum autem illi tantum decimam persolvere debuerunt. Rem diligentius Gerics explicavit (pp. 7 sq.) noscitanus sententiam veram horum vocabulorum minoris legendae Sancti Stephani: “Quidam nobilium” — narratur in legenda — seditionem moverunt, sed a rege devicti sunt, qui e possessionibus eorum nil sibi retinuit, sed monasterio dedit. “Ilos autem et posteros eorum usque in presentem diem servos ecclesie instituit. Postea impetratio suorum optimatum consilium cepit, ut tantum decimas ex his, que possidebant, darent, ne afflicti disperderentur e terra” (SRH II, 395). Sicut a Gerics recte indicatum est, inter vocabulum “usque in presentem diem” et partem extremam enuntiationis contradictio est, itaque verba, quae in servitutem abducere tractant, ex opere quodam priore transcripta esse videntur. (Secundum Csóka pp. 644 sq. inter duo capita chronici nulla contradictio invenitur, et caput superius Gestorum — 41., Th. (40.) — item post legendam Hartvici scriptum est, sicut etiam hoc caput.) Textu huius operis, quod exstitisse coniectatur, usus est scriptor legendae minoris, sed res ibi descripta in textu Gestorum aetati nostrae relicto quoque servata est. Et quidem, ut adici potest, non solum in capite 41., sed etiam in hocce capite. Nam praeter decimam liberorum “universus populus” in provincia Cupan habitans a Sancto Stephano monasterio datus est. Quaeritur, quid vocabulum “universus populus” significet. “Liberos” sine dubio non, quia hi tantum decimam persolvere debuerunt. Nec omnes incolas, nam tunc — praeter liberos — solus dominus comitatus Simigiensis monasterium factum esset. Quaestio vocabulo “provincia Cupan” recte interpretando solvitur. Causae duae coniectari possunt. Sive statum rerum aetate ducum sic constitutum esse sicut comitatus ineuntis saeculi XII constitutum esse

scriptor Gestorum credidit, sive autem indicia comitatum a regibus posterius constitutorum iam in hoc statu apparuerunt et Cupan populum in possessionibus generis sui habitantem et liberos inter possessiones habitantes non eisdem condicionibus in sua dizione tenuit. Quoniam in capite 41. Gestorum et in legenda minore rebellantes “nobiles” nominantur, genus Cupan in servitutem abduci potuit, et populus huius generis in servitutem abductus in manus alterius domini iussu Sancti Stephani pervenit, mox item permissu regis obligatio eius imposita in decimam persolvendam minuta est.

Vencellinus — Sic in *V₁₋₄* legitur.

Vencellinus ... Martinum — Investigatores diu statum pristinum generis Ják in hac genealogia servatum esse putabant (Karácsonyi II, p. 244). Ex eo, quod a scriptore Gestorum tam accurata diligentia status generis descriptus est, iure conici potest scriptorem ipsum memoriam familiae suae posteritati traditurum fuisse. Ab Ubul Kállay scriptor cum capellano regio Cupan nominato identificatus est (Turul 33 [1915] 21 sq.), quam conjectaram paucis rebus emendatis, scilicet ut scriptor filius Cupan vel Martini hominum in Gestis memoratorum fuisse, etiam Hóman (p. 68) veri similem putavit. Sed haec interpretatio nostro tempore iam ideo probari non potest, quia Horváth (pp. 337 sqq.) et alii eum sequentes (Mályusz pp. 35 sqq.; Gerics pp. 84 sq.) opus, quod Gesta Ladislai regis nominatur — itaque hoc caput — ultimis annis dominationis Colomani, inter annos 1109—1116 ortum esse demonstraverunt, ergo Cupan, qui episcopus in terra Russica anno 1099 imperfectus est, scriptor operis nimirum haberi non potest. Gy. Györffy (Koppány lázadása [= Seditio Cupan], Somogy megye múltjából [= Ex historia comitatus Simigiensis], pp. 7 sq., 15) seditionem Cupan in chronico circa annum 1100 descriptam esse putat. Secundum Csóka (pp. 546, 543) in hac genealogia proavi generis Rád memorantur, et ipsa genealogia decennio post annum 1160 facta est. Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 59) caput aetate Geysae II. scriptum esse arbitratur.

(56.)

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est parte a magistro Acus inserta.

255 *De pugna ... Transsiluano* — Index ex indice capitinis Chronici Picti formatus est: “Sanctus rex Stephanus pugnat cum Gyula duce Transiluano” (SRH I, 314).

beatus ... est adeptus — Tempus coronationis mense Augusto anni 1001 fuisse Florianus Mátyás (Font. dom. IV, pp. 296 sq.), Karácsonyi (Szent István megkoronázása [= Coronatio Sancti Stephani], Száz. 35 [1901] 869 sq.) et Pauler (I, pp. 31 sqq., 391) constituerunt, contra quos Hóman

tempus coronandi diem Nativitatis Domini anni 1000 fuisse affirmare conatus est (Szent István megkoronázásának időpontja [= *Tempus coronandi Sancti Stephani*], MNy 23 [1927] 443 sq.), sed argumenta eius haud satis gravia videntur. Quoniam factum coronandi confirmationem regni Hungariae stabilitam esse demonstravit, et potestatem regni immunitatemque eius significavit, rerum scriptores Teutoniae ante secundum bellum universarum gentium coronationem Sancti Stephani quasi e consiliis de regno imperatoris Othonis III. effectam esse, itaque hegemoniam Teutonicam valuisse ostentaturi fuerunt. Consilia litteraturae copiosae, quamquam summa eruditione compositae, praecipue in studiis A. Brackmann percipi possunt (Kaiser Otto III. und die staatliche Umgestaltung Polens und Ungarns, Abhandlungen der Preussischen Akademie der Wissenschaften, Phil.-hist. Klasse, 1939, Nr. 1, Zur Entstehung des ungarischen Staates, 1940, Nr. 8.). Argumenta contraria historiographiae Hungaricae J. Deér conscripturus fuit (A magyar királyság megalakulása [= *De condito regno Hungariae*], A Magyar Tört. tud. Int. Évkönyve 1942, pp. 1 sqq.; editio Germanica: Die Entstehung des ungarischen Königtums, AEKO 8 [1942] 52 sqq.). Quod vocabulum “regie celsitudinis corona” Gestorum regnum Hungariae sui iuris fuisse affirmat, Deér recte ostendit, sed argumentatio eius ad persuadendum haud accommodata videtur, quia ipse partim argumentis auctoritatis confisus est (exempli causa interpretationem Hóman, ex qua Stephanus anno 1000 coronatus est, inconsiderate accepit), partim veritati cognoscendae argumenta speciosa anteposuit. Itaque ipsi intelligere debemus id, quod conclusiones eius a M. Uhlirz improbables habitae sunt. Magis ambigitur et incertum putatur, qualem coronam rex Stephanus anno 1001 a papa Silvestro II. acceperit, quam id, quo tempore et quibus condicionibus coronatus sit. Coniectura ex inscriptionibus Graecis et imaginibus eius facta constitui potest regem Geysam I. partem inferiorem coronae ab imperatore Michaelie Duca anno 1075 accepisse. At sententiae inter se plurimum differunt de origine partis superioris coronae. E sententia nonnullorum haec pars coronae saeculo XIII, at aliorum exeunte saeculo X confecta est. Item diversae sunt opiniones, utrum iam initio ad coronam destinata sit an non, nam exempli causa secundum N. P. Kondakov operculum ciborii fuit, primumne formam apertam an opertam habuerit (Moravcsik Gy., A magyar szent korona a filológiai és történeti kutatások megvilágításában [= *Sacra corona Hungarica ex pervestigatione philologorum et historicorum*], in Szent István Ekv III, pp. 425 sq.). A plurimis coronam apertam fuisse creditum est. Secundum Karácsonyi ea una cum Sancto Stephano sepulta et tantum Sancto Stephano canonisato in lucem prolata est, et tunc apparuit id, quod aliquot bracteae eius emaillicae contusae sunt, itaque pars reliqua in duas laminas disiuncta coronae apertae, quam Geysa Byzantio accepit, imposita est, atque tali modo haec corona operta formata est.

(Hogyan lett István koronája a magyar szent korona felső részévé? [= Quo modo corona Sancti Stephani pars superior sacrae coronae regni Hungariae facta sit?] Ért. tört. tud. XXI/6, Bp. 1907). Sicut autem F. Bock arbitratur, qui ipse coronam diligenter inspiciebat, pars superior coronae iam principio quoque opera, ad formam cassidis facta erat, quattuor bracteae emailicae, quae simulacra apostolorum monstrabant et hodie desunt, in partibus ultimis quattuor laminarum positae erant, laminae autem absidibus coniunctae sunt. Id est corona Sancti Stephani eo tempore quoque eandem formam habuit ac pars superior hodiernae coronae. Quaestioni persolventiae impedimento est, quod corona technice accurate probata non est, et historici artium liberalium, quibus occasio ad inspiciendum oblata est, opinionem praeiudicatam suam vix mutare potuerunt (Gerevich pp. 237, 270). Corona inter annos 1945—1978 extra Hungariam servata est. Hoc tempore permulta opera historiam coronae Hungariae tractantia scripta sunt: M. Uhlirz, Die Krone des heiligen Stephan, Forschungen und Vorarbeiten zu den Jahrbüchern und Regesten Kaiser Ottos III, 1, Graz—Wien 1951; P. J. Kelleher, The Holy Crown of Hungary, Papers and Monographs of the American Academy in Rome, vol. XIII, 1951; M. Bárány-Oberschall, Localization of the Enamels of the Upper Hemisphere of the Holy Crown of Hungary, The Art Bulletin 31 (1949) 121 sqq.; Th. von Bogyay, Die Stephanskronen, Atlantis 21 (1949) 114 sq.; Schramm, Herrschaftszeichen (A. Boeckler) III, pp. 731 sq. (Cf. Uhlirz, Jahrbücher II, pp. 572 sq.) In litteratura post annum 1945 opus J. Deér (Die heilige Krone Ungarns, Österr. Akad. d. Wiss. Phil-hist. Kl. Denkschr. 91, Wien 1966) prominet. Ut in eo constitutum est, pars inferior (corona Graeca) bracteis emailicis coronae Michaelis Ducae adhibitis corona reginae in Hungaria exeunte saeculo XII facta est, bracteae emailicae autem partis superioris (coronae Latinae) in Hungaria circa annum 1200 factae sunt. Corona e laminis composita ad compensanda Hungarica ornamenta regia, quae anno 1270 in Bohemiam tracta sunt, ad coronandum Stephanum V. vetere corona reginae adhibita facta est. Adnotationes criticae: Komjáthy M., Szent István koronája-e a szent korona? (= Sacra corona vere eadem sit ac corona Sancti Stephani?) Élet és Tudomány (= Vita et Scientia) 25 (1970) 2023 sq.; Györffy Gy., Mikor készülhetett a szent korona? (= Quo tempore sacra corona construi potuerit?), Élet és Tudomány (= Vita et Scientia) 26 (1971) 58 sq.; László Gy., Száz. 106 (1972) 466 sq. Corona Hungariae et clenodia regia anno 1978 in Hungariam reportata sunt. Summaria historiae coronae novissima sunt: Bertényi I., A magyar korona története (= Historia coronae Hungaricae) Bp. 1978.; Benda K.—Fügedi E., A magyar korona regénye (= Res gestae coronae Hungaricae) Bp. 1979.

avunculum — Sic in Chronico Picto legitur. In variantibus Chronicis Budensis: "proavunculum" (SRH I, 314) invenitur.

avunculum suum ... gubernacula possidebat — Filius Gyulai baptizatus circa annum 946 Constantinopoli, frater Sarolt, avunculus Sancti Stephani

erat (Pawler, Szent István pp. 75, 172 sqq.). Potestas, quam ipse a proavis honorem gyulae sibi proprium facientibus hereditate possedit, in regione magna se extendit. Sedes gubernaculi Alba Iulia loco Apuli Romani aedificata erat, cuius etiam nomen similiter fictum atque Alba Regia Transdanubiana forsitan auctoritatem possessoris significaverit. Incolae Hungarici regionis e terra descensus tempore occupationis patriae inter Tisciam, Crisium et Marusium porrecti adverso fluvio Marusio progrediebantur, et campos patentes rebus rusticis aptissimos obsesserunt, fundamento autem dicionis familiae gyularum praeter loca auri fodiendi imprimis salis fodinae erant, sal autem navibus secundo fluvio Marusio ad regiones occidentales regni devehebatur. Situm civitatis Albae Iuliae sedem peropportunam fuisse eo quoque demonstratur, quod hic quadrivium naturale viarum e valle Marusii ad meridiem in Carpathes et in septemtriones ad fluvium Samusium ferentium est. Familia Gyulae sedem regionis in potestate tenens etiam Hungaros in vallibus fluviorum Crisii et Samusii in terram Transylvaniae progredientes potestati sua subicere potuit. Vocabulum Gestorum, quo regio dicioni Gyulae subiecta "regnum" at non "ducatus", sicut possessio Cupan, nominatur, atque quibus forma regnandi "gubernaculum" describitur, potestatem Gyulae peropportune illustrant.

beatus Stephanus ... transmisit — Textus Gestorum et adnotatio inferius citata Annalium Altahensium anno 1003 addita inter se congruunt: "Stephanus rex Ungaricus super avunculum suum Iulum regem cum exercitu venit, quem cum adprehendisset cum uxore ac duobus eius filiis, regnum vi ad christianismum compulit" (Gombos I, p. 92). Coharentes textus rationem a Pawler ingressam affirmant, qui rem anno 1003 accidisse constituit, annum autem 1002 in Gestis non nisi mendo scriptoris adnotatum esse declaravit (I, pp. 41, 395.), atque eum omnes rerum scriptores Hungarici posteriores in hoc sequuntur. Duo filii: Bua et Buhna posterior (caput 66., sent. 289 sq.) memorantur. De vita Gyulae v. caput sequens.

Hoc autem ... iniuria conquievit — Propositum id, quod causa belli refutatio religionis Christianae accipiendae fuit, nimium quaesitum videtur. Huic proposito contradicit, quod pater Gyulae expulsi, postquam ad Christianam religionem transiit, Constantinopoli monachum, cui nomen erat Hierotheus, secum traxit, quem patriarcha Constantinopolitanus Theophylactus episcopum propagandae fidei in Turcia consecravit (Moravcsik op. cit. in Szent István Ekv I, 392 sq.), et quamquam Gyula anno 1003 devictus fidem Christianam deserere potuit, tamen, quia soror eius Sarolt, quam animum mariti et filii commovisse non potest negari, in fontibus fidelis Christiana memoratur (Németh Gy., A magyar keresztenység kezdete [= Principia fidei Christianae in Hungaria], Budapesti Szemle [= Acta Budapestinensis] 256 [1940] 24 sq.,); id propositum, quod inimicitiae e rationibus imperandi eruperunt, magis consideratum videtur.

Erdeelu — Forma "Erdeeln" in b a evidenter erratum typographicum est. Cf. S: Erdeelu, V_I: Erdeelw (SRH I, 315).

plurimiſ fluviis ... optimum est — Tempore Dacorum, mox Romanorum in Transylvania metalla auro abundantia exercebantur, sicut inventa et cuniculi relicti testantur, sed consuetudo aurilegii quoque pervulgata erat (Pauly—Wissowa, VIII, 1973; Pecz V., Ókori Lexikon [= Lexicon antiquitatis], I, Bp. 1902, p. 516). Post occupationem patriae Hungarorum tantum secunda parte saeculi XIII argumenta de re metallica afferuntur (Wenzel, Bányászat 124 sq.), monumenta, in quibus aurilegium memoratur, haud cognita sunt, tamen narratio Gestorum inopia argumentorum non refutatur. Nomine fluvii Transylvaniae, qui Hungarice Aranyos 'auratus' nominatur, consuetudinem aurilegii vere pervulgatam fuisse ad persuadendum accommodate probatur. Anonymus quoque terram Transylvaniae similibus verbis describens dicit: "Quod terra illa irrigaretur optimis fluviis ..., et quod in arenis eorum aurum colligerent et aurum terre illius optimum esset" (SRH I, 66). Hoc concentu miro viri docti iam pridem in eam sententiam adducti sunt, quod haec pars textus ab Anonymo et a scriptore Gestorum e fonte communis transcripta est (Pauler—Szilágyi p. 423, adnot. 1; Váczy P., Gyula és Ajtony [= Gyula et Ohtum], in Szentpétery Ekv p. 487). Caput B. Hóman (Turul 30 [1912] 109) e chronicō vetere, Györffy (p. 169) e Gestis veteribus, Horváth (p. 341) aetate regis Colomani, Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 60) medio saeculo XII (tempore Geysae II.) derivatum esse arbitrantur.

⟨57.⟩

Caput, in quo argumenta Gestorum veterum adhibentur, a magistro Acus conscriptum est.

256 *De exercitu ... sequitur* — Index ex indice capitis Chronicī Picti variationibus maximis adhibitis transcriptus est: "Tertium bellum sancti regis Stephani contra Kean ducem" (SRH I, 315).

Kean — Interpretationem nominis v. ad caput ⟨ 32. ⟩, sent. 214.

movit exercitum ... devicit et occidit — Dux, cuius nomen dignitatis origine Turicum hic ut nomen personae memoratur, atque Ohtum (Ajtony), qui in legenda Sancti Gerardi memoratus est, a Pauler (I, pp. 44, 398 sq.) iidem esse dicuntur (SRH II, 487, 489). T. Ortvay (Magyarország egyházi földleírása a XIV. század elején a pápai tizedjegyzékek alapján feltüntetve [= Geographia ecclesiastica Hungariae ineunte saeculo XIV^o e tabulis rationes collectorum pontificorum annorum 1281—1375 referentibus eruta, digesta, illustrata], II, Bp. 1892, p. 617) Kean principem de vetere genere ortum Hungaricum, Melich (pp. 38 sq.) autem ducem Transylvaniae fuisse arbitrantur. Secundum Hóman (Turul 30 [1912] 111, Idem, M. tört. I, p. 179), mox secundum P. Váczy (op. cit., in Szentpétery Ekv, pp. 475 sqq., 505 sq.) Kean idem esse putandus est ac Samuel,

imperator Bulgarorum (980—1014), contra quem Sanctus Stephanus anno 1004 ut socius Graecorum pugnavit. Bella Basilei II. exeunte saeculo X et ineunte saeculo XI contra Bulgaros gesta tam feliciter gerebantur, ut una cum aliis civitatibus etiam Bidinum (Vidin) sub dicionem Graecorum redigeretur (Slatarski I, p. 76; Fehér G., A bolgár egyház kísérletei és sikerei hazánkban [= *Temptationes et eventus ecclesiae Bulgarae in Hungaria*], Száz. 61—62 [1927—1928] pp. 7 sq. A Fehér adiectio quaedam chronicci Ioannis Scylitzis extollitur, ex qua prima uxor filii imperatoris Samuelis, Gavril-Radomir filia ducis Hungarici — certe Geysae —, id est soror Sancti Stephani erat. Cf. Moravcsik, Forrásai p. 182; Deér J., Észrevételek [= *Annotationes*], Száz. 61—62 [1927—1928] 333 sq.). Commemoratio Gestorum de bello Bulgaro apte suppletur narratione saeculi XI nominata “Fundatio ecclesiae S. Albani Namucensis”, ex qua, cum episcopus Varadiensis (Bihoriensis) Leodvinus originis Lotharingiensis in civitate Namucensi (hodie Namur) adisset, ecclesiae illi reliquias quasdam S. Georgii dedit, quibus ut fidem afferret apud incredulos de origine reliquiarum haec dixit: imperator Byzantii regem Stephanum sibi socium conciliavit, quo adiuvante civitatem Caesariam (Ochridam) occupavit. Stephanus a Graecis discrepans praedationibus se abstinuit, tamen ex ecclesia Sancti Georgii reliquias ibi inventas secum portavit, quarum pars posterius, tempore Andreeae I. ad episcopum allata est (Gombos II, pp. 969 sq. Cf. Moravcsik, Magyarság p. 66). Bellum ideo anno 1004 ductum esse veri simile videtur, quia Stephanus anno 1003 contra Gyulam pugnavit, inter annos 1004—1013 autem in rebus Polonicis occupatus erat, atque ita iure existimari potest Stephanum statim devicto Gyula bello Bulgaro—Graeco se immiscuisse (Fehér G., *Bulgarisch-ungarische Beziehungen in den V—XI. Jahrhunderten*, Keleti Szemle, Revue Orientale 19 [1921] 143 sq., 150 sq.). Sententia Hóman et Váczy, ex qua Kean cum Samuele, imperatore Bulgarorum identificari potest, apud viros historiae peritos probatur (Györffy p. 156. V. adhuc Gy. Moravcsik, *Der ungarische Anonymus über die Bulgaren und Griechen*, Revue des Études Sud-Est Européennes 7 [1969] 170). Incertum est, in quonam chrono Hungarico bellum contra Kean ductum primum descriptum sit. Hóman (Turul 30 [1912] 109) et Györffy (pp. 22, 156, 169; Idem, op. cit. Ethn. 76 [1965] 419 sq.) in Gestis saeculi XI, Horváth (p. 337) a continuatore ineuntis saeculi XII, Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 60) a chronographo temporis Geysae II. bellum descriptum esse arbitrantur.

Erat enim ille ... super gentes opulentas — Zoltan, proavus Sancti 257
Stephani a scriptore Gestorum cum illo duce Zoltan identificatur, qui filius
et successor Arpad probabiliter anno 945 mortuus est. Sententia, ex qua
ipse adhuc tempore Sancti Stephani quoque vivere potuerit, omni probabili-
tate caret, eadem proprietas Gestorum de genealogia falso sentientium,
quaе eo loco quoque apparent, ubi proavus Almi, Ed et huius frater Edumen
tempore occupationis patriae vixisse memorantur (SRH I, 280, 284; Th.

capita (25., 28.). De hoc Mályusz 1971, pp. 50 sq.). Györffy (p. 169) duos locos sequentes Gestorum falso interpretatur. Almus in Gestis non pronepos Attilae, sed quinta suboles eius est, Sanctus Ladislaus autem non nepos Sancti Stephani est, nam “nepos” etiam ‘patrui filium’ significat. Györffy nos admonuit a scriptore saeculi XIII, sine dubio a magistro Acus, Kean in chronicō priore memoratum ac Gyulam Transylvanum identificatum esse, atque ideo regnum ducis devicti in Transylvania positum esse. Ille quidem explicat errorem scriptoris: tempore scriptoris homines generis Kán (Kean), qui Gyula nominati sunt, viri amplissimi fuerunt, qui igitur ex nominibus generis et personae a scriptore prognati Gyulae Transylvani facti sunt, forsitan — sicut iam memoratum est (caput (32.)) — sermo quoque generis subsit huic opinioni (pp. 168 sq.). De nomine personae “Szoltán” (hodiernum Hungaricum nomen “Zoltán”) v. caput (28.).

Albensem basilicam, quam ipse fundaverat — Hodie tantum ruinae basilicae videri possunt. Sicut e reliquis fundamentis conici potest, haec basilica ad exemplar basilicae Ravennensis S. Apollinaris in Classe aedifica ta est. Navis principalis basilicae trinavis apside semicircula, naves laterales autem muris rectis clausae erant. Naves disiunctae sunt pilis, quae distantiis latioribus exstructae sunt, et lacunari ligno fabricato tectae sunt. Ut videtur, in duobus angulis basilicae turres singulae exstructae sunt. Navis principalis in latitudinem 15,50 m, duae naves laterales autem 8,50—8,50 m erant, basilica in longitudinem 61 m longa esse potuit, numerus pilarum 8—8 erat. Basilicam splendide exstructam esse in legenda maiore Sancti Stephani et in descriptionibus eorum affirmatur, qui basilicam ante ruinam tempore occupationis Turcicæ eventam viderunt (Gerevich pp. 28 sq., 39, 47 sq.; Dercsényi, Bazilika pp. 26 sq.) Ex recentiore coniectura basilica Albae Regiae tempore Sancti Stephani exstructa modestiorem magnitudinem habere potuit, et quidem basilica uninavis, 40—42 m longa erat, et fortasse ecclesiam subterraneam quoque habuit (Kozák K., A székesfehérvári királyi bazilika legkorábbi építkezési korszaka [= Veterima aetas basilicae regiae Albae Regiae aedicandae], in Székesfehérvár I, pp. 142 sqq.).

indumentis ... lapidibus preciosissimis — Rationale sive pectorale nominata est vestis orbiculata ad humeros aptanda, quae parte media exsecta erat. De humeris in hac veste a fronte et a tergo duobus ligamentis, paribus intervallis dispositis affixa singula texta quadrata dependebant. Cum hoc ornamentum pectorale in duebatur, caput per foramen orbiculatum extollendum erat, atque ita alterum textum quadratum super pectore, alterum autem super tergo locatum est. Rationale eiusdem formae erat, ac vestis pontificis Iudaici Testamenti Veteris, quae khosen nominabatur, eo discrimine interposito, quod khosen tantum ornamento pectoris erat, immo vero similitudo eo quoque augetur, quod ambo ornamenta pontificalia erant. Ornamentum in scuti formam redactum pontificum Iudaicorum duodecim gemmis decorabatur, in quibus nomina duodecim generum Iudaicorum insculpta sunt, ambo scuta ornamenti autem pectoris pontificum Christiano-

rum nonnunquam figuris pictis duodecim apostolorum decorata sunt. Tempore, quo Romanense structurae genus viguit, in Hungaria igitur ad medium saeculum XIII, rationale usitatum fuit (Czobor B., A középkori egyházi művészet kézikönyve [= Enchiridion artis ecclesiasticae medii aevi], Bp. 1875, pp. 185 sq.). Ex pervestigatione novissima vestem quasi signum honoris, vel ius eam induendi a papa tantum episcopis, vel maxime episcopatibus donatum esse affirmatur. Ceterum aetate Sancti Stephani rationale vere usitatum fuit, immo exemplum veterimum servatum aequalis Stephani, primus episcopus Bambergensis, Eberhardus (1007–1041) habuit (Kovács É., A székesfehérvári királyi bazilika XI. századi kincsei [= Thesauri saeculi XI basilicae regiae Albensis], in Székesfehérvár I, pp. 157 sq.).

marcis — Vocabulum ad statuendum terminum, post quem scriptum est, 258 valet. In Hungaria primum in documentis anno 1146 ut unitas mensurae ponderum ac pecuniarum memoratur. Prius nominatio “libra” est usitata, de qua argumentum ultimum anno 1165 servatum notum est (Szilágyi op. cit. Száz. 71 [1937] 27). Pars igitur, de qua agitur, iam propter hoc non saeculo XI, sed, sicut e descriptione quoque liquet, saeculo XIII orta esse videtur (Györffy pp. 160, 169).

beatus Benedictus — Tempore regis Stephani pontificatus Benedicti VIII. (1012–1024) et partim Benedicti IX. (1032–1045, 1047–1048) fuit. Ambo in familia comitum Tusculanorum nati sunt, tamen in numerum sanctorum ab ecclesia neuter eorum relatus est. Quoniam Benedictus IX. rationis vitae infamiam subiit (Hauck III, pp. 559 sq.), si quidem ex attributo “beatus” aliquid conici potest, et non solum a scriptore ad suum arbitrium est scriptum, Benedictus VIII. esset ille papa, qui in Gestis memoratur. Bulla pontificalis a Benedicto VIII. edita, in qua de Hungaris agitur, nota non est.

tante autoritatis ... gladio accingere — Diplomata pontificalia, in quibus privilegia ecclesiae Albensis — praepositi et capituli — constituta sunt, usque ad medium saeculum XII ignota sunt, et etiam diplomata parte secunda saeculi orta tantum ex epitome diplomaticis die 26 mensis Iunii anni 1427 editi papae Martini V. nota sunt (Mon. Vespr. I, pp. 2 sq. Cf. Sebestyén J., A székesfehérvári prépostság és káptalan egyházi kiváltságai [= Privilegia ecclesiastica praepositurae et capituli Albensis], Száz. 59–60 [1925–1926] 382 sq.). Nimium est dubium, an prorsus privilegium pontificium esse potuerit, quod secundum Gesta rationali annexum est. De eo, quod praepositus Albensis aliquando coronam capiti regis Hungariae imposuerit, aut ipse hoc ius sibi vindicaverit, nulla mentio invenitur. Hungaricus ritus coronationis quidem in Gestis, quamquam tantum significando, tamen recte describitur. Inauguratio regis, sicut ubique in Europa, etiam in Hungaria in modum ritui consecrationis episcoporum similem facta est. Actus primus atque gravissimus Germanici ordinis coronationis, qui in Hungaria valuit, perludiendi regem sacro unguento erat, quo ecclesia assensum suum ad regiam potestatem adipiscendam esse condicionem

gravissimam demonstratura fuit; non nisi post actum hunc primum secutus est actus, quo regia insignia tradita sunt. In Gestis tantum duo insignia: corona et gladius memorantur. Secundum Germanicum ordinem coronandi prius gladius et scepstrum tradita sunt, mox corona capiti regis imposita est. Quia in Gestis gladius post coronam est memoratus, et in descriptione accurata coronandi anno 1290 ritus eodem ordine conservatur (Bartoniek pp. 25 sq.), digressio ab ordine Germanico mos Hungaricus fuisse credi potest. Ritus a sacerdotibus actus est. Ius coronandi archiepiscopus Strigoniensis habuit, cuius officio etiam aliis pontifex fungi potuit. Textus, qui in ritu coronandi a sacerdotibus est cantatus, e textu Sacrae Scripturae, imprimis e Testamento Vetere electus est et cantico "Te deum laudamus" est finitus.

honorifice tenuit sicut patrem — Narratio Gestorum ab episcopo Merseburgensi Thietmaro confirmatur, qui, sicut e fonte Polonico comperit, Sanctum Stephanum magnanime cum avunculo devicto se gessisse tradit. Stephanus patrum suum fugere sivit, et cum hic ad ducem Poloniae, Boleslaum, inimicum Stephani perfugit, immo etiam praesidium castri confinis suscepit, uxorem patrui, quae in captivitate se sustinebat, ad maritum misit (Gombos III, p. 2203. Cf. Váczy op. cit. in Szentpétery Ekv p. 495).

Keisla, uxor sancti regis — Gisela, filia ducis Bavariae, Henrici "Litigatoris" (Zánker) (obiit anno 995) et ducissae Burgundiae Giselae et soror regis Teutoniae et imperatoris Romanorum, (Sancti) Henrici II. (1002—1024) erat. Tempus nuptiarum certum et explicatum videtur. Et Paurer (Szent István p. 112) et Karácsonyi (Szent István p. 9) et Döry (op. cit. in Szent István Ekv II, pp. 569 sq.) anno 996, Hóman (M. Tört. I, p. 178) item hoc anno vel ineunte anno 997 id fuisse arbitrantur, Uhlirz autem (Jahrbücher II, p. 248) cum opinione sua de baptismatione Sancti Stephani coniungere volens tempus nuptiarum anno 997 fuisse cogitat. Matrimonio munus destinatum est, ut belli pacisque Hungaros stabiliter ad occidentem adiungeret, statum ecclesiae Christianae in Hungaria stabiliret et ambas domus principales commoda eorum identificando coniungeret.

tabulis — Vocabulum ad statuendum tempus, quo scriptum est, valet. Hoc tunc cognoscitur, si sententia vocabuli, quod in legenda maiore Sancti Stephani quoque legitur, prius ex ipsa legenda explicatur. Scriptor legendae in basilica Albensi praeter cetera "circa altaria tabulas plures auro purissimo fabricatas, lapidum series preciosissimorum in se continentes" (SRH II, 386) enumerat. Haec tabula sive antependium frontem et latera mensae altaris decoratura, plerumque lignea et metallo pretioso obducta erat, sive tota tabula aenea solida, caelata spectaculis erat, quae ornamentis emaillicis et gemmis exornabatur (Czobor op. cit. p. 169; Idem, Egyházi szerelvények Szent István korában [= Instrumenta ecclesiastica tempore Sancti Stephani], Száz. 35 [1901] 1011 sq., 1022). Splendorem magnificentum circumdare altari aetate Romanensis structurae generis mos erat, quo potestas ecclesiae

demonstraretur, fideles autem candido splendore magnae copiae tabularum aureatarum et gemmarum obstupefacerentur. In enumeratione Gestorum vocabulum "tabula" evidenter aliam sententiam habet. Similiter atque crux sive calix rem minorem significare potest: 'thecam reliquiarum' (Du Cange VIII, pp. 6 sq.), quae fragmentum crucis continuit (Czobor op. cit. Száz. 35 [1901] 1032). In monasterio Montis Sacri Pannoniae duae tabulæ huiusmodi exente saeculo XI servabantur: altera tabula fragmentum crucis continens emailica erat, altera autem ex osse facta est. Byzantina tabula saeculi XII reliquias continens (Moravesik, Magyarság tab. XIV), quae Strigonii servatur, tantum saeculo XVI in Hungariam perferri potuit (cf. Gerevich p. 237). Sed "tabula" etiam aliquam particulam articuli sive ossis ex reliquiis cuiusdam sancti continere potuit tum, cum reliquiae omnino iam a multis expetebantur, atque ita totum cranium vel membrum comparari difficile fuit. "Tabula" huiuscemodi magna lataque esse nullo modo potuit. Nam aliter fieri non potuit, ut anno 1502, cum rex nuptias fecit, altare maius basilicae ipsius Albensis sexaginta tabulis argenteis impositis exornatum fuisset (Bogyay T., Adatok a középkori magyar oltárdíszítő művészeti történetéhez [= Additamenta historiae artium ad altaria exornanda Hungaricarum medii aevi], Regnum. Egyháztörténeti évkönyv [= Annales historiae ecclesiae] 5 [1942–1943] 109). Hae "tabulae" in aerario ecclesiae servabantur, et tantum sollemnibus caerimonii adhibitae sunt. Tabulis in altaris positis ecclesia etiam animos fidelium ad reliquias conversura, non autem aciem mentium praestrictura fuit, tamquam si sensus commovere iam haud satis esset, fideles tamen notionibus ad reliquias annexis obstupefacerentur. Et quoniam opulentiam quidem copia rerum in mensa altaris positarum demonstrat, tabulae auratae latera altarium ornaturae, quae in legenda maiore memorantur, iam parvi momenti sunt, atque in locum earum tegumenta altarium et antipendia contexta adhibentur (Bogyay l. cit. 110). Quocirca id, quod in textu Gestorum "tabula" non in sententia verbi saeculi XI usitata est, cum interpretatione artis criticae congruit, ex qua caput a scriptore posteriore — saeculi XIII — scriptum est, et res huius aetatis posterioris reddit (Györffy pp. 156 sq.; Horváth p. 299; Horváth J., Legrégibb magyarországi verses emlékeink [= Veterima Latina monumenta in Hungaria versibus inclusa], ItK 60 [1956] 14; Mályusz 1971, pp. 15 sqq.). Secundum Csóka (p. 597) descriptio accurata thesaurorum Albae Regiae ideo non magistro Acus attribui potest, quoniam in legenda maiore Sancti Stephani quoque descriptio ecclesiae Albensis legi potest, Kristó autem (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 52 sqq.) affirmit momenta communia in Gestis et in legenda ante Hartvicum (igitur ante annum 1100) orta esse, etiamsi anachronismi complures textum depravant. Haec coniectura affirmari videtur eo, quod momenta cum legenda communia sententiam ecclesiasticam habent, quoniam — ut Kristó arbitratur — hac sententia cogitationem scriptoris Gestorum veterum (Mályusz 1966, 714 sqq.) de rebus historicis ecclesiasticam fuisse demonstratur.

Regina ... ultra modum ditavit — In Gestis mentio de casulis non fit, quarum una et quidem ecclesiae Albensi facta et transformata in pallium coronationis in dies nostros permansit. Pictis simulacris Sancti Stephani et Giselae atque ducis Emerici quoque decorata est. Inscriptio testimonio est, cui fini casula suta sit, atque eam anno 1031 factam esse demonstrat (Gerevich pp. 246 sq.; É. Kovács, Casula Sancti Stephani regis, Acta Historiae Artium 5 [1958] 181 sq.).

(58.)

Caput a magistro Acus conscriptum est. Materiam adnotationum ad hoc caput scriptarum dispositam scribendi modum magistri Acus descripturus Mályusz (1971, pp. 20—24) prodit.

- 259 *De edificatione ... Budensis* — Index ex indice capituli Chronicorum Picti valde contractus est: “De edificatione templi per Sanctum Stephanum regem in Veteri Buda pro canoniceis” (SRH I, 316).

Vetus Buda — Nominatio Buda Vetus (Óbuda) in nomine districtus III Budapestini etiam hodie usitata est. Nomen civitatis medii aevi, quae in loco oppidi Romani Aquinci iuxta unum ex portibus Danubii conformata est, primum Buda erat; nomen capituli eo loco conditi assidue “capitulum ecclesie Budensis” remansit, et attributum “vetus” tantum tunc nomini civitatis additum est, cum nomen “Buda” ad novam civitatem, quae in monte contra Pestinum sito secunda parte saeculi XIII aedificabatur, translatum est (v. caput (19.), sent. 162). Ex his textum, in quo “Vetus Buda” invenitur, saeculis XI—XII ortum esse a primo minime veri simile videtur.

cenobium — Vocabulum ‘monasterium’ significat. In civitate Buda Vetere non monasterium monachis conditum est aedificatum, sed — sicut Albae Regiae — capitulum, cuius membra canonici erant. Canonici in Hungaria saeculo XIII, cum status eorum in diplomatis cognosci potest, administrandis praediis sui iuris facti clerici sunt, qui non una cibum capiunt, sed in domibus privatis habitant. Vocabulum “coenobium” demonstrat prius, saeculo XI canonicos adhuc in uno communi aedificio more monachorum habitavisse atque praefectum eorum praepositum summa potestate eos inspicere valuisse (Békefi pp. 14 sq., 32 sq.; Mályusz, Egyházi társadalom p. 61).

in honore apostolorum Petri et Pauli — Ecclesia capituli in honorem Sancti Petri consecrata erat, in sigillo eius quoque figura S. Petri efficta erat (Jerney J., A magyarországi káptalanok és konventek mint hielmes és hiteles helyek története [= Historia capitulorum et conventorum ut locorum credibilium in Hungaria], MTT 2 [1855] 41). Quod ipsum patrocinium variatum est, textum posterius ortum esse non affirmat. Monasterium

ordinis Sancti Benedicti de Tata quoque in honorem S. Petri et Pauli consecratum erat et tamen modo ita, modo tantum monasterium S. Petri memoratur (1400: "monasterium sanctorum apostolorum Petri et Pauli", Mon. Vat. I/4, p. 263; circa annum 1260: "abbas monasterii beati Petri de Thata", Pannonh. XII/B, p. 202). A primo minime veri simile videtur scriptorem Gestorum per ignorantiam patrocinium ecclesiae Budae Veteris falso scripsisse, quoniam haec ecclesia omnibus nota fuisse dici potest. Res autem antecedentes statum privilegiorum huius ecclesiae, ex quo functio eius per totum regnum valuit, iam saeculo XIII non defuerunt (Eckhart F., Die glaubwürdigen Orte Ungarns im Mittelalter, MIÖG Erg. Band IX [1915] 459 sq.). Etiam falsa dici potest argumentatio, ex qua scriptor capitinis ideo non magister Acus esse potuit, quoniam ipse praepositus Budensis erat, atque ea ipsa de causa errare in hoc non potuit (Fügedi E., Topográfia és városi fejlődés a középkori Óbudán [= Topographia et evolutio civitatis Budae Veteris medio aeo], in Tanulm. 13 [1959] p. 18). Partim, sicut in monasterio de Tata accidit, duo patrocinia non necessario inter se contradicentia putanda erant, partim id quoque conici potest, quod magister Acus prudens et sciens forma vetustatem reddenti usus est quasi hoc modo demonstratus narrationem suam e sermone vetere — aetate eius iam historico — manavisse.

prediis — Vocabulum in significatione verbi 'allodium' ante medium saeculum XIII in diplomatis Hungaricis saepe, posthac autem magis magisve rarius invenitur. Apud Anonymum ne semel quidem memoratur, in Gestis autem adhuc in capite 124 (Th. caput (80.), sent. 377). Mirum in modum partes utraeque ab eodem auctore, a magistro Acus scriptae sunt, vocabulum autem latiorem significationem habet (cf. Szabó op. cit., Agrártörténeti Szemle [= Acta historiae rerum rusticarum] 5 [1963] 13 sq.).

simili libertate Romane ecclesie — Privilegium, quod secundum Gestae ecclesia Budae Veteris assecuta est, simile erat privilegio ecclesiae Romanae, quo ecclesia Albensis donata fuit. Vocabulum igitur "similis" cum priore capite cohaeret (Karácsonyi J., Péter király és az óbudai prépostság [= Rex Petrus et praepositura Budae Veteris], Száz. 31 [1897] 291). Mirum, at tamen facillime intellegendum est re vera in capite priore non memoratum esse, quid illud privilegium ecclesiae Albensis fuisse. Ex alio fonte scimus hoc privilegium significavisse ecclesiam Albensem omnino solutam ac liberam iuris dictione episcopi dioecesani fuisse atque non nisi ipsi curiae Romanae subiectam esse (Sebestyén op. cit. Száz. 59—60 [1925—1926] 382 sq.). Hoc autem demonstravit institutum ecclesiae propriae causa papatus mutatum esse. "Susceptio sub beati Petri et eius protectione" (Mon. Vespr. I, p. 2), qua ecclesia Albensis in secunda parte saeculi XII donata est, eandem coniunctionem significavit, cuius formula generalis susceptio "in ius et proprietatem beati Petri seu ecclesiae Romanae" erat (Hauck, Realenc. XXIII, p. 373, commentatio a Stutz scripta). Papatus systema ecclesiarum propriarum quamquam verbis approbans, re vera tamen ei

acerrime obsistens id contendit, ut supprimat, denique tollat potestatem patronorum saecularium in ecclesiis a se conditis, quae potestas his ex eo data est, quod ipsi ecclesias conderent atque domini praediorum essent. Papalis igitur susceptio ecclesiam Albensem a potestate episcopi Vesprimensis liberatam, atque a rege, ut domino, qui iure condendi ecclesiam in potestate sua habuit, remotam esse significavit, sed non prius, quam in secunda parte saeculi XII. Tempore magistri Acus rationes papatus iam valebant, sed ipsius magistri Acus, qui pro ministerio in cancellaria habitu custos Albensis factus est, non interfuit papense privilegium extollere, quod potestatem regiam restringit, atque probabiliter ideo neque mentionem eius fecit. Status praepositi Budensis ab hoc differebat. Praepositus Budensis non ipsi papae subditus fuit, et quamquam illum sicut etiam complures alias ecclesias sub archiepiscopo Strigoniensi fuisse veri simile iam pridem factum videtur, status eius huiuscemodi tantum exeunte saeculo XIV a papa probatus est (Urkb. Siebenb. III, pp. 251 sq.). Magistri Acus igitur, praepositi Budensis omni modo interfuit opinionem efficere, quasi causa capituli sui similis esset causae capituli Albensis. Coniunctio sententiae artissima cum capite superiore, item significatio, quae in vocabulo "similis" exprimitur, omnino sententiam Györffy affirmant, ex qua pars, in qua de ecclesia Budensi agitur, ad exemplar partis, in qua ecclesia Albensis tractatur, conscripta est ab auctore, qui autem idem est ac magister Acus (p. 156; Gerics J., Krónikáink szerepe a középkori jogéletben [= Partes Chronicorum Hungaricorum in negotiis iudicialibus medii aevi], LK 33 [1962] 11, affinitatem proximam huius capitinis cum legenda Hartvici esse videt, opinio eius autem, quia scriptor capitinis prioris quoque magister Acus est, re vera cum sententia Györffy congruens est). Quoniam textus non e Gestis veteribus manat, etiam ea sententia incerta videtur, ex qua ecclesia Budensis a Sancto Stephano condita sit. Hoc credi potuit saeculo XIII, quamquam nec suspicatio averti potest, ex qua magister Acus ut praepositus Budensis atque ita particeps ipse rei quoque primatum ecclesiae suaे praelaturus fuit. Tamen inde nullo modo concludi potest opinionem eandem fuisse ac rem ipsam ante duo saecula existentem. Quoniam ergo in neutra legendarum Sancti Stephani ecclesiam Budensem a Sancto Stephano conditam esse memoratur, et si rationem habemus argumentorum gravium, quae a Karácsonyi prodita sunt (l. cit. Száz. 31 [1897] 291 sq.), aetate regis Petri tempus conditae ecclesiae fuisse arbitrandum est. Petrum fuisse conditorem, sed privilegium Romanum alia aetate historiae descriptum esse putat L. Mezey (cf. Száz. 94 [1960] 919), secundum quem hoc ante annum 1216 accidere potuit, quo constitutum iudiciumve de statu ecclesiae Budensis factum est processu iuridicali longo finito, probabiliter postquam rex Stephanus III. anno 1169 cum papa Alexandro III. concordatum fecit.

in memoriam et honorem curie Romane — Vocabulum indicare potest ecclesiam subesse ipsi curiae Romanae.

Et cum ibi ... corporaliter visitarat — Sententia, ex qua Sanctus Stephanus

Romae aderat, coniuncta esse potest cum ea re, quod ibi rex Stephanus Hungaricus peregrinatoribus iuxta basilicam Sancti Petri hospitium, quod cum templo protomartyris Sancti Stephani — patroni regis — contiguum erat, institui iussit atque id liberaliter condonavit. Quia hospitium peregrinatorum iam in bulla papae Benedicti X. (1058—1059) memoratur et conditor eius Sanctus Stephanus nominatur, immo quidem status iuridicalis hospitii quoque describitur, origo hospitii dubia esse non potest (Fraknói I, pp. 401 sq.; Idem, A Szent Istvántól Rómában alapított magyar zarándokház [= Hospitium peregrinatorum a Sancto Stephano Romae conditum], Katholikus Szemle [= Acta Catholica] 7 [1893] 173 sq.). Conditum hospitium in legendis Sancti Stephani (SRH II, 386, 396, 419) quoque memoratur, quod autem rex Romam peregrinatus sit, omittitur. Itaque fama, ex qua Sanctus Stephanus Romae commoratus est, a magistro Acus oritur. Vocabula Gestorum “corporaliter visitarat” e textu typis descripto vel Chronicus Budensis (1473) vel Th. nota facta exeunte saeculo XV novam additionem fabulosam effecerunt. Pelbartus de Temesvar in quadam sacra oratione (Font. dom. I, pp. 84 sq.) enarrat Sanctum Stephanum una cum fratre uxoris, imperatore Henrico sacrum bellum cruciferorum in Terram Sanctam duxisse, quo finito Constantinopoli ecclesiam magnam exstruxisse, mox revertentem iter Romam versus fecisse atque ibi hospitium Hungaricum de protomartyre Sancto Stephano nominatum aedificavisse. Sanctum Stephanum Romae commoratum esse verum putat Karácsonyi (Szt. István p. 43), item Fraknói (I, pp. 16 sq.), quamquam non tam fortiter, affirmat. Fraknói adhuc compertum non habuit duo vocabula Gestorum a scriptore saeculi XIII scripta esse, itaque ea, immo vero etiam textum Th. (I, p. 359) omnino testimonia “Chronicorum veterum Hungaricorum” esse vidit. Re ipsa Sanctum Stephanum Romae commorari potuisse abicit F. Lutter, Szent István egyházi kapcsolatai Rómával, Montecassinóval, Ravennával, Velencével, Jeruzsálemmel és Bizáncal [= Nexus ecclesiastici Sancti Stephani cum Roma, Monte Casino, Ravenna, Venetiis, Hierosolymis et Byzantio], in Szent István Ekv I, p. 434).

magistri ... ducti erant — Verba magistri Acus ut testimonia aetatis Sancti Stephani comprobari non possunt. Si enim ecclesia Budensis non ineunte saeculo XI exstructa est, etiam mentio opificum lapidariorum, qui ibi opus fecerunt, necessario posterius facta est. Opifices lapidarii Byzantini an operati sint in civitate Buda Vetere, decernere ex monumentis ideo non est facile, quoniam ars generis structurae Byzantini per Italiam quoque in Hungaria tunc florere potuit, cum “Venetiae tantum suburbium Byzantii erant” (Csányi K., Bizánci elemek az Árpád-kori magyar építészettel [= Elementa Byzantina in arte aedificandi Hungarica aetatis Arpadianae], II. Oszt. Közl. Muzeológiai sorozat [= Series Museologica], II/1, Művészettörténet [= Historia artium], 1951, p. 30). A peritis historiae artium positum est regiam fabricam artis lapidariae continue Strigonii, Albae Regiae et in Buda Vetere, mox Quinqueecclesiis operatam esse, cuius

artificia opera monumentis Italiae septemtrionalis similia inventa sunt (Dercsényi D., XI. századi kőfaragó műhely Budán [= Fabrica regia artis lapidariae saeculi XI Budae], in Bud. Rég. 13 [1943] pp. 279 sq.). Quae cum ita fuerint, magis interpretandum videtur, qua de causa scriptor saeculi XIII opifices lapidarios Graecos in Buda Vetere operatos esse existimaverit. Ut conici potest, hoc e vinculis artissimis politicis et humanis, quae saeculo XII cum Byzantio erant, arbitrari potuit, atque in hac re aestimanda videtur sententia Karácsonyi, secundum quam scriptor quidem Sanctum Stephanum scripsit, tamen regem Stephanum II. (1116—1131) in animo habuit (l. cit. Száz. 31 [1897] 297). Secundum Györffy (p. 158) actio opificum lapidiorum Graecorum in Hungaria novissime aetatis Belae IV. proprium fuit; Bela IV. anno 1220 Graecam ducissam Mariam Laskaris uxorem duxit, quae ultima regina Hungarica originis Byzantine fuit. Secundum D. Dercsényi (MÉ 3 [1954] 316) veri simile est magistrum Acus opifices lapidarios, qui cum uxore Belae IV. immigraverunt, novisse et praesentiam operamque eorum saeculo XI reiecerisse. Omnino haud rectum est verba Gestorum ita interpretari, ut Graeci opifices lapidarii “Veneti aut opifices Italiae meridionalis, quae aevo medio Magna Graecia est nominata, intellegendi sint” (Gerevich p. 46). Aedifica aetatis Sancti Stephani notas licet Italicas prae se ferant, hoc autem utique aedifica posterius exstructa non determinat, notae ipsae ad verba Gestorum interpretanda haud idoneae sunt, nam incredibile videtur scriptorem Gestorum, qui monumenta notis Byzantinis spectabat et Italicos opifices lapidarios cognitos habuit, Magnam Graeciam in animo habuisse, cum Graeciam scripsisset.

260 *sanctissimus rex Ladislaus* — Ladislaus anno 1192 in sanctorum numerum est relatus (Pauler I, p. 362).

rex Ladislaus ... consumavit — Indicatio magistri Acus recta est. Rex Geysa II. in diplomate anno 1148 edito haud dubie edicit regem Ladislaum quotannis pensas 360 e camera regia ecclesiae Budensi persolvendas iussisse (Budapest okl. I, p. 3; Reg. Arpad. I, num. 77), id est vere rex Ladislaus summam permagnam expendendo possibile fecit, ut condita ecclesia Budensis perficeretur et capitulum sustineretur. Fügedi (op. cit. in Tanulm. 13 [1959] p. 19) — afferente materiam opulentam studiorum atque argumenta ad persuadendum apta H. F. Schmid — opportune in memoriam reducit id, quod in ecclesiis condendis ne in Hungaria quidem donationibus agrorum omni modo opus erat, sed id fructum certum praestando quoque fieri potuit. Dubitationem quidem affert sententia Fügedi, quam auctoritate nisus historicorum artium exponit, quod historia condendi capituli Budensis “in Chronico Picto et in Chronicis Posoniensi et Monacensi, quae cum Chronico Picto cognata sunt, posteritatem servata est” (p. 17). Ut ex opere SRH appareat, textus pars integrans etiam cunctorum chronicorum variantium familiae Chronicus Budensis, igitur etiam Gestorum est.

vidisset renovari — Pro certo haberri potest Sanctum Stephanum atque successores eius prospexit, ut ecclesiae ab ipsis conditae integrae et

incolumes essent. Ratio ecclesiarum propriarum naturaliter secum tulit, ut conditores ita se gererent. Tamen ad medium saeculum XIII res mutatae sunt, cum ecclesiae maiores, sicut ipse capitulum Budense quoque, possesseores multorum latifundiorum factae sunt ex iis donationibus, cum quibus reges officia sua semel in perpetuum compensaturi fuerunt. Magister Acus Sanctum Stephanum exempli causa proferendo conspicue animum regis aetatis suae commoturus fuit, ut is ecclesiae Budensi subsidium directum quoque, quod saeculo XI solitum erat, persolveret.

regina Keisla ... regalibus usque modo — Non est dubitandum de veritate communicationis, ex qua reges Hungariae visitantes ecclesias a regibus conditas, cum quibus consuetudo aetate magistri Acus iam iure patronatus constituta est, dona eis donaverunt. Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 54 sq.) has communications, congruentes cum legendis Sancti Stephani, in quibus res ecclesiasticae tractantur, e chronicis exeuntis saeculi XI ortas esse dicit. In ecclesia cathedrali Zagrabiensi casula etiam hodie servatur, quae ex amiculo conditoris ecclesiae Sancti Ladislai posterius, saeculo XIII transformata est, et eodem tempore amiculo e textu Siciliensi saeculi XI confecto acu pictae figurae coronatae viri feminaeque cum inscriptione “Ladisl(ai) Reg(is)” filo serico applicatae sunt (Gerevich p. 250). Quamquam a saeculo XII frequentia donationis vestimentorum summatim aperte minuebatur (Schramm, Herrschaftszeichen p. 209), in Hungaria saeculo XV quoque consuetudo donationis valuit, ex qua rex Matthias die 25 Octobris anni 1475, igitur in vigilia festi patroni ecclesiae parochialis Szegediensis Sancti Demetrii pallium in altari posuit offerens, ut ex eo casula conficeretur. Res a Gasparo Heltai descripta est, casula margaritis large exornata etiam hodie exstat (Reizner J., Szeged története [= Historia Szegedini], Szeged 1899, I, pp. 76 sq., III, p. 19). Rex Matthias in ea sententia verbi patronus ecclesiae Szegediensis, sicut reges saeculorum XI—XII ecclesiarum ab ipsis conditarum non erat, tamen, quia Szegedinum civitas libera regia, non autem possessio domini praedii erat, occasio data est, ut rex civitatem suam saluti eius provideret.

bursam auream — In thesauro ecclesiastico Vindobonensi (Geistliche Schatzkammer) bursa quaedam servatur, quae Sancto Stephano attribuitur. Huius pars antica, in qua Christus in solio sedens Graeco monogrammate addito, angeli et sancti filo aureo distincti sunt, opus Byzantium saeculi XI est, pars autem postica, in qua margaritis ornatas inscriptiones palaeoslavicas ecclesiae orthodoxae ritus Byzantini legere possumus, uno saeculo posterior, originis Balcanicae est (Gerevich pp. 249 sq.; Moravcsik, Magyarság p. 104; Czobor B., Egyházi emlékek [= Monumenta ecclesiastica], in Magyarország történeti emlékei az 1896. évi ezredéves országos kiállításon [= Monumenta historica Hungariae in expositione publica millenarii anno 1896], I, red. B. Czobor, Bp. 1897—1901, pp. 54 sq.).

denariis puri argenti — Sanctus Stephanus statim, cum regnum obtinuit, nummos argenteos cudi iussit et quidem ad exemplar obolorum Ratisbonen-

sium inter annos 985—995 cusorum ducis Bavariae, Henrici II., socii sui. Non igitur denarios, sed obolos cudi iussit. Oboli Sancti Stephani quidem ponderis minoris sunt, quam nummi Henrici II., tamen nummos in ceteris Germanicis et Bohemicis monetis cusos superant, subtilitate autem cum iis pares sunt. Ob id ipsum obolo ad solvendum libentissime utebantur, quod oboli multi testificantur in inventis Bohemicis, Silesiensibus, Saxoniciis, Pomeraniensibus, Danicis etc. reperti atque ea res, quod duces Sorbi ad exemplar eorum nummos suos cudi iusserunt (Hóman, Pénztört. pp. 171 sq.; Huszár L., Szent István pénzei [= Nummi Sancti Stephani], in Szent István Ekv II, pp. 353, 356 sq.). Secundum Gy. László (Die Anfänge der ungarischen Münzprägung, Annales 4 [1962] 27 sq., 51) nonnulli nummorum, qui Sancto Stephano attributi sunt, vetustiores et a Geysa cusi sunt.

Illius ideo ... in hodiernum diem — Scriptor Gestorum ad reliquias, quae “Sacra dextera” Sancti Stephani dicuntur, spectat, quas ecclesia catholica usque ad annum 1944 in festo Sancti Stephani in processione sollemini in civitate Budapestino per vias castri Budensis circumferebat. Historiam reliquiarum, quae varia ac mutabilis dici potest, complures auctores clerici explicaturi erant (Pray G., Dissertatio historico-critica de sacra dextera divi S. Stephani primi Hungariae regis, Vindobonae 1771; Bunyitay II, pp. 318 sq.; Fraknói V., A szent jobb [= Sacra dextera Sancti Stephani] Száz. 35 [1901] 880 sq.; Karsai G., Szent István király tisztelete [= Cultus regis Sancti Stephani], in Szent István Ekv III, pp. 160 sq.). Ut constitutum est, cum Sanctus Stephanus in numerum sanctorum relatus est anno 1083 et sepulcrum eius apertum est, nonnulli partes singulas cadaveris sibi comparaturi erant. Mercurio de genere Catapan haud nimium laboris erat dexteram regis sibi auferre, quoniam thesauri ecclesiae Albensis custodiendi ei ipsi mandati sunt. Sacram dexteram in possessionem suam, quae in comitatu Bihorensi sita est, portavit. Sanctus Ladislaus hoc comperiens primum reliquias Albam Regiam relatarus fuit, postea tamen consilium abiecit. Ad reliquias digno aptoque loco locandas monasterium condidit, cui possessio-nes donavit. Nomen monasterii ordinis Sancti Benedicti de reliquiis “monasterium Sancti regis Stephani de Zenth Job” factum est, cuius sigillum memoriam reliquiarum referens manum dexteram finxit, villa autem iuxta monasterium exstructa “Szentjobb” ‘Sacra dextera’ est nomina-ta (cf. Györffy, Tört. földr. I, pp. 668 sq.). Reliquiae ineunte saeculo XV iam Albæ Regiae esse potuerunt, post intervallum longum in rebus omnino incertis in Dalmatia inventae sunt, unde anno 1771 a Maria Theresia in Hungariam reportatae sunt. — Verba scriptoris Gestorum admonent dexteram Sancti Stephani, cum hoc caput Gestorum medio saeculo XIII scriptum erat, reliquiarum cultum habuisse, conscriptio verborum autem scriptorem, magistrum Acus legendam Hartvici cognitam habuisse demon-strat. (SRH II, 439: “sola dextera manus ossibus cute cum nervis adherente sue servavit decus integratatis. Non aliud arbitror divini consilii profundita-tem in huius excellentia facti voluisse declarare, nisi dilectionis opus et

elemosine cunctis virtutum gradibus ascendere. Unde veritas dicit in evangelio: beati misericordes ... Merito beati viri dextera fuit aliena putredinis, que ... in alendis pauperibus numquam vacua fuit donis erogationis.”) Interpretatio Bartoniek (SRH II, 440, adnot. 1), tamquam si Hartvicus auctorem Gestorum refutaturus fuerit, omittenda est, ex quo tempore hanc partem Gestorum saeculo XIII ortam esse notum est.

(59.)

Caput a scriptore Gestorum veterum conscriptum est.

Incidentia — Index idem est atque index capituli Chronici Picti: “Incidentia” (SRH I, 318).²⁶²

III Idus Maii — Die 12 mensis Maii.

Sexta feria post ascensionem domini — Anno 1022 feria sexta post festum ascensionis Domini idem est ac dies 4 mensis Maii, anno autem 1021, ad quem annum fons Gestorum rem adnotavit, vere dies 12 mensis Maii erat.

decimo Kalendas Iulii — Dies 22 mensis Iunii.

Anno domini ... *Kalendas Iulii* — Caput breve nihil ad historiam Hungaricam attinet, tamen ad rationem scribendi scriptoris Gestorum veterum multum valet. Scriptor Gestorum veterum ad annum 1022 adiunxit has duas adnotationes fontis sui, Annalium Altahensium maiorum, quae ad priores annos annexae sunt: 1020. “In multis terrarum locis multa et magna incendia”. 1021. “Ingens terrae motus 4. Idus Mai. hora 10. diei feria sexta post ascensionem domini et quasi duo soles visi 10. Kal. Iulii”. (M.G.H. SS XX, p. 790. Editor, Giesebricht ad adnotationem anni 1020 addidit: “Haec et notae ad annum sequentem ad litteram in chron. Hung. [Schwandtner SS. rer. Hung. I. p. 119] descripta sunt”, mutuatio autem in SRH I, 318 non exponitur, cum iam ante complura decennia et Pauler [II, p. 602] et Domanovszky [p. 97], qui posterius textum Gestorum saeculi XIV edidit, adnotationem ex Annalibus ortam esse admonerent. E textibus Gestorum et Annalium comparatis pro certo haberi potest scriptorem Gestorum mutuantem fuisse.) Scriptor Gestorum veterum, ut e comparatione appareat, notas duorum annorum contraxit et ad sequentem tertium annum addidit. Eam igitur rationem est ingressus, quam tempus excursionum describens iam antea adhibuit, nisi quod ratio scribendi, ibi tantum coniecturis factis agnosci potest, hic evidenter patet. Simil id quoque intellegi potest notas fontis de calamitate Teutonorum ex opere haud fortuito neglecta esse, ita ea quoque, quae bellum anni 1030 imperatoris Conradi tractant: “Chonradus imperator in Ungeriam cum exercitu properans ... Rediit autem de Hungaria sine militia et in nullo proficiens, ideo quod exercitus fame periclitabatur et Vienni ab Ungaris capiebatur” (ibid. p. 791). Si adnotationem, in qua de motu terrae agitur, descriptis, eo magis describere potuisset

eas, quae victorias Hungarorum memoriae tradiderunt, quoniam opinio publica Hungarorum saeculi XI in memoria habebat victoriam anni 1030 tantopere, ut haec Victoria etiam in legenda maiore Sancti Stephani quoque conservaretur. Sed quoniam in fonte suo, in Gestis veteribus scriptor legendae maioris argumenta de Victoria non invenit, ipse composuit, quo modo Victoria parta esset, atque eo modo, ut ipse descriptionem Gestorum veteranum de bello anni 1051 ad exemplar sibi proponens eventibus eiusdem belli textum suum conscriberet. Concentum textuum primus Marczali (p. 54) animadvertisit, accurate tractavit Gerics (pp. 19 sq.). Contra opinionem Mályusz (1966, 716 sqq.) Kristó (1968, p. 6) Annales Altahenses maiores primum medio saeculo XII in Hungaria in usu fuisse atque ita notas huius capitatis ex Annalibus non a scriptore Gestorum veteranum, sed a chronographo quodam saeculi medii XII translata esse arbitratur.

⟨60.⟩

Caput a scriptore Gestorum veteranum conscriptum est commutationibus saeculi XII adhibitis.

263 *De morte ... oculorum Wazul* — Index idem est atque index capitatis Chronicorum Picti: “De morte sanctissimi Emerici ducis et de oratione oculorum Vazul” (SRH I, 318).

magnificavit ... misericordiam suam — I. Mos. 19, 19: magnificasti misericordiam tuam.

vertendo dorsa regum — Is. 45, 1: et dorsa regum vertam.

a facie gladii — Is. 21, 15: a facie gladii imminentis; Iob 19, 29: fugite ergo a facie gladii.

sanctissimis moribus divinitus instructo — Ut e vocabulo coniectari potest, scriptor Gestorum cognitum habuit opus consilia ad futurum regem continens, opus speculorum regis in Hungaria conscriptum, quod in nomine Sancti Stephani, sed omnino optatis respondens eius et eo moderante monachus exterus quidam — secundum Csóka (pp. 58 sqq.) Teutonicus Thancmar ordinis Sancti Benedicti — duci Emerico composuit. Opus permansit et in capite Corporis Iuris Hungarici ut decretum primum Sancti Stephani saepissime editum est. Index eius secundum legendam maiorem Sancti Stephani (SRH II, 391) memoriam verborum Gestorum repetens “de institutione morum” est. (Editio cum bibliographia SRH II, 613 sqq.)

coronam vero ... se daturum disposuit — E verbis Gestorum sine dubio constitui potest Sanctum Stephanum successorem ipsum filium designavisse (cf. Bartoniak E., Az Árpádok trónöröklési joga [= Ius successionis regni stirpis Arpadianae], Száz. 59–60 [1925–1926] 832). Hoc propositum Stephani et in legenda maiore Sancti Stephani et in legenda Hartvici memoratur (SRH II, 391, 427 sq.).

Erat enim beatus ... virtutibus adornatus — Eo, quod inter virtutes ²⁶⁴ Emerici copiose enumeratas mentio castitatis eius omittitur, tempus, quo legenda orta esse potuit, determinatur. Hac re affirmatur hanc partem textus ante legendam Sancti Emerici — quae imprimis vitam castam Emerici divulgat (Tóth S. op. cit., in AU Szeged. AH 11 [1962] p. 52) — ortam esse, id est ante iniens saeculum XII, quo coelibatus in Hungaria diffusus est (Kristó op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 55 sq.).

similiter ... pater suus — Th. unum ex codicibus familiae Chronici Picti sequitur, nam haec vocabula nonnulla codicibus familiae Chronici Budensis desunt.

beatus dux ... preventus est — Ut in Annalibus Hildesheimensibus proditur, anno 1031 venans ab apro occisus est (Gombos I, p. 141; Pauler I, pp. 75, 412).

planctu magno — I. Mos. 50, 10: planctu magno atque vehementi, I. Macc. 4, 39: planctu magno.

Tanta vero ... potuit restitui — Ut S. Tóth (op. cit. pp. 37 sq.) arbitratur, scriptor huius partis, qui — contra sententiam, quae in capite (54.) descripta est — luctum publicum, maerorem regis praedicavit, interpolator aetatis Colomani esse potuit, morbum Stephani autem auctor saeculi medii XII indicavit. Hanc descriptionem Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 67) exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII ortam esse arbitratur.

idoneus ad hoc ... Christi conservaret — Rationem idoneitatis ad ²⁶⁵ regnandum ecclesia non solum deliberate praedicabat, sed etiam secuta est, quotiescumque contra regem quandam ecclesiae obstantem aemulum eius adiuvit (Bartoniek I. cit. 817). Prima condicio idoneitatis erat, sicut in Gestis aperte praedicatur, ut regnum in fide Christiana conservaretur, id est ut commoda ecclesiae defenderentur.

Pronior etenim ... quam fidei Christiane — In narratione hoc loco fractura percipi potest, quae magis conspicua fit, si textus et fons scriptoris, Annales Altahenses (Gombos I, p. 93, textus eius inferius in adnotatione ultima huius capituli) comparantur. Apparet, quantopere membra familiae regiae ad regnandum inepta et populus Hungarorum proclivis ad fidem paganorum fuerint, atque ideo intellegi potest, cur Sanctus Stephanus successorem suum fratrem amitimum, Petrum de Orseolo designaverit. Quia scriptor legendae maioris Sancti Stephani adnotavit Sanctum Stephanum exercitui regio Petrum praefecisse (SRH II, 392), credi quidem possit nec in Gestis veteribus praetermissa esse, quae accidissent, antequam Petrus regnum obtinuit. Itaque fractura in cogitatione non ita facta est, ut fons Hungaricus narrationem Annalium mutilatam transcriberet, sed ut textus Gestorum veterum posterius mutilaretur.

Budam filium Egruth — Nomen Egruth (V: Egiruth, S: Egiruh) origine et habitu Germanicum est. Variantia eius enumerat Pauler (I, p. 415). Secundum Melich (X—XIII. századi német tulajdonneveinkről [= De

nominibus propriis Teutonicis saeculorum X—XIII apud Hungaros], MNy 26 [1930] 125) nomen Egirih coniunctione populari — igitur non per linguam Latinam ecclesiasticam — in linguam Hungarorum translatum est. In diplomatis saeculi XIII quoque apparet: anno 1256 iobagio quidam castri Posoniensis, cui nomen erat Egeruh, notus est (Kovács, Index p. 217). Nomen Buda varians nominis Germanici Budo esse videtur. Budo a saeculo VIII notum nomen personae est (E. Förstemann, Altdeutsches Namensbuch, Nordhausen 1856, pp. 288 sq.).

Vazul ... filium — Filius (fortasse natu maior) Michaelis, fratris ducis Geysae, Vazul, frater patruelis Sancti Stephani fuit, qui post mortem Emerici iure factus est, ut regi succederet. E nomine Christiano patris nomen eius quoque origine Christianum esse videtur. (V. caput (54.).) Secundum interpretationem Melich forma Slavica “Vasilij” ritus Byzantini nominis Graeci “Βασιλείος” in diplomatis Hungaricis in formis Wazil, Vazil, Wazul, Wazwl invenitur, ex quo in proununtiatione Hungarica “Vászoly” formatum est (Még egyszer a Vászoly névről [= Iterum de nomine “Vászoly”], MNy 1 [1905] 184 sq.; Idem, A Máma helynév [= Vocabulum loci “Máma”], MNy 35 [1939] 149; vocabula locorum et nomina Vazul v. Kristó—Makk—Szegfű I, p. 49). Existit autem etiam alia interpretatio. Paurer, secundum quem (I, p. 413) “nomen nullo modo cohaeret cum nomine Graeco Basilius, hodierno Vazul,” cum nominibus Germanicis Wazil, Wezil, Wezilo, Wezelinus, Wecelo comparavit, Florianus Mátyás autem nomen Vazul cum nomine Bohemico Václav, cum Germanico atque Hungarico Vencel contulit, quod autem idem esse ac Vladislau vel Ladislaus dixit (Magyar történeti problémák [= Quaestiones historiae Hungarorum], Száz. 28 [1894] 405 sq.). Interpretationem rectam invenire et quaestionem solvere ideo magni momenti esset, quoniam si nomen origine haud Christianum est, tum, sicut etiam Hóman fecit (M. tört. I, p. 257), poni potest ducem Andream solum Kioviae ad religionem Christianam transiisse et ibi nomen patroni Russiae suscepisse, si autem Vazul idem est ac nomen Vasilij, tum nullo modo putari potest eum tam serotino tempore baptizatum fuisse. (V. caput (65.), sent. 285.)

Nitrie — Hodierna Nitria (Nyitra, Nitra, ČSSR) castrum et civitas, sedes episcopatus et comitatus medio aevo erat. Historia eius ex aetate Magnae Moraviae initium dicit. Sedes ducis Moravorum, templum eius autem veri similiter ecclesia episcopatus erat. Cultus patroni ecclesiae, Sancti Emmerami coniunctionem Ratisbonensem indicat. Episcopatus Magna Moravia dissoluta ablatus est, tamen memoria quaedam superesse potuit, nam Sanctus Stephanus ibidem praeposituram, Sanctus Ladislaus autem episcopatum condidit, et unus ex patronis ecclesiae episcopalibus Sanctus Emmeramus fuit. Locus nomen a fluvio Nitria accepit. Hoc nomen inter saeculum VI exiens et saeculum IX iniens in linguam Slovacam e nomine Germanico “Nitraha” a Quadis orto relatum est (Melich pp. 334 sq., 340; Fügedi E., Nyitra megye betelepülése [= Quo modo comitatus Nitriensis incolis

frequentatus sit?], Száz. 72 [1938] 275 sq.; Idem, Kirchliche Topographie und Siedlungsverhältnisse im Mittelalter in der Slowakei, *Studia Slavica Acad. Scient. Hung.* 5 [1959] 367 sq.).

Keisla regina — Sententiae discrepant, cuius aetatis chronographus figuram reginae Giselae detrectaverit. E sententia divulgata iam scriptor Gestorum veterum hoc fecit (Hóman p. 89; Váczy op. cit. LK 18–19 [1940–1941] 315; Horváth p. 311; Mályusz p. 34). At quidem alii opinantur indoles animi ingeniique reginae Hungariae Gertrudis, uxoris Andreeae II., quae “dominationem Teutonicam” in Hungaria ineunte saeculo XIII exsecuta est, ad Giselam delatas esse (Erdélyi, Kézai p. 15; Kristó op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 68 sqq., bibliographia quaestio[n]is addita). Csóka (pp. 416 sq.) figuram Giselae saeculo XII transformatam esse putat.

Buda — Ut e textu Gestorum coniectari potest, unus e comitiva regis erat. (V. caput ⟨63.⟩, sent. 273.)

Sebus — Nomen Sebus (Hungarice Sebös) e nomine Sebastianus (Hungarice Sebestyén) formatum est, et in diplomatis medii aevi iterum ac saepius invenitur (Szamota—Zolnai col. 836. Cf. Melich J., Kereszneveinkről [= De praenominibus Hungaricis], MNy 10 [1914] 197). Idem esse potest ac “Schebis marchio Ungarie”, cuius mors in Annalibus Altahensibus ad annum 1039 memorata est (Gombos I, p. 93). Argumentis coniectis Sebus marchio Nitriensis esse potuit, cui Vazul ad custodiendum commissus est, atque ita potestatem habuit, ut praetendentem regni Hungariae ineptum ad regnandum faceret (Hóman, M. tört. I, p. 221, etiam de conformatione marchionatum, comitatuum confiniorum). E sententia alia Sebus tantum in chronicō posteriore quodam (exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII orto) memoratur, ut qui Vazul excaecaverit (Kristó l. cit. pp. 66 sq.).

effodit oculos — Excaecatio saeculo XI Byzantii, in Bohemia et in 266 Polonia usitata fuit, ex qua praetendens regni ineptus ad regnandum factus est (Hóman, M. tört. I, p. 249; Moravcsik, Magyarság p. 103).

concavitates ... obturavit — Hic modus puniendi omnibus fontibus deest. In legenda minore Sancti Stephani coniuratores (ut existimari potest, Vazul sociosque eius) luminibus privatos esse et manus eorum resecatos esse, in Annalibus autem Altahensibus maioribus Vazul caecum redditum esse memorantur. Plumbo surdum facere sine dubio ad materiam Gestorum veterum pertinet, posterius — cum proavus domus regiae Vazul defensandus esset — iam hac relatione textus chronicī amplificari non potuit (Kristó l. cit. p. 58).

Ladislai — E nomine Bohemico Vladislav, e Polonico Władisław (significat: ‘habe gloriam’) transformatum est nomen Latinum Ladislaus, quod Latinitati Germanicae, Bohemicae, Polonicae et Hungaricae quoque in usum receptum est. Ex hoc ipso Latino nomine ecclesiastico evolutum est Hungaricum praenomen “László” (Melich J., László, Ulászló [= Ladislaus, Vladislaus], MNy 37 [1941] 145 sq., 151, 154).

patrui sui — Sine dubio gradus cognitionis falso adnotatus est. Sic Ladislaus Calvus patruus Stephani, frater Geysae et Michaelis fuisse, cum re vera ille frater patrelis Stephani, filius Michaelis esset (Mátyás F. op. cit. Száz. 28 [1894] 401).

Bela — In lingua Hungarica nomen “Béla”, quod hodie vulgo usitatum est, e cognomine Slavico bel’ ‘candidus, albus’ derivatum esse non potest, quia Slavicum nomen “Bela” nomen mulieris est, in linguam autem Serborum, in qua ut nomen viri est vulgatum, e lingua Hungarica translatum est. Frustra conabantur nonnulli demonstrare hoc nomen e vocabulis Turcicis derivatum esse. Veri simillime videtur par esse cum nomine Bela Testamenti Veteris (Etym. Szótár I, col. 345). Novissime interpretatio Géza Nagy a Györffy renovata est, ex qua nomen Bela e nomine dignitatis Turcicae “bojla” derivatum esse putatur (Tanulm. p. 81). De nomine Béla v. caput ⟨12.⟩, sent. 96 Th.

Leuenta — Nomen, ut sumi potest, originis Feno-Ugricae est, derivatum est verbi Hungarici “lenni” ‘esse’, significat autem ‘cognatus, progenies’ (Gombocz Z., Levente, MNy 12 [1916] 310; Moravcsik Gy., Levente és Álmos [= Levente et Almus], MNy 22 [1926] 83). Mirum est vocabula locorum congruentia cum nomine Levente nulla inveniro (Kristó—Makk—Szegfű I, p. 43).

Andrea, Bela et Leuenta — In studiis historiae omnino explicatum est Andream, Belam et Levente filios Vazul, non autem alterius filii Michaelis, Ladislai Calvi fuisse, item interpretatum est, quo tempore et qua de causa tres duces ex Zaar Ladislao ortos esse declarandum fuisse. In Gestis veteribus iam genealogia recta descripta est. Correctionem inconsulte factam esse iam etiam e chronicō Th. apparet, nam Stephanus caecum reddere Vazul, filios autem Ladislai Calvi, ut mala et insidias evitarent, in Bohemiam perfugere maluit. In Chronicō Zagrabensi (et Varadiensi) patrem ducum Vazul fuisse adnotatum est (SRH I, 206, 208). Ad temporum ordinem constituendum magis utile esse videtur id, quod legenda maior Sancti Gerardi quoque (SRH II, 501), quae primo dimidio saeculi XII, sed magis circum medium saeculum idem orta est (Horváth J., A Gellért-legendák forrásértéke [= Quanti valeant fontes legendarum Sancti Gerardi?], I. Oszt. Közl. 13 [1958] 81), famam veram tradidit. Quoniam autem Anonymus iam “tempora Andree regis filii Calvi Ladizlay” scribit (SRH I, 55), mutatio necessario ante saeculum iniens XIII facta est. Secundum Hóman domum regnaticem exeunte saeculo XII iam piguit uxorem Vazul origine Hungaricam et quidem paganam fuisse (de hoc v. caput ⟨69.⟩, sent. 304), atque ideo proaviam magis uxorem Ladislai Calvi, quae ducissa Russica erat, fuisse habuit (pp. 35 sq., 91 sq.). Váczy vestigium rectum premens et progrediens causam mutationis agnovit in rebus, quae exsisterunt, cum Boris, nothus regis Colomani, aemulus regni prodiret, et commutationem a continuatore saeculi XII (aetatis Geysae II. Stephanive III.) factam esse

putavit (LK 18—19 [1940—1941] 335 sq.). Bibliographiam quaestionis v. Kristó, op. cit. in AU Szeged. AH 40 (1972) 63 sq.

Interim vero viribus ... in Bohemiam fugerunt — Veritas rerum, de quibus 265—266 in capite agitur, in Annalibus Altahensibus ad annum 1041, sortem regis exponendo sic tradita est: “Stephanus bona memoriae rex, avunculus ipsius [Petri], cum filius eius patre superstite esset mortuus, quoniam alium non habuit filium, hunc fecit adoptivum ipsumque regni heredem locavit; filium fratris sui dignorem in regno, quia hoc non consensit, cecavit et parvulos eiusdem exilio relegavit” (Gombos I, p. 93). Ita Sanctus Stephanus post mortem filii successorem — filium sororis suae — Petrum Venetum ipse designavit et regnum haud perturbatum ei comparaturus, Vazul Petro regnandi magis idoneum, cum hic propter praetermissionem “ira incensus est contradixit” (Paurer I, p. 76), caecum reddi iussit, filios autem in exilium expulit. Scriptor textus, quem in manibus habemus, hanc rem, de qua etiam fons eius rationem reddidit, causam Sancti Stephani defensurus detorsit. Partim Vazul “juvenilis lasciviae” accusavit (de vocabulo Gerics op. cit. TSz 9 [1966] 10), ut explicaret, quo modo Vazul in carcerem conditus esset et malefactor eum luminibus orbaturus adire potuisset, partim auctorem facinoris reginam fuisse declaravit, atque ita odium facti in peregrinos, in Teutonos invisos contulit. Tamen in hac re non acquievit. Memoriam regis collaudaturus sensus veritati contrarios ei attribuit. Sanctus Stephanus in Gestis descriptus successorem Vazul designaturus est, sortem eius complorat, vindicaturus est et, quamvis morbus impedit, ut propositum assequatur, certe vitam filiorum Vazul servat. Secundum Horváth (p. 311) haec transformatio rerum iam medio saeculo XI insecuta est (v. adhuc Gerics p. 81). Si filii Vazul, qui anno 1047 exilio domum reversi sunt, quindecim annis peractis animos aversos omnino superare quierunt in Stephanum, qui patrem caecum reddidit et potestatem regnandi ipsis abstulit, hoc non solum temperantiam, sed etiam magnam prudentiam in rebus politicis praestiterunt. Sunt tamen vestigia, quibus appet stirpem Vazul celeriter oblivisci nequivisse. In capite inferiore ostenditur bonum aptumque visum esse canonicis Albensibus, ut ornatum sarcophagum Sancti Stephani sub pavimento templi absconderent, unde ille tantum anno 1083, cum Stephanus in sanctorum numerum est relatus, in lucem prolatus est. Nec hac re demonstratur, velut si ad tempus, quo Geysa et Sanctus Ladislaus regnabant, id est subole secunda vivente in oblivionem adductum sit, quis causa fortunae aversae Vazul fuisse. Narratio Gestorum veterum in narrationem defendantem Sanctum Stephanum mutata est eo modo, quo modo in Gestis hodie legere possumus. Veri similiter id non prius evenit, quam ab ineunte saeculo XII, cum Sancto Stephano in sanctorum numerum relato pro certo haberit potuit, quantum collaudatio eius ut proavi valeret ex auctoritate et ex comprobatione imperandi domus regnaticis. Sanctus Ladislaus et eo magis Colomanus potestatem regiam iam firmam possidentes confictionem inter Vazul et Stephanum iam prorsus aliam fuisse viderunt atque quinquaginta

annis prius filii Vazul. Scriptor Gestorum saeculi XII narrationem Gestorum veterum immutans eam sententiam expressit regnum confirmatum iri, si memoria regis primi quam proxime ad specimen “regis pii, iusti et pacifici” accederet. Kristó (op. cit. pp. 56 sqq.) personas Stephani, Vazul et Giselae transformatas esse, absolutionem generalem Vazul, qui proavus regum posteriorum factus est, a criminibus, quae in Gestis veteribus memorantur, non ab uno eodemque auctore confectam, sed ex textibus mutatis, qui ab exeunte saeculo XI per centum et quinquaginta annos inter se implicati et alter ex altero derivati sunt, eventam esse videt. Idem singillatim demonstrare conatur, quis auctor cuius aetatis quas res mutando ad efficiendas effigies Stephani, Vazul et Giselae, quae hodie legi possunt, contulerit. Ad historiographiam Hungaricam civilem formandam sententia conspicue multum valebat auctoritate. Paurer quidem res evolutas veritati convenienter intellexit (I, 75 sq.), atque ideo ipse cum studiis inter historicos suae aetatis frequentissimis consentire nequivit, qui res patriae pulcherrimas fuisse fingebant, atque illis obiecit historiographiam aetate feudali, saeculo XVIII “multo integriorem fuisse, quam opera scriptorum novissimorum” (I, p. 415). Hóman conjecturis et sententiis audacibus factis quasi concertavit cum scriptore Gestorum veterum de memoria Sancti Stephani collaudanda. Ipse participem coniurationis Vazul contra Sanctum Stephanum factae fuisse scripsit, coniurationem ipsam cum ritu pagano regum occidendorum renovato identificavit et ostendens casus, qui saeculo XI in Russia, Bohemia et Polonia acciderunt, actionem excaecandi, quoniam hoc idem erat, ac parcere vitae hominis scelesti, “quasi veniam datam” fuisse interpretatus est (M. tört. I, pp. 248 sq.). Etiam longius prosecuta est sententia, quae tempore sollemnium anno 1938 habitorum pronuntiata est, quae hypothesim Hóman iam ut veram accepit, secundum quam Vazul contra Sanctum Stephanum coniurationem fecisset, et scriptorem Gestorum improbavit, quoniam ille de consilio facinoris reticens et absolvens Vazul “criminis impetus in regem legitimum facti ignominia exactorem notantis”, “consulto et falso” Sanctum Stephanum invisum reddidit, velut si rex “crudelis et iniustus interfector hominis insontis fuisset” (Ember Gy., Szent István a középkori magyar történetírásban [= Sanctus Stephanus in historia Hungarica medii aevi], in Szent István Ekv III, p. 273).

⟨61.⟩

Caput textus temporum diversorum servavit, in parte prima additis a Th. insertis.

267 *De morte ... Petri regis — Pars prima indicis idem est atque index capit is*

V₃, V₄ et Chronici Budensis (“De morte sancti regis Stephani”, SRH I, 321), pars autem secunda indicis a Th. conscripta est.

secundum quosdam quadragesimo sexto — Opus, quod Th. affert, textus ipsorum Gestorum est. Quamquam Th. nunc quoque hunc textum transcribit et uno solo vocabulo inserto amplificat, adnotatio eius talem speciem praebet, velut si ratio sua scribendi difficilior ratione vera esset. Sententia scriptoris Gestorum, quod Sanctus Stephanus anno quadragesimo sexto dominationis mortuus est, falsa est, et e mendo scriptorum oritur. Errorem, secundum interpretationem Hóman (p. 26; Idem, op. cit. MNy 23 [1927] 445 sq.) argumentum Chronicus Zagrabiensis clarum reddit, quod Sanctum Stephanum, antequam coronatus est, octo annos, postea autem tres et triginta annos, septem menses et quattuordecim dies regnavisse tradit (SRH I, 207). Hic textus e depravatis numeris annorum 3 + 38 dominationis, quod quidem ex aliis argumentis quoque recenseri potest, factus est, sicut III + XXXVIII per descriptionem facile in formam VIII + XXXIII transformari potuit. Dum summa numerorum annorum ducatus et regni (scilicet 41) casu utroque eadem permanet, in Gestis ea varians lectio delata est, quae numerum annorum ducatus in forma depravata servavit (VIII), atque ita dominatio Sancti Stephani 8 + 38 = 46 annos extendi visa est. Quaestio-
nem accurate tractat Karácsonyi B. (Néhány kronológiai probléma középkori elbeszélő forrásaink szövegében [= Nonnullae quaestiones in textibus fontium narratoriorum Hungaricorum medii aevi], in Horváth—Székely pp. 225 sqq.). Secundum Karácsonyi scriptor Chronicus Zagrabiensis annos 46 in chronicis traditos cum anno 1034 in legenda Hartvici ascripto, quo rex Stephanus mortuus est, coniunxit, et ex hoc interpretatus est Stephanum anno 993 dominationem iniisse.

hystorie ... edite — Opus, quod Th. indicat, legenda minor Sancti Stephani nominata est. Haec legenda post legendam maiorem et ante legendam Hartvici Colomano regnante (1095—1116) orta est, sed docti legendam minorem intra hoc spatum annorum temporibus diversis scriptam esse putant: Csóka (p. 119) inter annos 1095—1100, Bartoniek (SRH II, 368) ante annum 1108, Horváth (p. 144) annis post annum 1109. Editio critica: SRH II, pp. 393 sqq.

tricesimo octavo anno — Pars a vocabulis “tricesimo septimo” usque ad haec vocabula e textu sequenti non integro legendae minoris Sancti Stephani ad nostrum tempus servato oritur: “anno dominice incarnationis millesimo XXX° [VIII] inductione VI Henrico Romanorum augusto anno autem imperii sui XXX° VIII° kal. [Septembres] obiit” (SRH II, 399). Hic textus legendae minoris valde vitiosus est, et quidem supra lacunas iam memoratas quoque, cum a scriptoribus nonnulli numeri annorum dominationis omissi sint, numeri autem Calendarum cum numeris annorum dominationis contracti sint. Ut J. Karácsonyi constituit, textus Th. ideo multum valet, quia numerum annorum dominationis Sancti Stephani conservavit, et quia sic e textu suo mendum emendari potest. Atque ita, ut

inter vocabula “sui” et “kal.” legendae numerus, qui apud Th. legi potest, XXXVII° — sicut in manuscripto descriptus esse potuit — inseratur, e numero autem XXXVIII° legendae disiunctus neumerus XVIII° ad Calendas pertinere putetur. Hoc modo igitur tempus, quo Stephanus mortuus est: “anno dominice incarnationis 1038, imperii sui XXXVII, XVIII° kal. Sept.” fuit, quod omnino congruens est cum anno 1001, quo Stephanus coronatus est, item cum anno 1038, cum die 15 Augusti ipse mortuus est (Karácsonyi J., Szent István megkoronázása [= Coronatio Sancti Stephani], Száz. 35 [1901] 871 sq.).

in festo ... virginis — In Gestis dies ex Annalibus Altahensis ascripta est: “1038. Stephanus Ungarorum rex in die assumptionis sanctae Mariae terminum fecit carnalis vitae” (Gombos I, p. 93), sed sine anno ostento. Annus in nullis variantibus textus permansi Gestorum inest (SRH I, 321).

a presenti ... eripitur — Gal. 1, 4: ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam.

Sepultus est ... in basilica Albensi — Arca, in qua cadaver Sancti Stephani conditum est, magnus sarcophagus saxeus fuit, qui basilica diruta non interiit. Sub dominatione Turcica in alveum aquarium adhibebatur, ab ineunte saeculo XIX inter lapides collectos in Museo Nationali Hungarico plus quam centum annos ab indagatoribus neglectus iacebat, deinde, postquam E. Varjú vim et momentum sarcophagi percepit (Szent István koporsója [= De sarcophago Sancti Stephani], Magyar Művészet [= Ars Hungarica] 6 [1930] 372 sqq.), Albam Regiam reportatus est. Cum pervestigatum est, quando et quibus rebus sculptus esset, vulgo creditum est opificem lapidarium quendam Venetum circa annum 1040 rege Petro praecipiente e lapide calcario Budensi ratione artis Byzantinae sculpsisse (Gerevich pp. 156 sq.; Dercsényi, Bazilika pp. 107 sq.). Ratione sculpturae accurate perscrutata haec hypothesis minime probata est. Nam patefactum est monumentum e Budensi lapide calcario, e sarcophago aetatis Romanae transsculpto factum esse (Nagy E., A székesfehérvári István-koporsó keletkezése [= Quo modo sarcophagus Albensis Stephani factus sit?] MÉ 2 [1954] 101 sq. V. adhuc Kádár Z., A székesfehérvári István-koporsó ikonográfiája [= De iconographia sarcophagi Albensis Sancti Stephani], MÉ 4 [1955] 88 sq.). Monumentum in basilica ita locatum est, ut tria latera eius adiri possent, uno autem latere breviore parieti basilicae continuaretur. Itaque hoc latus brevius haud exsculptum, tantum parum accurate levigatum est. Ceterum idem narratur etiam in legenda Hartvici: “in medio domus sarcofago candidi marmoris imponitur” (SRH II, 432). Petro expulso canonicis, qui metuebant, ne stirps Vazul cadaver Stephani non pie coleret, visum est sarcophagum sub pavimento ecclesiae abscondere, immo etiam vestigia eius ab oculis removere. Ut in legenda minore adnotatum est: “in terra latuit” et ab oculis mortalium absconditus erat (SRH II, 399). Cum Stephanus in numerum sanctorum relatus est, sarcophagus re vera investigandus fuit et tantum pluribus diebus peractis inventus est (Varjú op. cit. p.

377). Secundum coniecturam novissimam sarcophagus ad sepeliendum ducem Emericum factus sit (Nagy Á., A székesfehérvári XI. századi szarkofág eredete és ikonográfiája [= *Origo et iconographia sarcophagi Albensis saeculi XI*], MÉ 21 [1972] 165 sq.; Idem, *Origine et iconographie du sarcophage de Székesfehérvár. Alba Regia. Annales Musei Stephani regis 13* [1972] 167 sq.).

ubi multa ... fiunt — Miracula apud sepulcrum eventa in legenda maiore omnino non memorantur, in legenda minore tantum summatim affertur Deum “clarescente miraculorum frequentia” Sanctum Stephanum ornavisse, sepulcro aperto autem sanationes mirabiles factas esse (SRH II, 400). Descriptio usitata certorum definitorumque casuum primum tantum in legenda Hartvici legi potest (SRH II, 435 sqq.). Significatio ad tempus praesens scriptoris Gestorum aetati non priori ineundi saeculo XII apta esse videtur.

qui est benedictus in secula seculorum. Amen. — Gal. 1, 5.: cui est gloria in secula seculorum. Amen.

cithara ... versa est in luctum — Job. 30, 31.: versa est in luctum cithara ²⁶⁸ mea.

dives et pauper — Quamquam vocabulum, ex quo populus totus e nobilibus et ignobilibus, e divitibus et pauperibus constare dicitur, tantum figura stili quoque intellegi potest, terminologiae sociali saeculi XI congruit. Societas Hungarica saeculo XI, sicut e decretis Sancti Stephani et Sancti Ladislai (Závodszyk pp. 141 sq.) elucet, in duas partes magnas inter se acriter disiunctas divisa erat: in “liberos” et “servos”. “Liberi” in decretis Stephani in tribus ordinibus ex re familiari divisi enumerantur: “comites”, “milites”, “vulgares”. In casibus aliis lex categorias paucioris numeri, id est in quibus complures ordines incolarum continentur, profert: “valentes”, “divites” disiunguntur a “pauperibus et tenuibus”, “vulgaribus”. In legibus sub nomine Ladislai notis sententia “liber” iam non omnes liberos continet. Ordo liberorum aetatis Stephani supremus nominationem novam accipit. Apparent vocabulum “nobilis” et vocabulum contrarium eius “ignobilis”, tamen notationes “liber” et “servus” adhuc diu valuerunt (Bolla I., A közsabadság a XI–XII. században [= *Libertas publica saeculis XI–XII*]. TSz 16 [1973] 6 sq., 12 sq.). Secundum decreta saeculi XI poenae respectu ordinis socialis constitutae sunt. Secundum legem Sancti Stephani I, 21.: multa “divitis” 50 iuvenci esse constituitur, itidem multa “pauperis” 12 iuvenci, secundum legem Ladislai II, 9.: “vulgaris” in furto deprehensus in servitutem abducitur, simili autem casu “nobilis” tantum in carcerem conicitur, in lege autem III, 2.: “ignobiles” cum “minoribus” comparantur (cf. Erdélyi p. 57; Hóman B., A társadalmi osztályok Szent István államában [= *Classes sociales in regno Sancti Stephani*], in Békefi Ekv pp. 66 sq.). Sic notio “omnis populus”, ut saeculo XI usitata est, tantum liberos continuit, servi autem ex ea exclusi erant. Th. hanc distinctionem iam notam non habuit, “populus” secundum eum omnes incolas regni significa-

vit. Vel propter hoc vocabula Gestorum “tam nobiles quam ignobiles” (SRH I, 322) in formam “tam nobilis quam ignobilis” mutavit, vel simpliciter ad numerum singularem vocabulorum Gestorum “dives et pauper” accommodavit.

patris pupillorum — Sententia, ex qua rex patronus et tutor pupillorum (et viduarum) esset, elementum ideologiae Christianae medii aevi erat, expressa atque aperte affirmata est in ritu unctionis in regem (in formula traditionis gladii: “viduas et pupillos clementer adiuves ac defendas”, Tóth p. 106) et sicut alibi, in Hungaria quoque litteratura ecclesiastica est propagata. In decretis saeculorum XI—XII, rem veram conservantibus regem patronum et tutorem fuisse omnino non memoratur, pia officia eius erga pupillos nec in Institutionibus morum legi possunt, quamquam in capite toto tractatur, quae virtutes a rege colendae sint (caput X, “de pietate et misericordia ceterisque virtutibus”, Závodszy pp. 139 sq.). In legenda maiore Sancti Stephani pupilli memorantur, ut qui una cum peregrinantibus egentibus, cum viduis et monasteriis atque ecclesiis ex elemosina regia vivunt (SRH II, 388, 391), in legenda Hartvici sententia similis profertur, ex qua auctor rerum in legenda “viduarum et orphanorum miserias et indigentias suas esse computavit” (SRH II, 439). Scriptor legendae Sancti Ladislai saeculi XIII iam vocabulo scriptoris Gestorum “pater pupillorum” utitur enumerans virtutes regias (SRH II, 517, cf. 512 sq.). Ambigitur, utrum Gesta, an legenda Sancti Ladislai prius scripta sint. E sententia, quae magis divulgata est, Gesta prius orta esse creditur (Hóman pp. 42 sq.; Deér, SRH I, 6; Bartoniek, SRH II, 509 sq.; Horváth pp. 190 sqq.; Gerics p. 100; Gerics J., Krónikáink és a Szent László-legenda szövegkapcsolatai [= Coniunctiones textuum Chronicorum Hungaricorum et legendae Sancti Ladislai], in Horváth—Székely pp. 112 sqq.), complures docti legendam prius scriptam esse defendant (Marczali p. 35; Domanovszky p. 131; Kristó 1974, 606 sq.). Hanc sententiam probat etiam Csóka, tamen non praetermittit scriptorem legendae opus historicum, chronicon quoddam quoque notum habuisse, atque eo usum esse (Csóka pp. 526 sqq., 662 sq., 242). Ratione neglecta, quo modo Gesta et legenda Sancti Ladislai inter se coniungerentur, vocabulum “pius pater pupillorum” in se quoque magis medii saeculi XII, quam XI proprium est, et haud facile e textu Gestorum veterum ortum est. Disciplina moralis posterius ratio iuridicialis facta est, quoniam rex auctoritatem propriam in iure possessionario et una cum hoc in potestate exercenda quoque iam saeculo XIII in pupillos protegendos protulit (Tagányi op. cit. Ethn. 29 [1918] 204), ex qua anno 1410 rex Sigismundus praeceptum suum quoddam argumentis se pupillorum et virginum “speciem tutorem et patronum” esse vehementer enuntiat (Zs. O. II/2, num. 7395).

Confestim quoque ... magnus et inconsolabilis — Luctus, dicit Pauler (I, p. 415), memoriam luctus Cumanorum pristinorum et Turcomannorum hodiernorum repetit. Luctus ita supra modum descriptus solum ex sanctitate

Stephani, ergo post annum 1083, cum ipse in sanctorum numerum est relatus, fieri potuit.

Petrum ... Venetum — Suboles familiae Orseolo, quāe exeunte saeculo X 269 et ineunte saeculo XI dignitatem ducis Venetiarum sibi hereditariam reddi studebat, Petrus II. vir peritus regendae civitatis, prudens fortisque, aedificator urbis, nominatus Pericles Venetiarum, postquam prope viginti annos regnabat, anno 1009 obiit, cuius successor filius, Otho factus est. Hic filius baptismalis imperatoris Othonis III. per sororem affinis regis Croatiae, Stephani I. fuit, cum familia imperatoris Byzantii propinquitate coniunctus erat, uxor autem ei soror Sancti Stephani obtigit. Non solum consilia eius ambitiosa irrita facta sunt, sed etiam ducatum perdidit, cum domus regia Saxonica in patrono eius, in imperatore Henrico II. extincta est (1024). A factione adversa Veneta superatus anno 1026 Constantinopolim fugit, dum uxor, filius, qui hic memoratus Petrus erat et filia in Hungaria refugium invenerunt (Kretschmayr I, pp. 126 sq.; Cartellieri p. 353; Ch. Diehl, Une république patricienne. Venise. Paris 1928, pp. 18 sq.; Hóman, M. tört. I, pp. 241 sqq.).

fratrem regine — Coniunctiones genealogicae familiae Orseolo bene notae sunt (Wertner pp. 75 sqq.), itaque pro certo haberi potest in Gestis falso scriptum esse Petrum fratrem reginae Giselae fuisse. Erratum scriptor Gestorum veterum scribere potuit. Res enim in Chronico universalis monachi Trium Fontium, Alberici (Gombos I, p. 26) et in Chronico Zagrabiensi (SRH I, 207) descripta invenitur. Quia Albericus argumenta rerum ab anno 893 usque ad annum 1151, secundum aliam conjecturam ad annum 1041 eventarum, quae argumenta e fonte Hungarico emanant, e Gestis sumpsit (Hóman pp. 11 sqq.; Gerics p. 53), congruentia ostendit erratum iam in fonte quoque infuisse. Erratum excogitatum esse potuit. Scriptor Gestorum veterum eo, quod Petrum non e stirpe generis regnantis ortum esse demonstravit, expulsionem eius a primo iure iustam reddidit (Bartoniek op. cit. Száz. 70 [1936] 361. V. etiam Hóman p. 27; Váczy op. cit. LK 18—19 [1940—1941] 317 sq.). Contra hanc interpretationem Kristó (op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 62, 70) admonuit re vera Giselam et Petrum inter se inimicitias habuisse saltem post mortem Stephani, sicut hoc in Annalibus Altahensibus maioribus (Gombos I, p. 93) traditum est. Etiam chronica Henrici de Mügeln lingua Germanica et Latina scripta eandem nuntiationem tradunt, quae in Annalibus legi potest (SRH II, 153, 259). Quoniam Mügeln fontem chronicon Hungaricum saeculi XII adhibuisse videtur (Hóman p. 72), ita eo tempore quoque Giselam et Petrum inimicitias, non autem germanitatem inter se habuisse descriptum est. Albericus monachus Trium Fontium testatur sententiam tribus primis decenniis saeculi XIII ortam esse posse, ex qua Gisela et Petrus germani facti sunt (v. adhuc Kristó op. cit. in Horváth—Székely pp. 236 sq.).

regina Keisla ... preficere statuerunt — Contra narrationem consulto fictam scriptoris Gestorum certum est praeter textum Annalium Altahensi-

um iam citatum (v. Th. caput (60.), sent. 265) etiam legendam maiorem Sancti Stephani affirmare ipsum Stephanum post mortem Emerici successorem Petrum designavisse: Stephanus “accersitis episcopis et primis palatiis de Christi nomine gloriantibus, primum cum eis tractavit de substituendo pro se rege, Petro videlicet sororis sue filio, quem in Venetia genitum ad se vocatum iam dudum exercitui suo prefecerat ducem” (SRH II, 392).

sine impedimento — Hoc loco textu Chronici Picti, quem Th. sequitur, narratio Chronici Budensis (SRH I, 323) copiosior est.

Sigismundi regis Burgundiorum — Sanctus Sigismundus, rex Burgundiae anno 524 occisus est (Wetzer—Welte tom. XI p. 296), atque ita nil ei cum familia Orseolo esse potuit.

Wilhelmus autem ... Petrum regem — Narratio commenticia est una cum argumentis cunctis, secundum quae patri Petri de Orseolo nomen Guilelmus fuit, hic frater Sancti Sigismundi fuit, qui saeculo VI vixit, imperator — fortasse Henricus II. (1002—1024), qui successor Othonis III. (obiit 1002) erat — sororem, cui nomen erat Gertrudis, Guilelmo uxorem dedit, et filia eorum fuit Gisela, uxor Sancti Stephani, postremo, quod uxor secunda facta est soror Sancti Stephani, ad fabulas pertinet, et tantum ea sententia vera videtur, secundum quam mater Petri soror Sancti Stephani fuit. Pauer conatus est detegere, quae causa fabulosae genealogiae confusae subisset, et in historia familie Aledramidae, marchionum Montis Ferrati momentum originis Burgundiensis, id est mentionem Guilelmi et sororis Sancti Stephani factam invenit (I, p. 414, cf. H. Bresslau, Jahrbücher des deutschen Reichs unter Konrad II [Jahrbücher der deutschen Geschichte], Leipzig 1879, I, pp. 387, 391 sq., 407), tamen explicare narrationem ne ipsi quidem contigit. Ratio narrationis confusae ipsa genus scribendi Simonis de Kéza in nostram memoriam reducit, et narrationem ex interpolatione posteriore derivatam esse credere possumus.

⟨62.⟩

Caput ab auctore Gestorum veterum conscriptum est.

270 *De sevitia Petri regis* — Index idem est atque index capituli V₁, V₃ et S: “*De sevitia Petri regis*” (SRH I, 323).

Petrus factus est rex — Narratio scriptoris Gestorum, in qua persona Petri et regnum eius improbantur, ut in sequentibus legi potest, haud ambigue ad historiographiam Hungaricam vim habuit, dum F. A. Gombos fontibus cunctis accuratissime deliberatis rem veram constituit (Történetünk első századaiból [= E primis saeculis historiae Hungarorum], Száz. 45 [1911] 508 sq., 568 sq.). Ut Gombos constituere potuit, rex Petrus fiduciam Sancti Stephani merere studuit et secundum institutiones eius regnare voluit. Consiliarios decessoris retinuit, dignitatem regiam conservaturus fuit. Acer

erat, tamen non iniustus. Cum duos episcopos, quia officiis non rite fungebantur, submovit et in locum eorum alios substituit, institutum eius etiam papa probavit, nec Hungari ei adversati sunt, cum a regina vidua partem bonorum, quae Sanctus Stephanus uxori praeter modum largiebatur, recuperavit. Similiter fortis erat in ratione rerum externarum. Sanctum Stephanum sequens fines regni ad occidentem cum damno imperii Teutonicorum, ad meridiem autem in Dalmatia prolatus fuit, iudicio acri inquirens, quid possibile sit, et post mortem (1039) imperatoris Conradi II. mutatis rebus publicis utens imperatori novo, Henrico III. bellum ultro intulit ingenium valde imperatorium ostendens. Postremo homo fortis, strenuus, officiosus fuit. Haec conjectura Gombos, ex qua sententiae priores de Petro conscriptae recognoscenda sunt, a historicis Hungaricis accepta et ultra explicata est (Hóman, M. tört. I, pp. 250 sqq.; Kristó 1965, pp. 22 sq.). Kristó partes Petri in conformando statu regni Hungariae expletas extulit, ut qui constanter, tamen festinanter defendens et divulgans feudalismum: operam publicam Sancti Stephani non solum continuavit, sed etiam exsuperavit. Incertum est, quando persona Petri in litteratura chronicorum Hungaricorum depravata sit. Secundum H. Marczali (Magyarország története az Árpádok korában [= Historia Hungariae aetate stirpis Arpadianae], in Szilágyi, II, pp. 10 sq.) haec depravatio “ex commotionibus posterioribus facta est, fortasse tempore Andreae II., cum apud nos [scilicet in Hungaria] primum de dicione et superba dominatione Teutonorum mentio fieri posset. Nam quid Petri Veneti interesset, qui ab initio regni sui cum Teutonis bellat, Teutonos dominos Hungariae facere?” Item Kristó 1968 p. 13. Secundum sententiam, quae magis probata videtur, saeculo XI et quidem scriptori Gestorum veterum ascribitur, quod Petrus adverso animo depictus est (Horváth p. 311; Horváth J., Miklós püspök és a tihanyi alapítólevél [= Episcopus Nicolaus et diploma fundationale Tichoniense], MNy 51 [1955] 153; Gerics p. 73; Mályusz 1966, 720, 723).

Theutonico furore — Vocabulum ex opere “Pharsalia” (I, 255 sq.) M. Annaei Lucani (saec. I p. Chr. n.) ortum est, et pavorem illustrat, quo Romani tempore Marii affecti sunt:

Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem
Vidimus et Martem Libyes cursumque furoris
Teutonici.

Metaphora ab abbe monasterii Sancti Dionysii (hodie Saint Denis), a Suger apta probata est, qua habitum legati ab imperatore Henrico V. anno 1107 in civitatem Catalaunum (Châlons-sur-Marne) missi describeret, cuius habitum ipse ut testis et spectator observavit. Quinquaginta autem annis peractis Britannicus Iohannes Saresberiensis in libello controversio contra imperatorem Fridericum I. scripto offensam suam “furore Teutonico” excitatam expressit (J. Huizinga, Im Bann der Geschichte, Betrachtungen

und Gestaltungen, Basel 1943, pp. 147 sq.). Primum credi posset vocabulum in Gestis adnotatum tantum posterius interpolatum esse, quoniam nimirum verum esse videtur hoc vocabulum in Latinitate Europae Occidentalis prius pervulgatum esse, quam in Hungaria. Si autem respicimus "Pharsalia" in bibliotheca monasterii ordinis Sancti Benedicti in Monte Sacro Pannoniae constructi adfuisse, quod catalogo bibliothecae monasterii exeunte saeculo XI affirmatur (Pannonh. I, pp. 591, 354; Mályusz E., Árpádházi Boldog Margit [A magyar egyházi műveltség problémája] [= Beata Margarita de stirpe Arpadiana (Quaestio culturae ecclesiasticae Hungaricae)], in Károlyi Ekv p. 349; Csapodi Cs., A legrégebbi magyar könyvtár belső rendje [= Ratio intestina veterimae bibliothecae Hungaricae], MKSz 73 [1957] 15, 22), certe arbitrari possumus scriptorem ipsum Gestorum veterum vocabulo lectionis suae in descriptione ingenii ac morum Petri usum esse. Eandem coniecturam fecerunt et L. Kumorovitz (Bertényi I., Beszámoló kandidátusi disszertációk vitáiról [= Relatio de disputationibus, quae de dissertationibus candidatorum habitae sunt], Száz. 94 [1960] p. 918) et E. Mályusz (1966, 721 sq.). In forma "furor Teutonicorum" vocabulum in Gestis aetatis Stephani III. (v. caput 〈92.〉, sent. 451) invenitur, item in nonnullis variantibus codicum forma vocabuli "furore Teutonico" continuator aetatis Colomani quoque usus est (v. caput 〈71.〉, sent. 320, cf. Gericz, p. 73). Locus vulgaris, qui e medio saeculo XII in proverbium semper magis divulgatum venit, forma aliquantum mutata in diplomate regio Hungarico medii saeculi XIII quoque appetat ("in eadem theuthonicalis furie tempestate", Sopron vm. I, p. 20).

nobiles Hungarie — Vocabulum vulgo proceres significat et significacionem latiorem habet, quam vocabula inferius sequentia: "principes Hungarie", "principes et potestates".

Latinis — Nomen populi hic sine dubio Italos significat (Horváth op. cit. MNy 51 [1955] 153).

271 *communicato consilio* — In structura regni feudalis primus gradus est, qui regem cum sibi subiectis stabiliter coniungit, quod nobilissimi exponunt, quae sibi videantur, atque consilia dant. Vocabulum "consilium" demonstrat "principes Ungarie", qui dubitationes suas regi protulerunt, membra consilii regii fuisse, quod in decreto Sancti Stephani etiam "senatus" memoratur. "Consilium" ergo est nomen illius partis curiae regalis, hominum aulicorum, qui a comitiva armata seorsum imprimis in rebus politicis, in regno gubernando regem adiuturi erant. Hoc consilium non ex possessoribus sui iuris latifundiorum constat, nam structura latifundiorum non nisi eo tempore ordinari coepit, sed ex iis, qui honores aulae regiae gesserunt, qui olim auxiliatores Sancti Stephani erant. Ipsum vocabulum "communicato consilio" in diplomatibus Hungaricis et externis saeculi XIV pervulgata usitatum est (exempli causa anno 1299 episcopus Varadiensis, Emericus: "communicato consilio cum rege et regnolis", Mon. Strig. II, p. 463.; anno 1386 rex Bohemiae, Venceslaus IV.: "principum ecclesiasticorum et secula-

rium, baronum, nobilium tam nostrorum quam regni Ungarie fidelium communicato consilio”, Cod. Mor. XI, p. 356), sed in monumentis Hungaricis saeculi XI haud notum est. In decretis Sancti Stephani et Colomani vocabula “regale concilium”, “commune concilium” legi possunt (Szilágyi L., A magyar királyi tanács első százada [= Primum saeculum consilii regii Hungarici], LK 18–19 [1940–1941] 162 sq.). In Gestis veteribus probabiliter “communi concilio” scriptum erat, quod sententiae convenienter ad textum aptius convenit, et in locum huius vocabuli, ut conici potest, tantum ineunte saeculo XIV vocabulum recentius et ad illud tempus aptius “communicato consilio” subiit.

clarissimos et spectabiles — Ut Du Cange interpretatur, “spectabilis: titulus dignitatis, quo ornantur varii magistratus in utroque Codice, inter *Illustris et Clarissimi titulos medius*” (VII, p. 549). Falso igitur et sine causa dubitat Erdélyi, et argumentatio eius vana est, ex qua “clarissimus” significat ‘doctissimus’ et titulus doctorum erat, “spectabilis” autem ‘illustris’ est, et “saeculo XIV atque inde posterius titulus Comitum perpetuorum est” (Krónikáink 152 sq.). Erdélyi interpretationem ad suum arbitrium fecit, quae significaciones aetatis recentioris in aetatem priorem refert, nam exempli causa vocabulum “spectabilis” tantum a medio saeculo XV in Hungaria appareat in ea sententia verbi, quam Erdélyi opinatur, et vere stereotypum saeculo XVI fit (Schiller pp. 242 sqq.). Duobus vocabulis iudices curiae regiae signari possunt, qui, antequam ordo centralis judicialis conformatus est, cum rex adhuc generatim iudex solus erat, iussu regis, ab eo delegati et vice regis iudicabant. Membra comitivae regiae erant, quorum maxime constanter “comes palatinus” hoc mandatum accepit, praeter eum tamen alii quoque (Váczy P., A királyi kúria bírósága és I. Endre király törvénybeidéző ércbilloga [= Iudicium regiae curiae et sigillum aeneum in iudicium vocans regis Andreae I.], Száz. 68 [1934] 488; Idem, A magyar királyság központi igazgatása a XI–XII. században [= Administratio centralis regni Hungariae saeculis XI–XII], in Dománovszky Ekv pp. 622 sq.).

pedaneos — Ab Erdélyi (op. cit. p. 152) vocabulum “accensi academicci similis” explicatur, cum iam apud Du Cange legi possit (VI, p. 242): “pedaneus iudex, inferior, qui minora iudicia exercet in Digesto non semel”. Tres tituli una positi illustrant scriptorem Gestorum iuris prudentiae peritum fuisse, etiamsi ipsum Codicem Iustiniani et Codicem Theodosianum non directe perscrutatus esset. Vocabulo “pedaneus” ii signari possunt, qui (“iudices regii”) ruri, in gradu inferiore iudicantes, alio nomine “bilochi” nominati, quoniam ab eis sigillo aeneo ostento litigatores in iudicium vocati sunt, significari potuerunt. Iudices huiusmodi in singulis comitatibus complures erant (Hajnik p. 4). Váczy veri simile putat in singulis comitatibus duas regiones iudicum regiorum fuisse (Száz. 68 [1934] 486; Idem, Die erste Epoche des ungarischen Königtums, Pécs 1935, pp. 30

sq.; Jakubovich E., I. Endre király törvénybeidéző ércbilloga [= *Sigillum aeneum in iudicium vocans regis Andreae I.*], Turul 47 [1933] 73).

centuriones — In comitatibus a Sancto Stephano ordinatis populi laborantes castrorum regiorum — latiore significatione subiecti — in decurionatus et centurionatus divisi sunt, quibus decuriones et centuriones praerant. Decuriones et centuriones laborem incolentium in regionibus inspiciebant, effecerunt, ut potestas et ius regni apud eos valerent, simul ipsi membra copiarum armatarum comitatum fuerunt, qui posterius iobagiones castri sunt nominati. Generatim igitur armati comitatum regiorum erant, qui victum a laborantibus regionum acceperunt, quamquam — ut sumi potest — decuriones in pace ipsi quoque participes rerum rusticarum erant (de quaestione v. novissime Györffy Gy., A tízes és százas szervezet [= *Conformatio decurionatus et centurionatus*], II. Oszt. Közl. 22 [1973] 57 sq.). — Vocabula “et etiam decuriones” Chronicus Budensis, quae hic contigue sequuntur, apud Th. desunt, quod ipsum textu Chronicus Picti usum esse demonstrat.

villicos — Villici praerant villis illorum liberorum, qui ad castrum non pertinebant et postquam incursiones intermissae sunt, ad paupertatem redigebantur atque in inopiam magis magisque immergebantur. Non nominati nec creati praepositi haberi possunt, sed patres familiarum quarundam insigniorum vel principes generum. (Significationem vocabuli “villus” fontium Germanicorum discrepantem significationi Hungaricae praedicat Váczy, l. cit. pp. 20 sq.)

principes et potestates — Vocabulum hic non proceres in aula regia viventes, sed eos, qui potestate regionali funguntur, imprimis comites significat. Vocabulum “principes” ea sententia verbi, quae circa regem ipsum viventes muneribus summis fungentes significat, iam in Sancti Stephani Institutionibus de more apparebat, saepius in decretis Sancti Ladislai et Colomani invenitur, in diplomatis autem saeculorum XI—XII complures et saepius legi potest (Szilágyi op. cit. Száz. 71 [1937] 10 sq., 14 sq.). Vocabulum “potestas”, cui vocabulum Italicum “podestà” congruit, iudicem civitatis, ducem communitatum maiorum significat. Secundum Horváth (op. cit. MNy 51 [1955] 155) inter scriptores chronicorum Hungaricorum praeter scriptorem Gestorum veterum vocabulum “potestates” in sententia verbi ‘podestà’ tantum Simon de Kéza, ipse quoque eruditus litteris Italicis notum habuit.

angaria — “Angaria”, “angaria quattuor temporum” in Latinitate Hungarica nominata sunt quattuor tempora iejuniorum, quae post diem dominicam Invocavit, post Pentecosten, post diem Exaltationis crucis et post diem Luciae feriis quartis, sextis et sabbatis erant. Haec quattuor tempora ieunii nominata iam saeculo XI celebranda fuerunt, et praescripta neglegentes a Sancto Stephano (I, 10., Závodszky p. 145) vinculis septem dierum, a Sancto Ladislao (I, 25., Závodszky p. 162) autem vinculis duodecim dierum

puniri iussi sunt (Knauz pp. 245 sq.; Döry F., Pótlékok a magyarországi latinság szótárához [= Supplementa ad lexicon Latinitatis Hungaricae], Száz. 36 [1902] 590).

Hoc nomen ... debent angariari — Origo annominationis etymologicae ignota est. De usu ipso v. Curtius pp. 448 sq.

⟨63.⟩

Caput ab auctore Gestorum veterum conscriptum est.

De expulsione ... Abe regis — Index fere idem est atque index capitinis 272
Chronici Picti nonnullis mutatis adhibitis: “De fuga Petri et de electione
Abe” (SRH I, 324).

Anno ... tertio — Autumnali tempore anni 1041 (Pawler I, p. 79).

principes — V. caput superius.

milites — Ut e praescriptis decreti Sancti Stephani cognosci potest, ii
Hungari liberi sic nominati sunt, qui, rebus familiaribus, ut tum erant
tempora, florentibus ipsi exercitati in armis proclives ad vitam militarem
fuerunt. In ordine sociali inter proceres, id est, inter “nobilities” et liberos
humili loco natos, stipendia non facientes vel ea desinentes erant. Status
eorum in gradu persolvendae poenae pecuniariae et pretii redemptionis
constitui potest. Dum sanguinis pretium “comitis”, qui idem erat ac
“nobilis”, si uxorem occideret, 50 iuvenci, “militis” 10, “vulgaris” autem 5
erat (I, 15; Závodszky p. 146), si domus aliena invaderetur, idem pretium in
ordine sic mutatum est: 100, 10, 5, prout a “comite” domus “domini”, a
“milite” “curtis vel domus” “militis” alterius, a “vulgari” autem “mansiuncula”
alterius sui similis irrumperetur (I, 35; Závodszky p. 151). Saeculo XI
vocabulum “miles” vulgo pugnatorem, equitem levis armaturae significavit,
sed posterius, armis cataphractis inductis equitem.

consilio episcoporum — Numerus dioecesium a Sancto Stephano consti-
tutarum ad summam decem erat (Balanyi Gy., Szent István mint a magyar
keresztény egyház megalapítója és szervezője [= Sanctus Stephanus ut
conditor et ordinator Christianae ecclesiae Hungaricae], in Szent István
Ekvt I, 340 sq.). Tantum unam earum, dioecesim Strigoniensem iam statim
archiepiscopatum factam esse certe affirmari potest, nam alter archiepisco-
patus mediæ aevi, Colocensis fortasse tantum medio saeculo eminuit (Pawler
I, p. 42; Uhlirz op. cit. p. 570 sententiis adversis additis).

Anno ... Petrum regem — Explicans, quae causa actionis contra Petrum
fuerit, Hóman ambitionem primorum, imprimis palatini Abae, qui domina-
tionem Petri severi aegre ferebant, extollit (M. tört. I, p. 252). Secundum
Kristó (1965, pp. 24 sq.) Petrus adversarios apertos aut coniectos ordinis
novi et fidei novae ex aula Stephani dissipavit, qui ita ad factionem

adversariam adlati sunt. Denique expulsio Petri regis non nisi actio primorum Petrum aegre ferentium fuit.

de regali progenie — Cum e sanguine regio orti tantum progenies Sancti Stephani dici potuissent, scriptor Gestorum sine dubio stirpem Arpadianam hic arbitratus est. Familia regia studebat etiam per scriptores chronicorum aulae, ut opinio, ex qua sors gentis Hungaricae cum stirpe Arpadiana coniuncta est et tantum hac ducente sustineri potest, quam latissime propagaretur. De simili sententia Francogallica, ex qua ad sanguinem generis regii — divinae originis — excellentia quaedam propria adhaeret, v. Schramm I, p. 71.

tyrannide — Rex se opponens imagini regis, qui secundum Augustinum “rex iustus, pius et pacificus” est, non solum in libris “speculum regis” nominatis, qui ea aetate plurimi apparuerunt, tyrannus est dictus, sed etiam in opere huius generis Hungarico, in Institutione morum: “Rex ... impietate et crudelitate fedatus, incassum sibi nomen vendicat regis, quia tyrannus est dicendus” (Závodszky p. 140. Cf. Balogh J., Szent István “Intelmei”-nek forrásai [= Fontes “Institutionum” Sancti Stephani], in Szent István Ekv II, pp. 248, 264).

Abam, sororium ... Stephani — Nomen Aba origine Turicum est. Acceptio est nominis “Apa”, “Aba”, quod e nomine communi “apa”, “aba” ‘Vater’, cuius significatio pater est, oritur (Etym. Szótár I, coll. 2 sq.). Latifundia permagna generis Abae sub monte Matra et in valle fluvii Harnadi porrecta erant, ubi in nomine novi comitatus se conformantis (Abaúj) quoque memoria generis servata est. Quod ipse Aba unus ex nobilissimis fuit, eo demonstratur, quod sororem Sancti Stephani uxorem accepit (Wertner pp. 102 sq.). Condicioni, quam Sanctus Stephanus ad tuendum statum a se creatum regni primam constituit, baptismo percepto satisfecit — nominatus est Samuel —, atque ita intellegi potest eum palatinatum, amplissimum gradum honorum curiae regiae adeptum esse. Ne vestigium quidem eius rei exstat, quod ipse Aba stirpi Vazul regnum comparaturus fuit (Pauler I, p. 79). Si caput quoddam “Deliberationis” episcopi Gerardi (I. de Batthyán, Sancti Gerardi episcopi Chanadiensis scripta et acta hactenus inedita, Albo-Carolinae 1790, pp. 98 sq.) ad aetatem Abae Samuelis referre possumus (Horváth op. cit. in I. Oszt. Közl. 13 [1958] 44; Szegfű L., Eretnekség és tirannizmus [= Haeresis et tyrannis], ItK 72 [1968] 513 sq.), tum Aba Samuel praesidium paganorum dici potest, cum motum liberum comparaverit eis, qui pro fide vetere senserunt (Kristó 1965, pp. 28 sq.).

Petrus autem ... adiutorium imploratus — Rex Teutoniae, Henricus III. (1039–1056, ab anno 1046 imperator Romanorum), filius Conradi II., Ratisbonae accepit mense Octobri anno 1041 Petrum profugientem et sub protectione sua sumpsit, cum paullo prius adhuc inter se pugnavissent (Pauler I, p. 80; Hóman, M. tört. I, p. 253).

273 *Budam barbatum* — Non est notum, cur scriptor Gestorum, dissentiens

cum fonte, scriptore Annalium Altahensium, attributum nomini Budae adiunxerit. Secundum Erdélyi (Krónikáink pp. 153 sq.) eo tempore, quo equites galea clausa induti erant et necessario coacti barbam sibi totonderant, dissentiens a ceteris habitus est, si quis barbatus erat. Erdélyi autem totum locum saeculo XIV ortum esse putat — et ideo quoque similitudinem inter ducem Mattheum Barbatum nominatum, qui dux victor pugnae in campo iuxta fluvium Moravam commissae (1278) fuit, et Budam saeculi XI invenit —, itaque significatio eius ad rem dissolvendam nil profert.

malorum intentorem — II. Macc. 4, 1.: ipse fuisset inceptor malorum.

Hungari ... effoderunt — In fonte Gestorum, in Annalibus Altahensibus res, sine dubio convenienter factis, antequam Petrus profugit, facta esse scribitur. Pars textus fontis in Gestis transcripta haec est: “Budonem horum omnium malorum auctorem, cuius omnia fecerat consilio ... comprehen-dentes interfecerunt ipsum in frusta concidentes et duobus parvulis eius oculos eripientes” (Gombos I, p. 94). Coniunctio similiter arta est non solum cum insequenti parte capitis, sed cum descriptione rerum usque ad annum 1045, quod e textibus inter se collatis apparet. Pervestigatio textuum non solum Gesta vetera — secundum Kristó (1968, p. 6.) chronica quaedam saeculo XII conscripta — ex Annalibus pendere constituit, sed etiam explicavit, cur res Hungaricae annorum 1041—1045 tam accurate tractatae essent. Vidua enim regis Andreae I., una cum filio anno 1060 in terram Teutonicam fugit et ibi usque ad annum 1063 remansit. Eadem atque comites sui scriptorem Annalium de rebus gestis certiore fecerunt (Hóman p. 84).

Aba vero ... in irritum revocavit — Textus Gestorum e pronuntiationibus sequentibus Annalium Altahensium conscriptus est: “Ungri ... alium sibi regem statuerunt, qui Obo vocatus regio more mox est consecratus ... Igitur rex idem, habito sinodico consilio, cum communis episcoporum et principum consilio omnia decreta rescindi statuit, quae Petrus iniuste secundum libitum suum disposuit” (Gombos I, p. 94).

Toizlan — Nomen in simili forma in $V_2 V_4 V_5$ servatum est (SRH I, 326).

Unus ... Pezli — In Annalibus Altahensibus tantum nomina duorum procerum adnotata sunt: “Harum rerum summa a duobus regni principibus est perpetrata, quorum unus Ztoizla nomen habuit, alter Pezili dictus fuit” (Gombos I, p. 94). Deér (p. 58, adnot. 76) id, quod nomen Visca in Gestis memoratum est, pro argumento habet, quo demonstratur scriptori Gestorum praeter argumenta Annalium Altahensium notitias alias quoque allatas esse. Ut Kristó (1965, pp. 25 sq.) arbitratur, Wisce unus ex aulicis Stephani esse potuit, cum autem Petrus eum ex aula regia dimitteret, adversarius tenax regis Petri factus est. — De nominibus trium procerum primum Pauler disseruit. Ut constituit, Nomen Ztoizla idem est ac Slavicum nomen Stoislav, nomen Pezli, quod in diplomatis Germanicis in formis Pezili, Pezelin legi potest, Germanicum esse videtur, et in Hungaria formam Pécel induit, in nomine autem Wisce, contra Marczali (op. cit. in Szilágyi II, p.

33), non nomina Visk vel Viske, sed — quamquam non cum certitudine absoluta — Visz, Vész agnoscere putavit (I, p. 416). Hóman e notitia nominum conjecturam ethnicam faciens Stoislav hominem aulicum Slavicum, Pezli hominem aulicum Germanicum fuisse arbitratur (M. tört. I, p. 253), Lederer autem etiam Wisce hominem Slavicum fuisse putat (Elekes L.—Lederer E.—Szekely Gy., Magyarország története, Az óskortól 1526-ig [= Historia Hungariae, A temporibus antiquissimis usque ad annum 1526], Bp. 1961, p. 68). Jakubovich formas nominum in lingua Hungarica Stojszló, Pécel et Viska fuisse constituit, affirmans formam Viska e verbo nativo Vis, quod in vocabulis locorum Hungaricorum invenitur, fictione Hungarica formatam esse, nomina autem Stojszló et Pécel in baptizmate accepta esse arbitratur. Idem monstrat duo nomina complurium regum et procerum Hungarorum saeculo XI nota fuisse: alterum nomen orientale, alterum Christianum, quorum primum etiam in oblivionem adduci potuit. Vajk nominatus est etiam Stephanus, Aba etiam Samuel, Bela I. etiam Adalbertus, rex Geysa I. etiam Magnus, itaque a Jakubovich Stojszló et Pécel ut duo filii Gyulae Transylvani item cum Bua et Bucna identificantur, de quibus Petrus posterius ut de ducibus factionis Teutonicis adversariae supplicium sumi iussit (Viska, Stojszló és Pécel [= Viska, Stojszló et Pécel], MNy 23 [1927] 228 sq.). Identificatio a Jakubovich coniecta non probata est. E. Lederer (A feudalizmus kialakulása Magyarországon [= Quo modo feudalismus in Hungaria evolutus sit?], Bp. 1959, p. 96) contradixit “nomen in baptizmate acceptum tantum nomen, quo sancti vel martyri nominati erant, esse potuisse, nominatos autem Stoyzlau et Visce martyros sanctosve haud notos esse” (praeterea Kristó 1965, p. 26, adnot. 161).

274 *In tertio vero anno* — Id est anno 1044. Enuntiatio quasi comprehensive adnotat finem regni Abae, nam inde res copiose descriptae traduntur ab anno 1042. E ratione conscribendi coniectari potest enuntiationem fragmentum operis cuiusdam historici Hungarici ad modum annalium brevissime compositi esse posse, quam scriptor Gestorum veterum rebus anni 1042, non autem anni 1044 praeposuit.

anno ... ad cesarem — Die natali Domini anno 1041 legati Abae adierunt Argentorati Henricum III., sicut Annales Altahenses quoque tradunt, et quidem, quia annus non die 1 mensis Ianuarii, sed die 25 mensis Decembris incepit, narrationem ad annum 1042 adiungendo (Paurer I, p. 80).

Rex igitur Aba ... ipse sentiet — Textus ex Annalibus Altahensibus est transformatus: “[Obo Ungaricus rex] misit legationem talem, ut perquireretur, an certas inimicicias sperare deberet an stabilem pacem. Caesar autem ubi ex his verbis persensit superbiam eius mentis, talibus obviavit respondis: Si quidem ille me et meos cavit iniuriis laccessere, ego nolo inimicicias incipere, si vero ipse inceperit, quid possim, deo auxiliante sensurus erit” (Gombos I, p. 94). At dum in Annalibus Altahensibus causam legationis missae metum belli fuisse memoratur, in Gestis legatos post bellum inceptum missos esse adnotatum est. Similiter transformat scriptor Gestor-

rum textum Annalium, cum responsum Henrici III. describit, ita, ut consilium hostile Henrici emineat, et impetus Abae excusetur (Domanovszky p. 100).

Austriam et Bauarium — Vocabulum Annalium Altahensium “terram Baioariorum” (Gombos I, p. 94) in Gestis — fortasse saeculo XII — amplificatum est cum assignatione loci “Austria”, quae ad illud tempus aptior visa est, dum Simon de Kéza saeculi XIII vocabulum “Bavariam”, quod tempori haud conveniens factum est, omisit (SRH I, 175). V. ad hoc Marczali pp. 42 sq.

in ore gladii — Vocabulum frequens in Sacra Scriptura est. Loci enumerantur in SRH I, 326.

congregato exercitu ... reversi sunt gaudentes — Scriptor Gestorum textum e sequentibus enuntiationibus narrationis copiosae Annalium Alta-^{274—275} hensium transformavit, ita, ut sententiam eius Hungaris iniquam mutaret: “Et ex utraque Danubii parte perrexit terram Baioariorum spoliare ... cum in numero milite ... Incipientes igitur a flumine Treisama grassati sunt miserabili praeda ... Hoc autem factum est feria secunda sexagesimae a primo crepusculo usque vespere. Dehinc circa Tullinam civitatem pernoccantes, in terram suam redierunt ovantes” (Gombos I, pp. 94 sq.). Descriptio accurata belli praedatoris: Paurer I, p. 81; adnotatio Gombos de inertia imperatoria Abae: Száz. 45 (1911) 577 sq.

Traisisama — Hodie nuns. fluvius Traisen est, qui latere dextero influit in ²⁷⁵ Danubium in Austria Inferiore (cf. Gombos op. cit. Száz. 45 [1911] 577 sq.).

civitatem Tulnam — Hodie nuns. civitas Tulln est, a Vindobona ad septentriones-orientalem, ad latus dexterum Danubii (v. caput <13.>, sent. 109).

secunda feria — Textus Th. e Chronico Picto translatus intellegi non potest. Nam vocabulum “sexagesime” post “feria” Chronico Picto deest, quod in Chronico Budensi legere possumus (SRH I, 327). Feria secunda post dominicam “Sexagesima” vel “Exsurge” anno 1042 in diem 15 mensis Februarii incidit.

Goffridus ... Austrie marchio — Marchio Austriae a scriptore Gestorum falso memoratur. Lambachus Gottfridus (obiit anno 1050), filius marchionis Carantani, Arnoldi, mox ipse marchio factus, possessor comitatuum Ennstal et Paltental nominatorum fuit (E. Steindorff, Jahrbücher des deutschen Reichs unter Heinrich III. [Jahrbücher der deutschen Geschichte], Leipzig 1874, I, pp. 151 sq.; Uhlirz I, p. 69; Huber I, pp. 192 sq.).

Petouiam — $V_2 - V_5$: Petoniam; V_1 : Petoviam; Chronico Budensi nomen et textus ei adiunctus desunt (SRH I, 327). Locus Pütten nominatus in Austria Inferiore a civitate hodierna Wiener Neustadt nominata ad meridiem sub monte Semmering situs est. Quia locus, ut posterius traditum est, in possessione marchionis Gottfridi erat, mentionem eius Huber ita interpretatur (I, p. 193), quasi locum signum recuperandi a ditione Hungarorum. Paurer (I, p. 417) studia quoque Austriaca ad historiam regionis pertinentia respiciens) et Pirchegger (p. 121) simul hunc locum Pütten, non autem

locum Stirиensem Pettau (Poetovionem) indentificant cum eo. Quoniam vocabulum loci non ex Annalibus Altahensibus in Gesta translatum est, sumi potest illud ideo fama servatum esse, quia olim regio sub dizione Hungarorum erat.

Post hec misit ... fertur abstulisse — Textus ex Annalibus Altahensibus formatus est: “Per idem tempus aliqui de Ungaria egressi contra Carinthiam captivaverunt innumerabilem praedam. Sed Gotefrido marchione superveniente et eosdem invadente, omnes occubuerunt praeter paucos, qui latenter effugerunt” (Gombos I, p. 95). Scriptor Gestorum vocabulo “fertur” adnotato pronuntiationem fontis sui appellat simulque cladem Hungarorum imminuit.

habebat marchiones — Quoniam regio Ostmark e marchionatu anno 1156 ducatus facta est (Uhlirz I. p. 67), adnotatio in Gestis posterius, etiam saeculo XIII orta esse potest. A vocabulis “Gotfridus autem” usque ad haec vocabula textus Gestorum tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti servatus est.

276 *Pascha domini* — Die 11 mensis Aprilis 1042 erat.

Coloniae celebravit — Coloniae Agrippinae imperator comitiis habitis cum principibus imperii decrevit se expeditionem contra Hungaros non prius, quam principio mensis Septembris initurum esse (Steindorff op. cit. I, p. 153).

Uraczlai ducis Bohemorum — Dux Bohemiae, Bretislaus (1035—1055) ab anno 1041 assetor regis Henrici III. et adiutor eius in impetibus in Hungariam factis erat.

ex aquilonari ... ad confinium Hungarie — Henricus III. edoctus strage Conradi II. anno 1030 accepta in regione lateris sinistri Danubii, quae impedimentis naturalibus, paludibus minus tuta defensaque erat, mensibus Septembri et Octobri 1042 progressus est, et usque ad fluvium Granum pervenit (Pauler I, p. 82).

Eo autem tempore ... ei regnum restitueret — Fons textus narratio Anna- lium Altahensium est: “Pascalem agnum deinde rex [Henricus III.] ... Coloniae victimavit et principes totius regni congregavit, consilium quaerens ipsorum, qualiter obviare deberet gestis Ugarorum. Qui omnes velut uno ore consiliati, terram illam decere cum exercitu invadi ... Expeditio vero facta est ... coadunato exercitu ingenti ... Pertransierunt etenim terram ex aquilonali parte Danubii fluminis suasu et consilio Boemici ducis ... Incolae autem missa legatione promisere se, quicquid rex praeciperet, velle perficere, nisi tantum Petrum regem suum recipere, quod tamen rex summopere voluerat et propter quod eum secum adduxerat. Postquam etenim auxilium suum illi promisit, hoc in restituendo regno illi ostendere cupivit” (Gombos I, pp. 95 sq.).

Cesar rediit — Annales Altahenses: “rex et sui redierunt ad propria” (Gombos I, p. 96).

Cesar rediit ... filii ducis Gozzilonis — Scriptor Gestorum hic rem indicat,

quae tantum post bellum Henrici III. anno 1044 gestum accidit. Nam dux Lotharingiae Inferioris Superiorisque, Gozelo I. die 19 mensis Aprilis anno 1044 mortuus est, et filius natu maior, Gotfridus Barbatus tantum post mortem patris seditionem contra Henricum III. concitavit vitio ei vertens, quod Henricus Lotharingiam Inferiorem non ipsi, sed fratri natu minori impertivit. Dux quidem mense Iulio anno 1045 se potestati Henrici subiecit, mense Maio anno 1046 ducatum recepit (Cartellieri pp. 433 sq.; Steindorff op. cit. I, pp. 215 sq., 237, 295). In Gestis enuntiationes sequentes Annalium Altahensis contractae sunt: “1044. Gozzilo dux Luthareorum obiit ... Duos ... filios habuerat, quorum alteri Godefrido ducatum ... tradi permiserat (M.G.H. SS XX, p. 799) ... dux Gotefridus ... coniuravit ... adversus regem dominum suum”. — “1045. Rex ... tractans cum optimatis, ut obviam iret conatibus Gotefridi” (ibid. p. 801). Res cum historia Hungarica nullo modo cohaeret. Adnot. 7 in SRH I, 328 errore inducta est.

⟨64.⟩

Pars minor capitinis prior adnotata a scriptore Gestorum veterum, pars maior autem posterior a continuatore aetatis Colomani conscripta est.

De adventu ... in Hungariam — Index ex indice capitinis Chronici Picti 277 supplemento Th. addito formatus est: “Adventus cesaris in Hungariam contra Abam” (SRH I, 328).

Sequenti anno — Id est anno 1043.

Sequenti anno ... noluit componere — Legati Hungarici circa diem Pentecostes (22 mensis Maiae) anno 1043 in civitate Paderborna Henricum III. adierunt, qui eos ad disceptationes continuendas Ratisbonae adesse iussit, sed ibi secunda parte mensis Iulii disceptationes interrupti et contra Hungariam ad bellum profectus est (Pauler I, p. 83).

obstacula — Hungari post patriam occupatam regnum suum, ne id impetu hostes improviso aggredierentur, more nomadum orientalium equis utentiū regione cultoribus vacua cinixerunt, quae tam late porrecta est, ut non nisi itinere complurium dierum transiri potuit, et ultra hanc extraneam zonam ipsos fines regionis incolis frequentis ita constituerunt, ut ubicunque, quantum potest, palus, fluvius, silva esset, atque ut transitum impedirent, impedimentis arte factis, fluvios paludosos reddendo quoque ad commeatum tantum paucissimis viis cogendum operam dabant. Hos transitus Hungarice nominatos “kapu” ‘porta’, aggeres, id est munimenta terrena trabibus et viminibus contextis exstructa defendebant, custodia autem eorum propria catervae militari, id est speculatoribus commissa est, qui partim e gentibus constituit, quae se dicioni Hungarorum subiecerunt. Opera munita praecipue ad occidentem exstructa erant. Hic et montes continui Carpathum defuerunt, et hac parte impetus hostium armis fortio-

rum instabat. Quantum opera occidentalia munita sint, id quoque monstrat, quod complura vocabula locorum cum iis coniuncta etiam hodie usitata ibi inveniuntur. Haec nomina sunt partim vocabula regionum, quae nomina domiciliorum speculatorum priscorum servant — exempli causa “Őrség” —, partim vocabula locorum, quae nomina transituum conservant, sicut exempli gratia Kapuvár (‘Castrum Portae’) (Tagányi K., Gyepű és gyepűelve [= Indagines et loca ultra indagines sita], MNy 9 [1913] 98 sq.; Kniezsa op. cit. in Szent István Ekv II, p. 397; Kristó Gy.—Makk F.—Szegfű L., Szempontok és adatok a korai magyar határvédelem kérdéséhez [= Rationes et argumenta ad quaestionem tutandorum finium veterum regni Hungariae], HK N. S. 20 [1973] 639 sq.).

fluvium Rabcha concluserant — Fluvius Rabca aquam paludis Hanság nominatae provehens ad Arrabonam in fluvium Rabam influit, proxime, ubi hic in Danubium se effundit. Nomen origine Slavicum est, e nomine Slavico Raba suffixo *-ica* ductum deminutivum est, quod ‘Raba Parva’ significat (Melich p. 380). Tagányi (l. cit. p. 257) mendo typographico Pauler (I, p. 86) in errorem ductus res anni 1044 falso huic loco Gestorum adiungi putat, et huic rei convenienter hic mentionem facit aggeris aquae intercludendae constructi ad Babót, qui in diplomatibus saeculorum XIII—XIV quoque memoratur.

277—278 *Sequenti anno ... opidum Burgundie* — Descriptio Gestorum e narratione copiosiore Annalium Altahensium formata est: “venere legati Ungrorum, pacem cum nostratis reformare cupientes et proinde magnam exhibitionem regi promittunt, scilicet captivorum, quos haberent, remissionem, eorum, quos reddere non possent, coemptionem ... Rex vero ... respondit, quia pactum facere nollet, priusquam Radasponam veniret et nisi tunc tale quiddam super exhibita adderent, quod satrapae sui contra illius terrae populis probarent ... Veniens ergo rex ad terminum regni ... decrevit, ut hostilis terra procul dubio invaderetur et factis machinis contra opus, quo fluvium Rapiniza occluserant, in crastinum impugnare disposuerant. Tandem venere supplices legati ... Tunc condixerunt captivum populum ... remittere vel precium sub iureiurando reddere ... et insuper pro lenienda regi offensa dare CCCC auri talenta totidemque pallia ... Haec autem omnia rex Ungaricus ipse iurando promisit ... Proinde ... unusquisque domum redit. Mox ... profectus est rex Vesontionum urbem Burgundiae” (Gombos I, p. 96; M.G.H. SS 20, p. 798).

278 *allictus munieribus* — Aba per disceptationes obsequenter multa concessit. Obligavit se, ut captivos redderet et pretium sanguinis peremptorum solveret, 400 talenta auri penderet et ut totidem pallia pellicia daret, hereditatem reginae Giselae, quam illa a Sancto Stephano acceperat, redderet, et postremo decessit de regionibus, quae a fluvii Leita et Morava ad occasum porriguntur. Henricus III. postquam ius iurandum atque obsides a Hungaris accepit, retro versus est, et regionem sibi concessam statim occupavit (Pauler I, p. 84).

Bizantium — Haec forma nominis tantum in *V₃* legitur (SRH I, 329). Hodierna civitas Besançon sedes comitatus (département) Doubs est prope fines Helvetiae. (V. caput (17.), sent. 131.) Nomina “Bisantia”, “Bisontium” et quod nomen in Annalibus Altahensibus est memoratum, “Vesontionum urbs”, pariter usitata erant (Graesse p. 325).

Arbitrabatur ... cum servis — Sententia, ex qua Aba distinctionem servorum et dominorum ablatus fuit, nimirum facta videtur, et non nisi ut criminatio sumi potest. Scriptor Abam improbatus famam eius graviter laedere voluit, atque ad hoc ei aptissimum visum est Abam de ordine sociali perturbando criminari. Coniectari potest statum munitum praediorum privatorum, qui in decretis Sancti Stephani accurate descriptus est, ex contentionibus factionum infirmum factum esse, et consuetudines cum possessione generum coniunctas rursus valuisse tamen haec omnia non pro servis facta sunt. Haud impossibile est opinionem Abae Samuelis, ex qua dominis et servis omnia communia essent, sermone populari servatam esse, tamen chronographus sermonem veri similiter origine popularem retro vertit: Abae in culpam convertit omnia, quae populus ei decori habuit. De persona Abae Samuelis medio aevo formata v. Kristó (1972, Ethn. 53 sq.).

Nobiles ... ignobilibus commune — Enuntiatio criminatio prioris repetitio est, tamen non eadem phraseologia, quae propria est saeculi XI (dominus — servus), sed ita, quasi scriptor aetatis posterioris in lingua aetatis suae diversitatem illustrare conatus sit. Saeculo XI vocabulum “ignobilis” adhuc non inferiorem ordinem societatis significat, sed eos, qui inter proceres non evecti sunt. Tamen Stephano II. regnante (1116—1131) iobagio castri quidam Vesprimensis, igitur homo possidens, militans iam dicit se quidem iobagionem, tamen non “ignobilem” esse (Fejérpataky, II. István p. 17; Pannonh. I, p. 595), ex quo duo consequentia colligi possunt: partim quod fortasse inter socios eius “ignobiles” fuerunt, partim quod vocabulum ne eo quidem tempore “rusticum” significavit. Praeter nominationes “pauper”, “colonus”, “plebeius”, “tenuis” et maxime solitam nominationem “villanus” eorum hominum, qui sub iuris dictione regis aut possessoris privati in communitate rusticana vivebant, appareat quidem et appellatio “rusticus” (Erdélyi p. 57.; Hóman op. cit. in Békefi Ekv pp. 74 sq.) exeunte saeculo XI, quae tamen vulgata tantum exuente saeculo sequenti, aetate Anonymi facta est. Inserta enuntiatio explicans, ut constitui potest, exeunte saeculo XII fieri potuit. (Szilágyi L. [op. cit. Száz. 71 (1937) 10] promissum de vocabulo “rusticus” interpretando persolvere non potuit, quod valde dolendum est.)

Hungari vero ... fecit interfici — Annales Altahenses: “contra iniustum regem iusta coniuratio ... Conspiraverant ... plerique principes ... et ut ipsum placatum habere possent ... necatum ... tradere querebant ... Igitur quidam, qui eiusdem conspirationis conscius fuit ... omnes coniuratos regi prodidit, innotuit, quorum aliquos iussit necari” (Gombos I, pp. 96 sq.).

Chanadini — Primum castrum terreum fuit ad ripam sinistram fluvii 279

Marusii, et Morisena (Hungarice Marosvár) est nominatum. Sanctus Stephanus, cum castrum ab Achtum expugnavit, sedem comitatus et sedem unius episcopatum ab se conditorum fecit. Castrum et comitatus nomen a comite primo, Chanad (Csanád) traxerunt. Nomen Chanad veri similiter suffixo deminutivo addito derivatum nominis Chana (Csana) esse videtur, quod autem incertae originis est (Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 102; Györffy, Tört. földr. I, pp. 852 sq.). Chanad medio aevo frequens nomen et vocabulum loci est (Kovács, Index p. 138; Kristó—Makk—Szegfű I, p. 50).

quadragesima — Vocabulum “quadragesima” vulgo tempus ieiunii significat, quod anno 1044 a die 7 mensis Martii usque ad diem 22 mensis Aprilis durabat.

eos obtruncari ... confessos — Cf. caput (73.), sent. 326 Th.: “aliquos ex eis obtruncaverunt, prepositosque eorum ab altis precipitando contriverunt”. In Gestis “contritos” falso scribitur pro “convictos”, item in haud recto ordine sunt “contritos” et “confessos”. “Confiteri” et “legibus convincere” vocabula iuridicialia sunt, quorum prius reum in actione fateri se commisisse id, cuius rei accusatur, posterius autem reum criminis in actione legitima coargui significat. Textus verus a Simone de Kéza servatus est: “crimen non confessos, nec convictos legibus” (SRH I, 176). In capite Th. (73.) — in capite Gestorum 95. — verbum “conterere” certe tantum tunc inscriptum est, cum forma “convictos” capitinis, quae primo recta erat, in “contritos” depravata esset (Juhász L., A Képes Krónika szövegkritikájához [= Ad censuram textus Chronici Picti], FK 12 [1966] 32 sq.). Si respicitur, quod textus verus a scriptore ortus est, qui more iuris peritorum cogitabat, hanc partem minime e Gestis veteribus derivatam putari potest.

Gerardus Chanadiensis episcopus — Venetus monachus ordinis Sancti Benedicti est, qui studiis in Francogallia fortasse in civitate Chartusiensi (Chartres) perfectis in Terram Sanctam peregrinatus in Hungariam pervenit. Hic aliquot annos in monasterio Beel (hodie Bakonybél) vitam eremitarum egit. Anno 1030 Sanctus Stephanus eum episcopatu Chanadiensi praefecit. Ut monachus deditus motui reformandae religionis Christianae exerto e monasterio Cluniacensi, necessitudines cum Lotharingiensibus etiam in Hungaria coluit. Opus eius “Deliberatio supra hymnum trium puerorum”, quod anno 1790 typis quoque editum est, liber valde mirus litterarum saeculi XI aestimatur (Manitius II, pp. 74 sq.; B. Geyer, Die patristische und scholastische Philosophie [F. Ueberweg, Grundriss der Geschichte der Philosophie, II¹¹], Berlin 1928, p. 187), quamquam opus non tanti aestimat, tamen Gerardo laudi dicit id, quod de studiis profanis, praesertim de dialectice haud tam contrarie senserit, sicut posterius Petrus Damianus, id autem, quod per neoplatonismum Dionysii Areopagitae ad elementa nonnulla propaganda eruditiois Byzantinae in Europa Occidentali adiuvit, auctoritatem singularem ei praebet (Karácsonyi J., Szent Gellért csanádi püspök élete és művei [= Vita et opera episcopi Chanadien-

sis Sancti Gerardi], Bp. 1887, pp. 191 sq.; Ibrányi F., Szent Gellért teológiája [= *Theologia Sancti Gerardi*], in Szent István Ekv I, pp. 504 sq.; Ivánka E., Szent Gellért görög műveltségének problémája [= *Quaestio eruditionis Graecae Sancti Gerardi*], in Ért. nyelvtud., XXVI/3, Bp. 1942; Bodor A., Szent Gellért Deliberatiójának fóforrása [= *Fons primus Deliberationis Sancti Gerardi*], Száz. 77 [1943] 173 sq.; Redl K., Problémák Gellért püspök Deliberatiójában [= *Quaestiones in Deliberatione episcopi Gerardi*], ItK 69 [1965] 211 sq.; G. Silagi, Untersuchungen zur "Deliberatio supra hymnum trium puerorum" des Gerhard von Csanád, München 1967; L. Szegfű, La missione politica ed ideologica di San Gerardo in Ungheria, in Venezia e Ungheria pp. 23 sq.).

Unde beatus ... imminere predixit — Res, quam scriptor spectat, in legenda maiore Sancti Gerardi abundantanter enarratur, secundum quam die festo Paschae (die 22 mensis Aprilis) rex dominos et episcopos, qui ei comitati sunt, ad Gerardum eo mandato misit, ut adesset et antequam in ecclesiam procederent, coronam solito more festorum magnorum capitii imponeret (cf. Mátyás, Chronol. pp. 24 sq.). Gerardus mandata regis efficere abnuit, cum autem episcopi ceteri voluntati regis satisfacerent et rex in ecclesiam introiret, pulpitum ascendit, et oratione aspera praedixit regem regnum fraudulenter comparatum amissurum esse. Interpres innuentibus comitantibus Latine intellegentibus minas Gerardi silentio praetermittere conabatur et retractare tantum tunc desinit, cum episcopus eum inclamavit (SRH II, 500). Ambigitur, Gesta, an legenda Sancti Gerardi prius scripta sit. Magis divulgata est sententia, ex qua Gesta prius conscripta sunt (Hóman p. 36; Deér, SRH I, 6; Madzsar, SRH II, 466 sq.; Váczy op. cit. LK 18–19 [1940–1941], 321 sq.; Horváth pp. 176 sq., 311; Horváth op. cit. I. Oszt. Közl. 13 [1958] 74 sq.; Gerics p. 82), tamen nonnulli prioratum legendae defendunt (Marczali pp. 27 sq.; Domanovszky pp. 106 sq.; Kristó 1968, p. 6). Hanc opinionem posteriorem sequitur etiam Csóka (pp. 311, 602 sq., 612), sed id quoque ponit, quod scriptor legendae fontem chronicon quoddam saeculi XI habuit. Horváth (p. 312), partem capititis adhuc descriptam e Gestis veteribus ortam esse putavit, partem insequentem a scriptore posteriore, a continuatore aetatis Colomani scriptam cognovit, et quidem ex eo, quod narratio non est contraria Teutonis. Quod pars insequens a scriptore alio conscripta est, e figura stili quoque conjectari potest. Scriptor Annalium Altahensis id, quod quidam participum coniurationis prodidit Abae, quid in eum pararetur, sic narravit: "Igitur quidam, qui eiusdem conspirationis conscius fuit", quod scriptor Gestorum sic transcripsit: "Quidam autem ex ipsis". Vocabulo scriptor saeculi XII iterum usus est, nunc autem in numero plurali, profugos ad imperatorem spectans: "Quidam itaque ex coniuratis". Vocabulum alia sententia iteratum ita appetit, quasi quis spiritu novo narrationem non perget, sed incipiat. Contra autem opinionem Horváth hoc loco Gerics (pp. 72 sq.) manum scriptoris alterius non videt. Pariter cum Horváth locos interpolatos

esse putat S. Tóth (op. cit. in AU Szeged. AH 11 [1962] p. 39). Loca geographica belli in parte inferiore descripta Pauler (I, p. 420) magni momenti esse dixit, tamen ea “nomenclaturis secundae partis saeculi XIII” signata esse arbitratus est.

Quidam itaque ... ad cesarem — Annales Altahenses: “Hac de causa amplius incitati omnes ... caesaris auxilium expetunt” (Gombos I, p. 97).

280 *Norico* — Noricum est nomen provinciae Romanae a Pannonia ad occasum sitae. Hoc loco significatio est: ‘Bavaria’.

cum exercitu ... aulicorum suorum — E parte Annalium Altahensium quoque, quae a scriptore Gestorum non est transcripta, cognoscitur Henricum III. principibus imperii stipendia tribuere noluisse, sat putavisse uti certo numero Bavarorum et Bohemorum et praeter eos agmina armata comitantium ei suppetivisse. De participibus belli et de bello exacto v. Pauler I, pp. 86 sq.

Cesar itaque ... inter Hungaros et cesarem — Annales Altahenses: “Denique caesar ab iis persuasus ... ducens exercitum Noricum et Boiemicum. De reliquis regni sui partibus nullos nisi aulicos suos habebat ... Dum hoc iter ageret, Obonis complures legati venerunt et fugitivos suos, qui cum rege fuerant, repetierunt, eos praedones regni sui conquerentes et primos incentores adversus nostrates fuisse asserebant” (Gombos I, p. 97).

281 *Concitato itaque cursu* — Vocabulum “cursu” omnibus variantibus Chronicis Picti deest (SRH I, 331). Th. igitur eo manuscripto usus est, quod hoc loco integrius erat ceteris variantibus et Chronicis Budensi proprius fuit.

Supronium — Nomen hodiernam civitatem Sopron (Sopronium, Soprinium) et comitatum Sopruniensem significat. Civitas loco Scarbantiae Romanae iuxta viam militarem, quae Posonium tulit, e sede comitatus a Sancto Stephano ordinati formata est, et nomen Hungaricum a suo primo comite accipere potuit (Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 104). Nomen Germanicum civitatis — Ödenburg — origine saeculi XIII est (Mollay K., Ödenburg, A Magyar Tört. tud. Int. Évkönyve 1942, pp. 631 sq.; Idem, Sopron vármegye vázlatos története [= Historia breviter conscripta comitatus Sopruniensis] Magyarország műemléki topográfiája [= Topographia monumentorum Hungariae], II/1 Bp. 1956², p. 42).

Bobuth — Hodierna villa Babót est, a Kapuvár inter meridiem et orientem sita, medio aevo locus telonii erat, quo frequentia commeatus loci demonstratur (Csánki III, p. 598). Hic duxit via frequentata ex Austria Strigonium per Sopronium et Arrabonam ferens (Glaser L., Dunántúl középkori úthálózata [= Contextus viarum regionis Transdanubianaem medio aevo], Száz. 63—64 [1929—1930] 146, 153).

Rabtha — V. sent. 277.

Raba — Hic fluvius maximus regionis in Stiria oritur, et ad Arrabonam in Danubium effunditur. Nomen eius tempore Romano Arrabo erat, ante occupationem autem patriae Hungarorum Germanice: Hraba, Hrapa,

Rafa, Rapa est nominatus. Nomen Hungaricum e Slavico est translatum (Melich pp. 379 sq.).

modo — Sic tantum in *S*, sed in omnibus ceteris codicibus vocabulum Annalium Altahensium scriptum est: “vado” (SRH I, 331). Regionem a Kapuvár ad septentrionem sitam palustrem fuisse etiam tabulae geographicae ineunte saeculo XIX pictae affirmant. Vadum, quo exercitus Teutonicus tandem transiit, a Kapuvár—Babót ad meridiem, sub silva locis magis prominentibus sita iacet (Pauler I, p. 87). Via, quae vadum transit, adhuc in terra comitatus Sopruniensis in viam principalem per Sopronium—Kapuvár—Arrabonam ducentem exit, ad quam igitur Henricus III. excubiis in Kapuvár evitatis utens circuita sine mora pervenit.

cum vellet ... transierunt — Annales Altahenses: “volens [Henricus] eum [Abam] insequi ultra Rabaniza fluvium, invenit iter stagnantibus aquis et machinis more illis solito interclusum. Ducatum autem praebentibus Ungris, quos secum habuit, tota nocte equitando sursum per ripam crepusculo facili vado transit” (Gombos I, p. 97).

Menfew — Hodierna villa Ménfő a civitate Iaurino ad meridiem sita est.

Iaurinum — Hodierna civitas Győr (Iaurinum) est (v. caput (55.), sent. 254).

magna multitudine armatorum — Annales Altahenses: “Innumerae acies armatorum” (Gombos I, p. 97).

Aba rex victoriam ... fugissent — Haec enuntiatio a versibus textus capitinis, quod totum Abae Samueli hostile est, abhorret, quia erga Abam moderata est, nam rex tantum proditione Abam vincere potuit (Kristó 1972, Ethn. 56). Iam J. Horváth (Megjegyzések Győry János könyvismertéssére [= Adnotationes ad recensionem János Győry], ItK 59 [1955] 354) constituit favorem in Teutonos et verecundiam in Abam ab eodem scriptorem oriri non potuisse. Vocabulum “ut dicitur” in historia Abae Samuelis sermonem popularem, qui in pluribus locis conspicitur, indicare potest.

Tradiderunt autem Theutonici — Scriptor Gestorum sine dubio fontem, 282 Annales Altahenses appellat, quem adhuc usque secutus est. Causa, qua nunc repente necesse putat dicere, quorum sententiam afferat, eo explicari potest, quod ipse praestare veritatem rei mirabilis noluit.

divinitus — Vocabulum non e textu Annalium Altahensium pendet, quod veterem chronographum Hungaricum cum animo scriptoris Annalium Altahensium Abae Samueli adversario plane consensisse indicat (Kristó 1972, Ethn. 54 sq.).

dominus apostolicus — Papa, Benedictus IX. (1032—1045, 1047—1048), qui puer papatum pecunia propinquorum, comitum Tusculanorum adeptus est, commodis regis, mox imperatoris Henrici III. libenter serviebat (Hauck III, pp. 559 sq.), itaque, quod in Annalibus Altahensibus affirmatur, Abam et Hungaros a papa excommunicatos esse credere possumus (Pauler I, p. 83).

Tradiderunt autem ... damnaverat feriendo — Annales Altahenses: “eo die, cum vellent configere ... tenuis nubecula, id est caeleste signum, adparuit, quos apostolicus, successor beati Petri, eo quod regem suum dehonestarant, iam pridem anathemizarat. Et ecce turbo vehemens ex parte nostratum ortus pulverem nimium adversariorum ingessit obtutibus” (Gombos I, pp. 97 sq.).

cesar divino ... victoriam — Adnotatio scriptoris Gestorum in textu Annalium Altahensium non invenitur, quod demonstrat auctorem Hungaricum eundem animum in Abam habuisse, quem scriptor Annalium Altahensium (Kristó 1972, Ethn. 54 sq.).

obtinuit victoriam — Vocabula similia in capitibus Gestorum 64, 93, 161, 181 (SRH I, 332, adnot. 2) inveniuntur.

Tisciam — Vocabulum Tiscia est nomen fluvii Hungarice Tisza nominati. Nomen, cuius formae veterimae sunt: Πάθισσος, Τίσσος, ὁ Τίγας, ἡ Τήσσα, veri similiter originis Scythicae est, unde in linguam Dacorum, qui lingua Thracica locuti sunt, mox pluribus translationibus in linguam Hungarorum acceptum est (Szádeczky-Kardoss S., A Tisza nevének története a honfoglalásig [= Historia nominis Tisciae usque ad occupationem patriae], AU Szeged., Sectio Ethn. et Ling., III—IV, Szeged 1959—1960, pp. 99 sq.).

Aba vero rex ... crudeliter iugulatur — De rebus comprehensionis et mortis Abae Aventinum sequens scripsit Pauler (I, p. 89).

283 *Post aliquot ... vulnerum resanata* — Expositio, quae Abae favet, e sermone populari, e canticis popularibus orta et etiam in memoria generis conservata esse potuit (Kristó 1972, Ethn. 56 sq. cum bibliographia). Secundum J. Horváth (op. cit. ItK 70 [1966] 21) haec adnotatio, ex qua vulnera eius resanata sunt, interpolatio saeculi XIII est.

proprio monasterio in Saar — Th. quam peritus huius loci fuerit, eo demonstratur, quod vocabulum loci, quod in cunctis variantibus Chronicis Budensis, item in V_1 , V_2 : Sarus, in V_3 : Scharos, in V_4 : Saro, in V_5 : Saarus scriptum est (SRH I, 332), in forma recta servavit. Locus Saar, hodie Abasár in comitatu Hevesiensi prope civitatem Gyöngyös est. Ecclesia ordinis Sancti Benedicti, quae hic erat, monasterium generis Abae fuit, cuius in iure patronatus ut permanerent, familiae diffusae generis posterius quoque studebant (Karácsonyi I, pp. 19, 39 sq.). Quod ecclesia propria erat, attributum “proprium” demonstrat. (Mályusz, Egyházi társadalom p. 24.)

Cesar autem ... dei glorificavit — Annales Altahenses: “caesar ... ante vitale sanctae crucis lignum procidit, idemque populus una cum principibus fecit, ipsi reddentes honorem et gloriam, qui illis dederat tantam victoriam” (Gombos I, p. 98).

Ex Theutonicis ... corruit multitudo — In loco enuntiationis Annalium Altahensium, secundum quam tantum perpauci Teutonorum ceciderunt (“mortuos suos, qui perpauci erant, quaesierunt”, Gombos I, p. 98),

scriptor Gestorum interitum multitudinis innumerabilium Teutonorum conscripsit (Domanovszky pp. 103 sq.).

Ferlorum Paiier — “Verlorene Bayer”, id est: ‘Bavari perempti’ (cf. Petz G., A magyar krónikák német szavainak hangtani és helyesírási sajátságairól [= De natura phonetica et orthographica vocabulorum Germanicorum in chronicis Hungaricis], in Gragger p. 13).

Vestnemulti — Sic tantum in *V₅* (SRH I, 333) invenitur. Vocabulum significat: ‘Teutoni perempti’. Quamquam vocabulum Hungaricum “német” (Teutonicus) hodie significationem communem habet, et significat eum, qui Teutonice loquitur, vocabulum autem “Bavarus” significat eum, qui in Bavaria habitat, vocabula Gestorum “Bayer” et “német” inter se haud contraria sunt. Saeculis XI—XII, ut videtur, ambo vocabula idem significant, sicut ex historia villae Németi (hodie Crainimát) prope civitatem Bistriciam (hodie Bistrița) in Transylvania sitae coniectari potest. Haec villa orta est in regione, quam — ante immigrationem Teutonorum — Hungari incoluerunt, atque ideo a vicinis Hungarice Németi est nominata, sicut villa parva Bissenorum, quae prope sita est, Besenyő. Postquam autem Saxones in hac regione conserderunt, atque habitus et quasi naturalis nota regionis commutabantur et plurimi incolarum iam Teutoni erant, ambae villae ab incolis circa habitantibus vocabulis locorum Germanicis nominatae sunt. Nomen villae Besenyő transmutatum est in Heidendorf, nomen villae Németi in Bayersdorf, quod incolas origine Teutonicos meridionales esse affirmat (Mályusz E., A magyarság a középkori Erdélyben [= Hungari in Transylvania medii aevi], op. cit. p. 22). Quod vocabulum loci cum syllaba paragogica -i vel sine hac memoratur (v. Melich J., Veznemut, MNy 28 [1932] 299), nihili est ad tempus descriptionis constituendum, sicut textus variantes Gestorum quoque in hac re differunt inter se: Simon de Kéza: Weznemut, R: Weznemeth, A: Vezthnempmuth; *V₁*: Westnemulti, *V₅*: Vestnemulti, S: Uezphenemulti, SRH I, 177, 333. Veri simile est famam origine haud popularem esse (cf. Marczali op. cit. in Szilágyi, II, p. 24), sed litterariam. Famam origine litterariam esse id affirmare videtur, quod in pugna ad Ménfő, in qua exercitus Abae stragem immensam accepit, solito pauciores Teutonorum ceciderunt, ut id in Annalibus Altahensisibus quoque affirmatur, et quoniam descriptio ex Annalibus sumpta a scriptore Gestorum tantum posterius mutata est, de interitu multitudinis ingentis Teutonorum sermo popularis ne formari quidem potuit. Sermone huius modi deficiente digressio a scriptore consulto facta esse videtur, ut effectus tristis stragis — etsi cum damno veritatis — minuatur, et facta velentur. Propositio eo quoque probatur, quod locus Németi nominatus prope locum pugnae non est notus, et eo quoque, quod vocabulum loci simili modo fictum compertum non habemus. Nam hoc vocabulum loci non e statu quadam conformatum est — quomodo pleraque loci —, sed e re gesta quadam, atque — quod maxime insolitum est — translatum in linguam Germanicam quoque legitur.

284 *Weyzenburg* — Proxima forma nominis in *V₄*: Weyzmburg est; in ceteris variantibus cunctis chronicorum discrepantiae inveniuntur (SRH I, 333). Weissenburg in hodierna variante lectione Germanica: Stuhlweissenburg est.

Albam ... sedes regni Hungarie — Quod civitas sedes erat, nomina et Latina et Hungarica eius attributo addito exprimunt. Alba Regalis et Alba Regia (hodie Székesfehérvár) idem significantia nomina sunt. Appositio “principalis sedes” demonstrat vocabulum loci simpliciter Albam fuisse, cum textus conscriptus est, similiter exeunte saeculo XI, cum in legenda maiore Sancti Stephani sic memoratur: “regalis sedis civitas, que dicitur Alba” (SRH II, 385).

regali corone ... regis Stephani — Secundum Paurer vocabulo “regii fascibus” in Annalibus Altahensibus usitato non corona Sancti Stephani designata est, et haec significatio solum in Gestis ei attributum est et quidem convenienter sententiae Hungarorum saeculi XIII. Coronam enim Sancti Stephani, explicat Paurer (I, p. 422), Henricus III., cum ea et thesauri Abae in manus suas devenerunt, una cum lancea regis Hungariae Romam papae misit. Contra haec J. Deér (A Magyar Tört. tud. Int. Évkönyve 1942, p. 13.) chronicis posterioribus, quae usque ad Gesta vetera saeculi XI redeunt, fidem tribuit, quod Petrus iterum (anno 1044) insignibus regii Sancti Stephani coronatus est.

in regali throno ... sedere fecit — Scriptor Gestorum sententiam, quae in regno Francorum orientalium a saeculo X valere coepit, indicat, ex qua concessio in solio novi regis momentum affirmans regni adepti est (Schramm, Herrschaftszeichen I, pp. 337 sq., 347). Ceterum etiam in Bohemia haec sententia valuit, quam nimis extollit F. Graus (Die Entstehung der mittelalterlichen Staaten in Mitteleuropa, Historica 10 [1965] 34). Bartoniek concessionem in solio neutiquam magni momenti esse putat.

Concessitque ... consuetudinibus iudicari — Vocabulum explicandum historici Germanici secunda parte saeculi XIX iterum ac saepius tractabant, atque rectissime, ordientes non a textu Gestorum mutato, sed ab eius fonte, a textu vero Annalium Altahensium, et a pronuntiatione, quae idem significat, Herimanni Augiensis (Hermann Contracti, obiit anno 1054), qui in his rebus versatus erat. Ut in Annalibus Altahensibus legitur, imperator “scita Teutonica” Hungaris concessit, secundum Herimannum: “Ungarios petentes lege Baioarica donavit” (Gombos II, p. 1144). Giesebricht (II, pp. 653, 686), et qui eum sequuntur, explicant imperatorem decretis Sancti Stephani uti vetuisse et leges Bavarorum ratas esse iubentem etiam Hungariam sub consortio iuris Teutonici posuisse; secundum K. Schüemann (Die Deutschen in Ungarn bis zum 12. Jahrhundert [Ungarische Bibliothek I/8.], Berlin und Leipzig 1923, p. 68) autem imperator “Landfrieden” Bavarorum in Hungariam protulit. Paurer (I, p. 421) sententiam a Steindorff recapitulatam (op. cit. II, pp. 653, 686) ideo haud probabilem esse putat, quia ius Bavanicum etiam in Hungaria adhibitum vix concessio

eiusmodi fuisse, quam etiam Hungari sibi petivissent, immo etiam "pristina lex Baioriorum iam tunc tota ad omnes nullo modo valuit; itaque ius vigens Bavanicum nobis existimandum sit, sed praecepta eius omnia ita, ut iis alii etiam sicut lege servanda obligarentur, eo tempore haud facile perspici potuit". Paurer igitur una cum Imre Hajnik arbitratur Hungaros in communitatem iuris Bavarorum ita ascitos esse, ut, qui in Bavaria commorati sunt, libere ibi migrari possent, tamquam si incolae eius loci essent, atque ideo, ut "lex eadem, quae tutela Bavarorum erat, ibi tutela Hungarorum quoque esset" (I, p. 88). Contra sententiam Paurer recte affirmat Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 28) dominos Hungaros, assectatores Petri, inter quos erant immigrantes, quorum plures Bavarri fuerunt, res familiares, vitam, dignitatem sibi praemunituros "legem Baiuvariorum" in Hungaria ratam voluisse, quoniam ea accuratius et possessionibus privatorum utilius iuris ordinem constituit, quam lex generalis et levis Sancti Stephani fecit. A criticis fontium Hungaricis decreta Sancti Stephani diligentius inspecta atque coniunctiones horum cum "lege Baiuvariorum" iam prius cognitae primis decenniis saeculi XX accurate disceptatae sunt (Závodszyk; F. Schiller, Das erste ungarische Gesetzbuch und das deutsche Recht, Festschrift Heinrich Brunner zum siebzigsten Geburtstag, Weimar 1910, pp. 397 sq.; Madzsar I., Szt. István törvényei és a Lex Baiuvariorum [= Decreta Sancti Stephani et Lex Baiuvariorum], Tört. Sz. 10 [1921] 53, 67; Idem, Szent István törvényei és az úgynevezett symmachusi hamisítványok [= Decreta Sancti Stephani et litterae, quae dicuntur falsae Symmachi], in Szent István Ekv II, p. 232). Hóman sententias recapitulavit eo modo, ut donatio iuris Bavarici a Henrico III. facta decreta Sancti Stephani ex fonte Bavarico lata re vera restituta esse significaret, tamen phraseologia vinculum feudale inter imperatorem et Petrum coniunctum exprimeret (M. tört. I, p. 256). Textus Gestorum cum ratione narrationis Annalium Altahensium hoc modo definita prorsus discrepat. Scriptor Hungaricus in loco vocabuli "Teutonica" vocabulum "Hungarica" scribens sententiam fontis sui mutavit. Quoniam hanc partem Gestorum — ut Horváth (p. 332) arbitratur — scriptor saeculi XII conscripsit, qui populo Teutonico amicus fuit, non autem auctor Gestorum veterum adnotavit, qui populo Teutonico inimicus fuit, assentendum est Paurer, qui ita scribit: "Scriptor chronicus Hungarici res non tam falso adnotat, sed magis ratiocinans depravat putans, si ius Bavanicum tantum super id petentes prolatum est, iis autem, qui id non petiverunt, vel forte contrarium petiverunt, concessit Hungarica scita servare et consuetudinibus iudicari" (I, p. 421). Secundum Erdélyi (Krónikák p. 159) scriptor Gestorum ex affectu erga nationem suam et superbia vocabulum "Hungarica" in loco vocabuli "Teutonica" scripsit.

Ratisponam — Ratisbona (Regensburg) civitas Bavarica est ad Danubium.

Interea Hungari ... Ratisponam rediit — Annales Altahenses: "Interea populus terrae nunc gregatim nunc singillatim venit et caesari victori se

dedidit, qui placido suscepit eos vultu, tradidit Petro regi suo. Inde simul pergunt, Vizenburg veniunt magno comitatu, regio excepti apparatu ibique caesar Petrum regiis fascibus vestivit et manu sua dicens in sede sua restituit et in templo deiparae virginis, ubi erat congregatio principum, et regis ad populum et populi ad regem facta est reconciliatio. Illis etiam potentibus concessit rex scita Teutonica et relinquens illis suorum praesidia, ipse domum rediit et Radasponam venit" (Gombos I, p. 98).

⟨65.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est insertis forsitan posterioribus additis.

285 *De reditu ... Polonia* — Pars prima indicis consertis indicibus Chronicus Picti et Chronicus Budensis formata est (S: "De adventu cesaris in Hungariam"; V: "De reversione imperatoris in Hungariam", SRHI, 334), secundam partem Th. conscripsit.

Sequenti vero anno — Scilicet anno 1045.

Paschali — Vocabulum "Paschali" a Th. insertum est. Quia fons, scriptor Gestorum dicere omisit, de quonam festo ageretur, ipse autem Th. textum relinquere mutillum nolens festum Paschae maxime idoneum esse putavit. Tamen haud in veritatem incurrit. Teste fonte Gestorum, id est Annalibus Altahensibus festum cum die Pentecostes (die 26 mensis Maiae anno 1045) identificari potest, atque in iisdem Annalibus res conscriptae sunt, quae ante adventum in Hungariam imperatoris et eo tempore, dum imperator hic commoratus est, acciderunt. Secundum narrationem scriptoris Annalium legati Petri prima hebdomade Quadragesimae (24 Febr.—2 Mart.) Henricum III. in civitate Frisinga (Freising) adierunt rogantes imperatorem, ut festum Pentecostes apud "filium" degeret. Henricus III. Petro petenti satisfecit, qui eum magna cum reverentia exceptit, et tunc, die Pentecostes post missam Albae Regiae spectaculum evenit, quod in Gestis in sequentibus memoratur (Pauler I, pp. 89 sq.).

cui Petrus ... lancea tradidit — Lancea deaurata sine dubio regnum significavit, deditio autem eius symbolice ostendit, quod Petrus etiam Hungariam ut feudum domino feudi tradidit. Quae post caerimoniam acta sint, in opere Herimanni Augiensis legi possunt: principes Hungarici Henrico III. et successoribus eius iure iurando fidem promiserunt, imperator autem regnum Petro reddidit, qui regnum, dum viveret, teneret ("quod tamen ab eo [Henrico] ipse [Petrus] dum viveret, possidendum recepit" Gombos II, p. 1144). Lancea eadem esse potuit atque ea, quam secundum Ademarum Cabannensem — fide quidem ambigue dignum — clave crucis Christi atque reliquiis lanceae Sancti Mauritii ornatam imperator Otho III. Sancto Stephano dedit ("dans ei licentiam ferre lanceam sacram ubique,

sicut ipsi imperatori mos est, et reliquias ex clavis Domini et lancea sancti Mauricii ei concessit in propria lancea” Gombos I, p. 16). Haec igitur lancea imitando sacram lanceam imperatorum Romanorum, symbolum belli contra paganos prospere gesti id munus habuit, ut signum victoriae Christianorum Hungaricorum fieret. Ut M. Uhlirz (Zu den heiligen Lanzen der karolingschen Teilreiche, MIÖG 68 [1960] 206) arbitratur, lancea in vexillum transformata est, in qua figurae Sancti Martini et Sancti Georgii effectae erant, ut in legenda maiore Sancti Stephani narratur, sub qua Sanctus Stephanus pugnans Cupan devicit (“eum [Stephanum] protegente gloriosissime crucis signaculo ... sub vexillo deo dilecti pontificis Martini sanctique martyris Georgii”, SRH II, 381). Uhlirz ex analogia Polonica res progressas esse putat: Otho III. anno 1000 Boleslao (Bolesław Chrobry) item exemplar lanceae Sancti Mauriti cum reliquiis paribus ac regi Hungarorum datis dedit. In Chronico autem Galli accurate memoratur lanceam pro hastili vexilli usitatam fuisse (“pro vexillo triumphali clavum ... de cruce Domini cum lancea sancti Mauricii dono dedit”). Contra opinionem ingeniosam Uhlirz adnotandum est vocabulum legendae Sancti Stephani “crucis signaculum” reliquias clavis haud significare potuisse, nam ex his crucem formare impossibile fuisset, scriptor autem Gestorum vix deauratam lanceam, sed eo magis vexillum memoraret. Cum vexillo in legenda Sancti Stephano memorato “insigne sancti regis Stephani vexillum” in capite (193.), sent. 689 commemoratum identificari potest. Deaurata quidem lancea ab Othoni data in pugna ad Ménfő (anno 1044) commissa in manus Henrici III. incidit, qui tunc eam Petro dare potuit, nunc tamen ab eo acceptam papae dono Romam misit, ubi — sine dubio propter reliquias lanceae ipsi inclusas — praecipuo honore est accepta; cf. Schramm, Herrschaftszeichen II, pp. 519 sq. Sententiam Uhlirz reprehendit Sz. Vajay (Géza nagyfejedelem és családja [= Magnus dux Geysa et familia sua], in Székesfehérvár I, p. 68, adnot. 21). De quaestione et de litteratura v. Kovács L., A budapesti lándzsa. A magyar királylándzsa történetének vázlata (= Lancea Budapestinensis. Summarium historiae lanceae regum Hungaricorum), Folia Archaeologica 21 (1970) 127 sq.

Sequenti vero ... honorificatus a rege — Annales Altahenses: “regis sui Petri Ungarici nuncii devenerunt, qui ipsum, ut proximo pentecoste ad filium suum venire et idem festum cum eo dignaretur facere, petierunt ... Veniens autem Ungariam, regio more susceptus decenter est et honorifice retentus. In ipsa sancta solemnitate Petrus rex regnum Ungariae cum lancea deaurata tradidit caesari domino suo coram omni populo suo et nostro. Post peractum vero regio luxu convivium obtulit illi etiam auri pondus maximum” (Gombos I, p. 99).

ad propria redit cum gloria — Henricus III. tantum breve tempus apud Petrum commoratus est; post paucos dies iam iterum in Teutonia erat (Pauler I, p. 90).

Endre — E nomine “Andreas” linguae Latinae ecclesiasticae per variatio-

nes Endreas > Endrés > Endrei forma nominis “Endre” facta est (Etym. Szótár I, coll. 1559 sq.).

Interea Endre ... fugerant Bohemiam — Tres duces, cum pater Vazul oculis privaretur (caput (60.), sent. 266), in Bohemiam fugientes ibi, ut Pauler (I, pp. 82 sq.) arbitratur, usque ad annum 1043 commorati sunt. Unus eorum anno 1042, cum Henricus III. Petrum in regnum restituere conaretur, se comitem duci Bohemiae Bretislao (Břetislav) in bello contra Abam ducto adiunxit. Idem Bretislao suadente a Henrico III, regionem septemtrionalem-occidentalem occupatam usque ad Hronum porrectam gubernandam accepit, tamen postquam imperator abscessit, iam refugere coactus est, cum Aba in eum exercitum duceret. Dux ipse in fontibus non est nominatus. Pauler eam conjecturam fecit, ex qua Andreas, qui ducum natu maximus erat, esse potuit, qui fortunam temptavit (litteraturam quaestionis v. Kristó, Hercegség p. 55, adnot. 73). Tempus, quo tres duces in Bohemia commorati sunt, J. Dowiat (Bela I węgierski w Polsce [1031/32—1048] [= Rex Hungariae Bela I. in Polonia annis 1031/32—1048], Przegląd Historyczny [= Acta Historica] 56 [1965] 4 sq., 23) multo brevius fuisse interpretatur. Secundum eum duces iam circa annum 1032 in Polonia fuerunt. Dowiat argumentationem Pauler praetermittit. Litteratura reliqua quaestionis: W. Dziewulski, W sprawie pobytu Beli I węgierskiego w Polsce. Uwagi krytyczne (= De quaestione commorationis regis Hungariae, Belae I. in Polonia. Adnotationes criticae), ibidem 57 (1966) 270 sq.; J. Dowiat, W sprawie “Uwag krytycznych” Włodzisława Dziewulskiego (= De quaestione “Adnotationum criticarum” Ladislai Dziewulski), ibidem 447 sq. Secundum S. Domanowszky (A trónöröklés kérdéséhez az Árpádok korában [= Ad quaestionem successionis regni aetate Arpadiana], BSz 156 [1913] 387) descriptio fugae ducum e chronicō aetatis Stephani V. sumpta est, quod magistro Acus tribuitur.

propter paupertatis inopiam — Bohemiam anno 1043 fames afflixit, quae, ut Cosmas existimat, tertiam partem incolarum absumpsit (Pauler I, pp. 86, 419; Curschmann pp. 116 sq.).

Misca duce Polonie — Mieszko II., filius Boleslai, regis primi Poloniae annis 1025—1034 regnavit. Secundum Pauler scriptor Gestorum ducem Poloniae falso Mieszko nominat, quia tantum aetate huius filii, Casimiri (1034—1058) Bela in Polonię advenit (I, p. 90). Coniectura Dowiat (I. cit.), ex qua Bela idem esse potuit ac Boleslaus in fontibus Polonicis memoratus, apta esset dubitationem Pauler tollere (I, p. 419), secundum quem argumenta historica superesse deberent, si Bela longius tempus in Polonia commoratus esset. Ex coniectura Dowiat permagnae partes Belae in historia Poloniae eiusdem temporis attribui possunt.

286 *duces eorum* — Domini Pomeraniae, ut conici potest, e stirpe quadam dynastiae Piast orti sunt et tunc imprimis de Dytryk, de fratre patruei Mieszko II. agi potest (I. Dlugossius, Roczniki czyli kroniki sławnego królestwa Polskiego ... [= Annales seu cronicae incliti regni Poloniae],

Warszawa 1962 [I] p. 383). Genealogiam dynastiae Poloniae Piast v. Historia Polski, I, Do roku 1764. Część III. Pod. red. Henryka Łowmiańskiego (= Historia Poloniae, I, usque ad annum 1764. Pars III. Redactore Henrico Łowmianski), Warszawa 1958.

dux et filii eius — Tantum unus filius Mieszko II. notus est.

Cunque armati ... contradictione persolverunt — Argumenta vel commemorationes chronicographorum de bello inter Mieszko II. et Pomeranos gesto haud notae sunt. At Casimirus circa annum 1044 cum Pomeranis bellavit, anno autem 1046 iis iam reconciliatus est, atque ita res, quae in Gestis descriptae sunt, ad tempus huius actae credi possunt. Persona Belae tantum in illis fontibus Polonicis memoratur, quibus res e Gestis Hungaricis comperta erat (Paurer I, p. 419, pugnas Casimiri cum Pomeranis commissas per tangentem memorat M. Wehrmann, Geschichte von Pommern [Allgemeine Staatengeschichte, III. Abt., V. Werk], Gotha 1904, I, p. 54).

ei tradidit ... in uxorem — Bela vere filiam Mieszko II. — sororem Casimiri — uxorem duxit (Wertner p. 141), secundum Dowiat (op. cit. 12) nomine Adelheidam.

hereditare — Vocabulum Gestis deest, at a Th. insertum est, ut textus magis intellegi posset.

Interea Endre ... non omisit — Descriptio Gestorum — ad annum 1032 transposita — in opere Dlugossii (Długosz) (I, pp. 238 sq.), mox inde contracta in opere Mathiae Miechovii, viventis ineunte saeculo XVI transcripta est (Gombos II, p. 1593). Iam saepius in controversiam est vocatum, an commoratio in Polonia filiorum Vazul in Gestis descripta historiae fide comprobata esset. Certamen singulare ita, ut descriptum est, consertumne esset, iam Dlugossius dubitavit. Ideo, quamquam prius alias locos fontis sui longius tractans conscripsit, tamquam iudicium censuramque faciens hic dixit: "Aliis placet Belam Hungariae ducem cum tyranno Pomeraniae congressum, singulari illum certamine viciisse, et ob id in generum regis adscitum esse" (I, p. 239). Hodierni Polonici scriptores rerum quoque sententiam illam recusant, quod concludi potest ex annotationibus citati operis Dlugossii in linguam Polonicam translati (pp. 382 sq.) atque ex eo, quod J. Dowiat rem totam praetermittit. Hungarici rerum scriptores, quod ad certamen attinet, non consentiunt. Secundum Marczali (op. cit. in Szilágyi, II, pp. 42, 51 sq.) certamen singulare Belae cum duce Pomerano consertum ut res historiae fide comprobata accipi non potest, sed quamquam narratio multa elementa fabulosa continet, tamen non debemus dicere narrationi nihil veri subesse. Csóka (p. 395) certamen Belae et ducis Pomerani rem historiae fide comprobata esse non negavit, tamen descriptioni illustrandae in opere Wiponis "Gesta Chuonradi" exemplum litterarum quaesivit. Item ambigitur, qua aetate descriptio casus Pomeranici orta sit. Ipsum certamen singulare, ut mentio vocabulorum "lancea", "dextrarius" demonstrat, militare erat, et sic magis congruit aetati scriptoris, quam medio saeculo XI. At forma narrationis ad tempus certaminis magis apta

est, scilicet scriptor Hungaricus rixam propter tributum pendendum ortam esse et dominum Polonorum tributum Belae concessisse narrat. Descriptio nem certaminis J. Horváth (Bóka L., I. Oszt. Közl. 8 [1956] 316 sq.) e Gestis veteribus aetatis Andreeae I., Csóka (pp. 395, 549) tempore Ladislai I., T. Klaniczay (Bóka L., I. Oszt. Közl. 8 [1956] 309) a scriptore aetatis Colomani, Sebestyén (Mondái I, p. 217) tempore Belae II., S. Domanovszky (l. cit. 387) e chronicō aetate Stephani V. ortam esse arbitrantur. Gerics (pp. 81 sq.) quoque ex certis causis suspicatur certamen Belae cum duce Pomerano interpolationem esse.

⟨66.⟩

Caput ab auctore Gestorum veterum conscriptum est interpolationibus saeculorum XII—XIII additis.

288 *De Bela ... apostataverunt* — Prima quinque vocabula indicis eadem sunt atque index Chronicī Picti (“De Bela duce Benyn dicto”, SRH I, 335), reliqua pars a Th. conscripta est.

Bela duce Benyn dicto — Alterum nomen ducis Belae, dictum Benyn praeter Gesta etiam in diplomate palatini Dionysii anno 1228 scripto memoratur (“Beatissimi Stephani et Bela Belyn condam regum illustrium regni Hungarie”, Wenzel VI, p. 457). Secundum interpretationem Pauler (I, p. 430), quia in Chronicō Alberici cognomen Belae iterum ac saepius in forma “Pugil” legitur (“regnavit Bela Pugil, post Belam pugilem, Bela pugilis filius”, Gombos I, p. 27), conici potest nomen “Benin” ac vocabulum Latinum “Pugil” idem significare et, quoniam nomen e Slavico vocabulo “ben = occisor” syllaba paragogica -inъ fictum est (Etym. Szótár I, col. 359), tale nomen proprium esse, quod Bela propter virtutem accipere potuit. Dowiat (op. cit. Przegląd Historyczny 56 [1965] 7, 23), qui Belam plus quam quindecim annos in Polonia commoratum esse putat, hoc nomen cum nomine “Benignus” identificat, quod nomen erat patroni civitatis Dijon (Wetzer—Welte tom. II, pp. 378 sq.) et per Benedictinos, qui ibi vitam agebant, duci Hungarico notum factum esse credit, nomen igitur monumentum coniunctionis cultus cum Francogallis esse arbitratur. Secundum J. Horváth (Székesfehérvár korai történetének néhány kérdése az írásos források alapján [= Quaestiones quaedam veteris historiae Albae Regiae ex fontibus litterarum], in Székesfehérvár I, p. 102) “nomen Benyn vix aliud esse potest, quam forma vocabuli Slavici “bjelo-belo” ’albus’, quae iterum conformata et in sermone Hungarorum deformata est”. Hanc interpretationem in diplomate palatini Dionysii superius citato forma nominis “Belyn” affirmat. Quia item possibile videtur Andream in aula principis Kioviae nomen Christianum accepisse (v. caput ⟨60.⟩, sent. 265), fratrem autem tertium, Levente paganum mansisse scriptor Gestorum (v.

caput (69.), sent. 304) adnotat, Sanctus Stephanus patrem eorum, Vazul verum Christianum factum esse non sine causa dubitare potuit (cf. caput (66.)).

Geysa — De origine nominis v. caput (32.), sent. 213; de rege Geysa I. capita (80—82.).

avi sui — Vocabulum recte “patris sui” esset, ut in capite 69 Gestorum (Th. (60.), sent. 266) quoque legi potest. Vocabulum igitur “avus” simplex lapsus in scribendo esse potest. Tamen possibile videtur scriptori haud ignotum fuisse, quod filius Ladislai Calvi Bonuzlo vel Damazlaus est nominatus (Hóman p. 89), itaque tres duces, cum eos non a Vazul, sed a Ladislao Calvo ortos esse scripsit, nepotes huius secundum coniunctionem genealogicam fecit.

Bela ... Ladislaus ... Leuente — Interpretationem nominum Belae, Ladislai et Levente v. in capite (60.), sent. 266.

regem Lodomerie — Civitas Vladimir in Volhinia Vladimiro Magno Kioviensi regnante (980—1015) orta est et sicut aliae civitates, quibus procuratores aut filii vel cognati principis praeerant, sedes totius cuiusdam regionis regni facta est. Ut in ceteris civitatibus procuratores se principes nominabant et una cum armata comitiva sua civitatem regebant, hoc idem in civitate Vladimir quoque factum est, item ea res quoque iterata est, ex qua nomen civitatis simul nomen regionis regni factum est (Kliutschewskij I, pp. 149 sq., 160, 133; История СССР. Первая серия, I, p. 606). Nomen civitatis Vladimir in sermone Latino in Hungaria usitato formam “Lodomeria” accepit, tamen veri simile videtur hoc nomen Latinum per formam Hungaricam “Lodomér” fictum esse. Vocabulum “rex Lodomeriae” medio saeculo XI dici non potuit, tamen conici potest in textu primo Gestorum vocabulum “dux Lodomeriae” legi potuisse, quod titulo regio Andreae II. ductus interpolator quidam saeculo XIII mutavit. Hoc eo demonstratur, quod apud Simonem de Kéza apto loco vocabulum “duce Lodomeriae” legitur (SRH I, 177. V. L. Juhász, op. cit. Filológiai Közlöny 12 [1966] p. 34). Nam Andreas II. haud contentus titulis fratris natu maioris, Emerici, ad titulos “rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae” anno 1206 etiam titulos “rex Galliciae et Lodomeriae” assumpsit (Fejérpataky, II. István, p. 40; Szentpétery p. 101).

Cumanos — In fontibus Byzantinis nomine “Κόμανοι, Κούμανοι”, in Gestis autem nomine “Cumani” nominati (v. cap. (49.)) “Polovcy” memorantur (Polovec significat: ‘albus’), qui ab oriente in ordine temporis post Bissenos et Uzos — in annalibus Russicis Torcos nominatos — se cum principatibus Russicis consuetudine coniunixerunt. Agmina prima Cumano-rum anno 1055 ad fines principatum advenerunt, ipsi anno 1061 primam pugnam commiserunt, anno autem 1068 tribus principibus Russicis devictis victoriam cruentam reportaverunt (Kossányi op. cit. Száz. 57—58 [1923—1924] 526; Kliutschewskij I, pp. 289 sq.; История СССР. Первая серия, I, pp. 539 sq.; SRH I, 42, adnot. 3). Anni notati haud dubium relinquunt

Andream et Levente circa annum 1040 a civitate Vladimir porro ad orientem proficiscentes aulam principis Kioviae, Jaroslai (1019–1054) petentes ad Cumanos pervenire non potuisse. Tantum exeunte saeculo XI planities Russiae Meridiana, Moldaviae et Valachiae in potestatem Cumnorum redactae sunt (Kossányi l. cit. p. 527) et inde iam cogitari potuit principes petentes a civitate Vladimir Kioviam — iter flectentes — terram Cumanorum attigisse. Praeterea conici possit Comanos intellegendos esse Uzos vel Torcos, qui a populo Polovcy nominato, id est a Comanis pulsi medio saeculo XI iam ad fluvium Danastrem (Dnester) pervenerunt. Hanc sententiam praedicare audeamus, quamvis Uzi in Gestis ut “Cuni” nominati sint (v. caput (76.), sent. 335). Nam sic intellegi possit, ut scriptor Gestorum in parte operis sui, ubi de duce Bela agitur, nomine Hungarico “kun”, cui formae “Cumanus” et “Cunus” pariter congruunt, populum Uzorum spectans in forma “Cumanus” usus sit. Quod si tamen ita sit, quoniam vocabulum “Cuni” in diplomatis postremum anno 1201 memoratum est, Anonymus autem tantum nomine “Cumani” est usus (Gerics p. 26), sumere debeamus nomen “Cumani” post brevem usum medio saeculo XI per unum saeculum non usitatum esse, mox iterum ex obscuritate emersisse. Quoniam res, quae in capite continentur, in aliis locis quoque historiae accommodari non possunt, rectius videtur usum hoc loco nominis “Cumani” sive interpolationem saeculo XIII factam putare (sic Domanovszky op. cit. Száz. 67 [1933] 183; Györffy op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] 173; cf. Gerics p. 29), sive partem totam post saeculum XI scriptam esse existimare (sic Domanovszky pp. 129 sq., qui tempus Stephani V. censet).

Rusciam — Regionem, quam domus principalis Kioviae in potestate habuit; etiam Anonymus, qui exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII vixit, Rusciam nominat (SRH I, 42), tamen et scriptor Gestorum et Anonymus nominatione “Rutenia” quoque utuntur. Quod scriptor Gestorum Lodomeriam et Rusciam hic distinguit, tamen in sequentibus capitibus tunc quoque Rusciam, non autem Lodomeriam dicit, cum re vera gesta in Vladimir tractantur, Gerics (p. 28) argumento eius facti esse putat, quod caput “tempore non posteriore, quam iam exeunte saeculo XI conscriptum esse debuit”. Quamquam argumentatio Gerics valde placita videtur, nam afferre potest, quod Simon de Kéza Lodomeriam inesse in Ruscia arbitratur, conjecturam eius haud probandam habemus. Ut nobis videtur, res quidem ex adverso constat. Re vera, ut bene cognitum est, Ruscia non e singulis particularibus principatibus composita conformabatur, sed nominatio Ruscia saeculis XI—XII quoque usitata erat, membra familiae principalis saepe inter se dominationem dividendo alternis vicibus singulorum particularium principatum adepta sunt et principatus possessiones stirpium singularum familiae principalis tantum tempore procedente facti sunt. Itaque ea narratio temporibus veteribus magis congruere videtur, in qua Ruscia una memoratur, Lodomeria autem magis exeunte saeculo XII, non

autem saeculo XI sui iuris erat (История СССР. Первая серия I, pp. 573 sq., 605 sq.; II, Москва 1966, pp. 17 sq.; Bartha A., Az etnikai-állami egység gondolata a "Poveszty vremennih let"-ben [= Ratio unitatis ethnico-publicae in "Povesty vremennih let"], TSz 13 [1970] pp. 1 sq. = The idea of ethnic-state unity in the Povest vremennych let, Studia Slavica Acad. Scient. Hung. 14 [1968] 44 sq.), sicut etiam Anonymus de rebus aetatis suae cogitans mentionem Susdaliae, Kioviae, Galiciae fecit, interdum Susdaliam cum ipsa Ruscia identificavit ("Ruscia, que vocatur Susudal"), item duces Galiciae et Lodomeriae memoravit. Quantumvis igitur dubium non est, quin pars Gestorum, de qua nunc actum est, vetustior, quam opus Simonis de Kéza sit, quoniam haec relatio tunc quoque manet, si textus tractatus non exeunte saeculo XI ortus esse putatur, secundum nostram opinionem caput, in quo multa temporis isti repugnantia adnotata sunt, probabiliter a magistro Acus conscriptum est (Mályusz 1971, pp. 106 sq.).

magnates Hungarie — Saeculo XII in diplomatis Hungaricis praeter vocabula "principes, primates, optimates, maiores, proceres" etiam vocabulum "magnates" ad signandos honores nobilissimorum usitatum est, tamen per tempus brevissimum, quo Stephanus III. (1162–1172) regnavit. Quia simul vocabula "optimates, maiores, proceres" — ultimum vocabulum ad tempus quoddam brevius — in cancellaria regia apparere desinunt, vocabulum "magnates" tamquam ea compensaturum in usum venit (Szilágyi op. cit. Száz. 71 [1937] 14 sq., 17). Szilágyi de Anonymo cogitans neglexit usum vocabuli "magnates". Id enim non solum uno spatio decem annorum saeculi XII usitatum est, sed saepius saeculo XIII et posterius quoque reperitur (Marczali, Enchiridion pp. 147, 159, 942). Hoc vocabulum ita vim aetatis determinandae non habet (cf. Erdélyi, Krónikáink p. 162, qui descriptionem vocabuli e saeculo XIV ortam esse putat).

genere sancti Stephani regis — Vocabulum, inferius quoque: "generi s. Stephani regis", proprium magis exeuntis, quam ineuntis saeculi XII est et scriptor vocabulo "genus" commodis familiae regnantis serviens latoe vocis notione utitur (Kristó op. cit. in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 65). J. Gerics (op. cit. TSz 9 [1966] 4) contra hoc narrationem a Gestis saeculi XI sumptam et — attributo regis Stephani "sanctus" praetermissio — interpolatam dici non posse videt. Secundum eum hanc partem chronicorum prius ortam esse id quoque affirmit, quod ea in legendam maiorem Sancti Gerardi translata est. Id est secundum hanc sententiam haec pars chronicorum "genus Sancti regis Stephani" in Gestis et in legenda Sancti Gerardi posteriore tempore, quam primo dimidio saeculi XII apparere non potuit (v. etiam Györffy op. cit. TSz 9 [1966] 28). Sententia, secundum quam prognati conditoris regni coronam, id est potestatem regiam legitime possiderent, eadem erat, ex qua soli prognati Vladimiri Magni in Russia summum imperium super principatus particulares tenebant (Kliutschewskij I, p. 175), at dum hic de vera progenie agebatur, in Hungaria vicem eius notio consanguinitatis implevit.

Bua et Buhna — E coniectura J. Karácsonyi duo nomina Bolya et Bonyha pronuntiantur (Bua és Buhna [= Bua et Buhna], Száz. 35 [1901] 769 sq.). Karácsonyi adhuc dubitavit, num Bolya et Bonyha iidem esse potuissent ac filii Gyulae et secundum K. Tagányi quoque (Bua és Bucna [= Bua et Bucna], in Szily Emlékkönyv [= Liber memorialis de Szily], Bp. 1918, p. 83) “aetas, indoles, nomina, lectio nominum Buae et Buhnae e historia vera saeculorum X et XI magis in sermonibus et fabulis generum et singularum regionum merguntur.” Sed Bua et Bucna in historiographia recentiore Hungarica filii Gyulae fuisse creduntur (Jakubovich op. cit. MNy 23 [1927] 228 sq.; Váczy op. cit. in Szentpétery Ekv p. 482; Györffy op. cit. AÉ 97 [1970] 225. V. etiam Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 57 sq.).

290 *Buda* — Nomen Budae et partes, quas agit, identificari possunt cum nomine Budae, qui Vazul caecum reddendum excogitavit. Haud veri simile videtur ambos fallaciarum artifices eadem nomina habuisse. Fieri potest, ut scriptor capit is sive oblitus sit se iam prius Budam trucidatum adnotavisse, sive figuram et nomen consuasoris maligni ad exemplum illius finixerit. (Ut videtur, etiam Paurer hanc sententiam habuit, atque ideo nomen Budae hic silentio praeteriit.)

Deuecher — In *b* et *a* nomen in forma “Denecher” simpliciter falso scriptum est prae forma nominis “Deuecher”, quod nomen paene in cunctis variantibus Gestorum legitur. Ut nomen personae in diplomatibus saeculi XIII iterum ac saepius invenitur (Kovács, Index p. 195).

regnum regio ... regnum reducere — Scriptor commodis familiae regnantis serviens affirmit ipsam familiam unicam esse, quae iure regno succedit. Vocabulum et ipsa sententia quoque, quae excellentiam — id est potentiam singularem ad regnandum — hereditariam affirmit (Deér, Heidnisches p. 70), invenitur in parte Annalium Altahensium informatione uxoris Andreae I. nitenti: “Andream, emulum eius [Petri], utputa ex eodem ortum semine” (Gombos I, p. 99).

291 *nobiles Hungarie* — E re descripta quoque intellegi potest “nobiles” in Chanadino congregatos primores fuisse. Secundum Gerics (op. cit. TSz 9 [1966] 20) hic “nobiles” iidem sunt ac “magnates”.

in Chanad — Secundum opinionem divulgatam caput coniurationis in regem Petrum factae episcopus Gerardus fuit, quoniam coniuratores in castro Chanadino congregati sunt (Horváth p. 311). Hanc opinionem refellere conatur Kristó 1965, pp. 34 sq.

consilioque ... nuncios — Scriptor totam Hungariam vocabulo sive nomini “consilium”, sive nomini “nuncius” adjuncto cum primoribus identificare videtur.

292 *Novum Castrum ... construxerat* — Novum Castrum de Aba nominatum (hodie Abaújvár) in comitatu eiusdem nominis, in valle fluvii Hernad ~ Hornad (Hungarice Hernád) iuxta viam principalem commeatus ad meridiem a civitate Cassovia situm est. Nomen in comparatione cum Castro Vetere (Óvár) prope sito accepit (Györffy, Tört. földr. I, pp. 42, 58 sq.).

Locus, sicut comitatus quoque, memoriam generis Abae servat, quod hic latifundia possidebat, atque tantum scriptor Gestorum e vocabulo loci conscripsit regem Abam hoc loco conditorem castri fuisse.

confluxerunt — Sic tantum in *V₅* legitur; in ceteris variantibus forma “confluxit” (SRH I, 337) invenitur.

Permiseruntque ... suorum — Ps. 80, 13: dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

inter Hungaros — Th. constanter textum Chronicus Picti reddit, atque ita 293 proprium sententiae scriptoris huius chronicus est, ut vocabulo “Hungaros” vocabulum Chronicus Budensis “renatos” permutans Hungaros in baptizante renatos dicere nimium putaverit.

Uatha — Vocabulum Turcicae originis est et significat: vel ‘submergor, demergor’ — inde habet significaciones: ‘palus, lутum’ (MNY 27 [1931] 215) — vel ‘camelus a partu recens, camelus iuvenis primi anni’ (Németh Gy., A nagyszentmiklósi kincs feliratai [= Inscriptiones thesaurorum in oppido Nagyszentmiklós — hodie Sînnicolau Mare — inventorum], MNY 28 [1932] 68). Medio aevo ut nomen et vocabulum loci saepe usitatum est (Kovács, Index p. 719; Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 76 sq.).

de castro Belus — In *V₁*: Selus, in *V₅*: solus, in ceteris variantibus omnibus, sicut apud Th. quoque: Belus (SRH I, 338) legitur. Castrum et comitatus hoc nomine dictus non est notus, itaque opinio Karácsonyi (I, pp. 382 sq.) probabilis videtur, ex qua nomen pro forma Bekus (hodie Békés) falso scriptum est. Argumenta a Karácsonyi prolata ad opinionem affirmandam apta videntur. E capite 113 Gestorum (Th. <79.>, sent. 356), ex quo Vata una cum episcopo Varadiensi legatus ducis Geysae apud regem Salomonem fuit, iure coniectari potest eum in regione Transtibiscina habitavisse, hic autem praeter Bekes aliud castrum, quod nomen simile nomini Belus habuit, non erat, atque nomen Vata in genere Cholt (Csolt), quod genus possessor in comitatu Bekes fuit, constanter invenitur, quasi genus nomen proavi sui, qui de rege Petro expellendo optime meritus est, hoc modo conservare voluerit (Karácsonyi J., Békés vármegye története [= Historia comitatus Bekes], Gyula 1896 I, pp. 177 sq. Cf. Paurer I, pp. 422 sq.; Györffy, Tört. földr., I, p. 494).

radens caput ... ritu paganorum — Hunc capillorum habitum, qui etiam apud Cumanos saeculo XIII usitatus fuit, de Tartaris scribens memorat Plano Carpini (Boncz Ö., A kun és magyar viselet az utolsó Árpádok és az Anjouk alatt [= Habitus Cumanorum et Hungarorum ultimo tempore stirpis Arpadianae et tempore Andegavensium], AÉ, N. S. 7 [1887] 199 sq.).

Janus — Hoc nomen est una forma nominis “Iohannes” in lingua Latina ecclesiastica (Melich J., Latin jövevényszavaink végzódésének alakulás-módjáról [= Quo modo suffixa verborum mutuatorum Latinorum in lingua Hungarica mutata sint?], MNY 36 [1940] 149).

magos ... apud dominos — Phitonissae eodem nomine nominatae, quo scriptor Gestorum est usus, in diplomatis iudicialibus saeculi XV quoque

memorantur, facta autem, quae eis crimini data sunt, item, sicut a scriptore Gestorum, incantationes dicuntur. Haec diplomata conscriptiones sunt, in quibus enumeratur, nobiles comitatuum singulorum quas personas nocentes dixerint et absentes condemnaverint, simul etiam delicta nominant, quae nocentibus crimini data sunt. Iudicium generatim capitis condemnavit nocentes. Inter damnatas anno 1409 in comitatu Castri Ferrei (Hungarice Vas) inveniuntur tres feminæ, quae denominatione “fytonissa et incantator vagabunda” vel “fytonissa et incantatrix” sunt nominatae (Zs.O. II/2, num. 6672, anno 1408 in comitatu Zaladiensi duae feminæ ut “vagabundae fythonysae inthoxicatrices hominum” condemnantur, Zala II, p. 338). In monumentis saeculi XV viri artis magicae accusati non inveniuntur. In Gestis, ut Diószegi (p. 277) concludit, magi dicti saman et magae dictae feminæ saman primæ religionis Hungarorum memorantur, qui in lingua Hungarica “táltos” et “táltosnő” nominantur, quorum officium erat cum locis infernis et daemonibus coniunctionem facere et futura aperire. (Quod vocabulum “táltos” saeculo XV in linguam Latinam vocabulo “magus” translatum est, ex interpretatione Szamota—Zolnai falso intellecta ortum est.) Contra sententiam Kristó (1965, pp. 51 sq.), Mályusz (II. Oszt. Közl. 21 [1972] 161 sq.) conjecturam ioculatorum productorum factam ex hac enuntiatione nimiam esse admonet. Vocabula “magus, phitonissa, haruspex” item significations ‘veneficarius, pharmacopola, fatidicus’ habent, significatio vocabuli “incantatio” non ‘cantus’, sed ‘magica fascinatio’ vel ‘cantio’ est.

a Christianissimo rege Bela — Attributum, quod reges Francogalliae ab anno 1469 pro singulari honore habebant, rex Andreas I. in diplomate anno 1055 sibi dedit, rex Ladislaus in diplomate ducis Davidi circa annum 1090 dato “christianissimus” est nominatus (Pannonh. X, pp. 487, 496; Marczali, Enchiridion p. 82), item in introductione decreti (I) anno 1092 editi (Závodszky p. 157), Sanctus Stephanus autem in legenda maiore “princeps christianissimus” appellatus est (SRH II, 383), atque ita vocabulum in textu Gestorum recte scriptum est. Papae reges Hungariae posterius quoque hoc attributo ornabant, sicut papa Urbanus V. anno 1364 regem Ludovicum I. (Theiner II, p. 59).

in antiquis libris de gestis Hungarorum — Ut iam Ferenc Toldy agnovit (Nemzeti történelünk kezdetei [= Primordia historiae nationis Hungariæ], Száz. 2 [1868] 387), omnes, qui tractabant, quo modo Gesta orta essent, prope consentientes praedicabant designationem Gesta vetera attingere et affirmare id, quod tale opus re vera fuit. Quod autem ad id pertinet, in hoc opere ad quem annum res tractatae sint, sententiae valde discrepant (litteraturam perspicue tractat Geric pp. 30 sq.).

Dathan et Abiron — Secundum IV. Mos. 16, 1 sq. Dathan et Abiram aequales Korah contra Moysen exsurgentis sunt, quos Deus propter seditionem morte affligit.

cuius filius nomine ... Christi averterunt — Disputatur, quo tempore pars

orta sit, in qua Ianus tractatur, item in hac ipsa parte locus, in quo de Rasdi agitur. Secundum D. Pais (Árpád- és Anjou-kori mulattatóink [= Ioculatores Hungarici aetate stirpis Arpadianae et aetate Andegavensium], Kodály Emlékkönyv [= Liber memorialis de Kodály], Bp. 1953, p. 98) pars superius nominata temporibus paulo post aetatem Gerardi orta est. Gerics (p. 82) partim excerptum narrationis anni 1061 Gestorum veterum et partim interpolationem insertam operi continuatoris esse putat. Secundum Horváth (pp. 176 sq., 314), quia pars non est syllabis extremis consonans, itaque a ceteris partibus capitinis differt (similiter I. Boronkai, ItK 67 [1963] 108), ergo omni modo posterius chronicō inserta est. Etiam secundum Dománovszky haec pars posterius orta, Gestis tempore Stephani V. inserta est.

universos Theutonicos ... sparsi fuerant — Imperator Henricus III., ut in 294 Annalibus Altahensibus adnotatum est (Gombos I, p. 98), postquam Petrus se vasallum potestati imperatoris subiecit, vim et arma in Hungaria reliquit. Coniectura e verbis Gestorum facta haec vis et arma non solum ex comitiva propiore regis composita sunt, sed membra huius, scilicet multi Teutonorum a Henrico in Hungaria relictorum passim per regnum totum se dissipabant et muneribus primis fungebantur. Quoniam conformatio comitatus saeculo XI ex ratione regionali etiam res pecuniarum et administrationis publicae egit, id est potestatem regionalem comites habebant, possessores munerum in Gestis memorati comites credi possunt.

decimator — Decretum Sancti Stephani (II. 18, Závodszky p. 156) vindicias ecclesiae Christianae — ex III. Mos. 27, 30, 32 — probans, secundum quas omnes partem decimam fructuum tradere ecclesiae debent, fidelibus decimam partem solvendam praedixit. Magistratus, qui quotannis villas adibant et decimam indicebant atque exercebant, nimirum invisi fuerunt, praesertim quia decretum citatum eos, qui decimam solvere negabant, dura severitate Draconis id est parte novies decima fructuum adimenda multavit.

abolenda sit — Textus verus in A et S servatus est: “sit”. Vocabulum Th. “sic” tantum in V₃ et V₄ legi potest (SRH I, 338).

collecta — Vocabulum “collecta” in diplomate Hungarico primum anno 1198 legitur (Theiner I, p. 68), iterum ac saepius autem ab anno 1217 inveniri potest (Fejér III/1, p. 209). Idem significat ac vocabulum “exactio”, et sicut posterius vocabulum in Europa Occidentali, ita hoc vocabulum in Hungaria quoque tributum extraordinarium significat, quod rex sibi subiectis persolvendum imposuit. Indicium tributi extraordinarii statum veterem regni labefactatum demonstrat et priorem domanialem administrationem publicorum redditum et impensarum, id est administrationem, quam proventus praediorum castrensiem et praediorum regalium sustentaverant, in administrationem iure regali nisam transformatam esse significat. Tributo indicto rex reditus suos, quos praedia condonando amiserat, compensavit. Ab anno 1219 Andreas II. hoc tributo persaepe usus est (Hóman, M. tört. II, p. 65; Idem, Károly Róbert p. 163; Eckhart F., A királyi adózás

története Magyarországon 1323-ig [= *Historia tributi regalis in Hungaria usque ad annum 1323*], Arad, 1908, pp. 34 sq.). Nominatio tributi textui Gestorum posterius inseri potuit, hoc ea re affirmatur, quod nominatio legendae maiori Sancti Gerardi deest (v. caput (72.), sent. 324).

295 *Sitiateu* — Textui Th. (in *b* et *a*: *Sitiaten*) proxime adest varians in *V₅*: Sytiatem, recta forma in *V₂* et *V₃* servata est: *Scitiateu* (SRH I, 339). Locus nominatus Zsitvatő possessio fuit in comitatu Comaromiensi, ubi fluvius Zsitva (hodie Slovace Žitava) in Danubium funditur (Csánki III, p. 518).

vulgo dicitur Pesth — Pest, civitas magna Hungariae medii aevi, centrum partis hodierni Budapestini, quae in ripa sinistra Danubii sita est. Supra ruinas castri Romanorum exaedificabatur. Incertum est, quo modo de nomine eius comitatus nominatus sit. Incolae saeculis XI—XII natione Kalizi, sectatores Muhamedи fuerunt, iuxta quos ineunte saeculo XIII Teutoni considerunt. Pest privilegium anno 1244 a Bela IV. accepit (Melich pp. 137 sq.; Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 104). Nomen eius e nomine communi Bulgaro-Slavico “pest” ducitur, cuius significatio est ‘calcaria’. Hoc vocabulum Slavicum etiam in linguam Hungarorum translatum est et in pluribus regionibus regni vocabulum locorum factum est. Itaque vocabulum loci originem Hungaricam habet (Melich J., Melyik nép nevezte el Pestet Pestnek? [= Quis populorum Pest nomen Pest dederit?] MNy 34 [1938] 129 sq.) et ortus eius sic explicari potest: adversus Pest, apex montis hodie nominati Nap-hegy (‘Mons Solis’) in ripa ulteriore Danubii porrecti olim ex topho calcinario constitut, quae materia montis gradatim demolita est, ex qua calx cocta est (Haltenberger M., Budapest városföldrajza [= *Geographia Budapestini*], Bp. 1942, p. 27). Coctio calcis in valle inter montes Gerardi, Solis et Castri, qui hodie nominantur: Gellért-hegy, Nap-hegy et Vár-hegy, sita facta esse potuit et nomen calcariae “pest”, quae hic conformata erat, coloniae parvae iuxta calcariam ortae translatum est, cuius incolae praeter calcarios piscatores et portitores erant. Officium portitorum erat traiectum per Danubium exercere. Via per portum ducta erat una ex maximis, quoniam ea procedebant mercatores ab occidente in Russiam, Kioviam versus, at contra etiam orientales mercatores occidentem versus. Nomen coloniae parvae in valle sitae tempore progrediente accepit colonia nova, quae in aditu ulteriore portus orta brevi quidem coloniam vetustiorem superavit. Secundum Györffy, Budapest p. 258 calcaria, de qua nominatio orta est, in ripa sinistra Danubii exstitit, ubi ruinae temporis antiqui materiam ad calcem coquendam offerebant, itaque colonia in ripa sinistra sita nomen Pest tradidit coloniae in ripa dextera sitae. Ineunte saeculo XIII hodiernum Pest iam civitas magna fuit, cuius incrementum eo quoque significatur, quod colonia in ripa ulteriore “Minor Pest” nominatur. Prima significatio vocabuli loci incolis tunc quoque nota fuit, cum nomen Teutonicum civitatis Pest conformatum est. Teutoni immigrantes nomen “pest” (‘calcaria’) in linguam suam transtulerunt et civitatem suam “Ofen” nominaverunt. Satis esse videtur argumentum unicum ad “Pest” et “Ofen”

identificandum: circa annum 1235 in diplomate eodem Wernherus prius "de Ouen", mox "de Pest" nominatur (Budapest okl. I, pp. 26, 33).

Beztricus — Hoc nomen Hungarice Beszteréd est. Ad formam nominis in *b* inventi (Beztertus) proxime est varians in *V₂*: Boztercus, at formae nominis in *a* inventae (Beztritus) similes formae inveniuntur in *A S*: Beztricus et in *R*: Beztridus (SRH I, 339).

Buldi — V. caput (28.), sent. 202. Pauler (I, p. 423) nomen in forma Bód constituit. Nomen personae Bód e Hungarico nomine adiectivo bō 'dives' ducitur (Etym. Szótár I, col. 514; Pais D., Bó [= Dives], MNy 23 [1927] 502 sq. idem nomen e nomine Turcico bág 'dux' ductum esse putat. Cf. Györffy, Tanulm. p. 25). Nomen Bő est nomen generis cuiusdam Hungarici medii aevi (Karácsonyi I, pp. 275 sq.), at nomina personarum Bód (Kovács, Index p. 83), vocabula locorum Bő et Bód in Hungaria medio aevo persaepe inveniuntur (Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 68 sq.). Regestrum Varadiense anno 1214 viros "de genere episcopi Budlu" (Karácsonyi—Borovszky p. 188) memorat. Nomen episcopi Gestorum in *S* et *B* in forma Budli adnotatum est, quod lectionem a Pauler propositam minime affirmat.

Benetha — Hoc nomen Knauz cum nomine archiepiscopi Strigoniensis Benedicti identificat, qui in diplomate fundationali Tichoniensi anni 1055 inter testes primo loco est memoratus (Mon. Strig. I, pp. 46 sq.).

Zonuk comes — Nomen personae Zonuk usque ad hodiernum diem civitas et comitatus Zonuk (Szolnok) conservant. Ipse comes Zonuk in Annalibus Altahensibus adnotatus est, quamquam episcopi defuncti tantum summatim memorantur: "Pontifices etiam terrae illius pene omnes hac sunt tempestate prostrati, necnon cum clericis monachorum nonnulli; omnes ergo perseverantes in fide trucidabantur miserabili crudelitate. Principum etiam unus, Zaunic nomine, omnibus modis cruciatus ex hac luce migravit, quia priorem fidem recolens, nunc fidem Petro servare voluit" (Gombos I, p. 99). Zonuk (Szolnok) vetus nomen personae Hungaricum est et in diplomatis Hungaricis iterum ac saepius appareat (Melich J., Szolnok [= Zonuk], MNy 22 [1926] pp. 326 sq., 333). Ut vocabulum loci quoque frequens est (Kristó—Makk—Szegfű II, p. 42). Etiam genus Hungaricum quoddam hoc nomine est nominatum (Karácsonyi III/1, pp. 73 sq.).

Gyod — Hodierna villa Diósd a Budapestino ad meridiem-occidentem sita est. Via nominata Budensis, quae ab Alba Regia ineunte saeculo XIX ita est Budam ducta, ut villam Diósd praeteriret, saeculo XI probabiliter per villam ducta erat.

in ecclesia sancte Sabbine — Ecclesia parochialis Sanctae Sabinae in villa Diósd anno 1417 adhuc exstabat, hoc anno in diplomate quodam memoratur (Csánki I, p. 27; Mihalik S., Hol állott Szent Szabina temploma? Tallázás Budapest és környéke múltjából [= Ubi templum Sanctae Sabinae exstructum fuerit? Quaestiones de historia Budapestini et vicinorum locorum], 3 Bp. 1941, pp. 21 sq. sententiam iam prius refutatam renovat, quasi templum abbatiae ordinis Sancti Benedicti fuerit. Cf. Pannonh. XII/B, p. 6). Nil certi

notum est ad explicandum, quo modo cultus Sanctae Sabinae directe vel per intercessionem quorundam in Hungariam translatus fuerit.

⟨67.⟩

Caput interpolationibus saeculorum XIII—XIV insertis ab auctore Gestorum veterum conscriptum est.

²⁹⁶ *De martyrio ... episcopi* — Index idem est atque index capitinis A aliquot versibus superius inserti (“De martirizatione Beati Gerardi”, SRH I, 339). In ceteris variantibus Gestorum indices capitibus desunt.

celebrandum — Sic tantum in *V₃* est. In cunctis aliis variantibus: celebrandam (SRH I, 340) legitur.

Vidi ... communicantem — Somnium, sive in eo narrationem Sancti Gerardi servatam esse, sive id a scriptore Gestorum (aut — quoniam de parte cum textu legendae maioris Sancti Gerardi congruenti agitur — fortasse ab auctore legendae Sancti Gerardi) excogitatum esse putamus, proprietates Christianorum Hungaricorum aetatis primae profert. Nam probabile esse videtur narrationem operibus artis, picturis adiunctam, non autem cogitatione libere fictam esse, atque ita ex ea opera, quae re vera etiam sensibus percipiuntur, fuisse concludere debemus. Visum somni elementa duarum imaginum continet. Altera imago Christum in sinu Mariae sedentem effingit, altera autem Christum in cena Domini discipulis suis corpus et sanguinem suum alimento praebentem. Opus artis, quod haec duo momenta in imagine unica reddit, non est notum, itaque contractio a narratore vel scriptore facta est, separatim tamen saeculo XI imagines vulgatae sunt. Figuram Mariae in solio imperatorio sedentis et Christum in sinu tenentis non artifices occidentales Romani, sed artifices Byzantini effinxerunt. Talis descriptio Ravennae, in imagine musiva iam saeculo VI appareat, in templis Byzantiniis saepe invenitur, Romae veterissimum exemplar talis imaginis, quod in apside basilicae S. Mariae in Domnica remansit, saeculo IX factum est. In cunctis his imaginibus Maria veste simplici Byzantina est induita, quamquam in solio splendide ornato sedet. Item artifices Byzantini incepérunt, qui mos a saeculo XII in occidente pervulgatus est, Mariam ut reginam corona et pallio regio ornatam depingere. Monumenta huius modi saeculo XI orta — non imagines, sed sculpturae eburneae et statuae — in Francogallia et in Teutonia valde multa supersunt (“Man ersieht daraus, dass die sitzende Madonna mit dem Jesuskind, ohne Beziehung zu einem bestimmten historischen Vorgang und ursprünglich noch im ganz byzantinischer Auffassung, ein beliebtes Devoitionsbild war” [Künstle I, pp. 623 sq.]). Item originis Byzantinae est descriptio communionis, quae a narratione somnii restitui potest. Minutae picturae veterissimae, saeculo VI ortae, sunt imagines codicum manu

scriptorum Sacrae Scripturae orientalium. In una minutarum picturarum Codicis Rossanensis Christus quinque discipulis panem in corpus suum consecratum dat, in altera autem pictura sex discipulis calicem praebet. Servato temporis ordine monumenta sequentia saeculo IX orta sunt. Moscoviae in effigie picta Psalterii Hludov nominati Christus post altaria stat et a dextera discipulis se valde inclinantibus panem dat, simul apostolus primus catervae sinistre calicem ad os attollit. Minutae picturae posterius operibus artis magnae mensurae fingendis exemplo fuerunt. Tales a saeculo XI item artifices Byzantini effecerunt. Veterrum opus musivum in ecclesia cathedrali Sophiae Kioviensi invenitur, quod in prima parte saeculi XI factum est. In hoc Christus sex discipulis hostiam, sex aliis autem calicem praebet. Artifices occidentales tantum posterius et tunc quidem raro cenam Domini ut sacrificium rituale descripserunt, sicut Fra Angelico in uno ex operibus tectoriis Florentiae, in quo Christus in manu sinistra calicem tenet, dextera autem manu hostiam discipulis ad mensam sedentibus distribuit (Künstle I, pp. 416 sq.). Difficile sit pro certo affirmare Sanctum Gerardum picturas, in quibus Maria Christum in gremio tenens vel Christus communio-nem celebrans describuntur, in Hungaria videre potuisse. Venetiis sine dubio ei plures occasiones datae sunt picturas huius modi cognoscendi. Iterum affirmamus id, quod etiam credi potest, visum somnii a scriptore Gestorum (vel forte a scriptore legendae maioris Sancti Gerardi) more poetico excogitatum esse. Tunc autem opus sculptile vel minuta pictura quaedam iam in Hungaria inventa — tametsi non in Hungaria effecta — ingenium et animum scriptoris obstupefacere potuit et eum ad duo momenta coniungenda commovit. Tamen elementa picturarum, quae in imaginem conformata sunt, mentem et ingenium artificum Byzantinorum reddiderunt.

monte Kelenfeld — Hodie Kelenföld nominatur pars Budae a monte 298 Gerardi (Gellért-hegy) ad meridiem et occidentem sita, medio aevo autem regio a monte ad septemtriones et inter montem Castri (Vár-hegy) sita, quae posterius — et hodie — Tabán est nominata. Argumenta topographica Paurer accurate interpretatur (I, p. 423), qui autem portum et una cum eo Kelenfeld atque coloniam “Minor Pest” a monte Gerardi ad meridiem collocat. Haec interpretatio a nullo docto probata est (Csánki I, pp. 7 sq.; Gárdonyi A., Buda és Pest a tatárjárás előtt [= Buda et Pest ante incursionem Tartarorum], Bp. 1941, pp. 52 sq.). Vocabulum loci Paurer, quia primum, cum in diplomate anno 1225 memoratum est, in forma Germanica Creynfeld appareret (Budapest okl. I, p. 18), originis Germanicae esse putat et per variantes Grünfeld > Creynfeld > Kelenföld nomen Hungaricum conformatum esse existimat. Secundum aliam, veri similiorem opinionem (Györffy, Budapest I, p. 272) radix nominis Greinfeld sit, e vocabulo linguae mediae Germanorum superiorum “grien”. Bavariae “grein” ‘glarea, ripa glareosa’, quod in regione linguae Bavariae medio aevo ut vocabulum loci “Grein” invenitur. Nominatio Greinfeld ‘glareosa

terra' apte quidem convenit ad regionem circa os fossae sitam, quae Hungarice Ördög-árok (Fossa diaboli) nominatur. Secundum Györffy nomen Kelenfeld saeculo XII textui insertum est.

²⁹⁹ *in honore ... fabricata* — Mentio prima ecclesiae Sancti Gerardi in diplomate anni 1236 est nota: "ecclesia beati Gerardi martiris de Parvo Pest seu Creynfeld" (Budapest I, p. 35), quae loco hodierni templi parochialis in Tabán existere potuit. Haud probabile videtur (Garády S., Budapest székesföváros területén végzett középkori ásatások összefoglaló ismertetése 1931—1941 [= Tractatus comprehensivus effosionum medii aevi in terra sedis principalis regni, Budapestini annis 1931—1941], in Bud. Rég. 13 [1943] pp. 184 sq.) eam in fundo hodierni balnei Rudas nominati aedificatam esse. Fragmentum caelaturaे Romanensi structurae genere, quod prima parte saeculi XII ortum esse putari potest et Christum in solio sedentem exprimit atque hodie in muro vestibuli ecclesiae Tabaniensis inaedificatum est, pars ornamenti frontis ecclesiae pristinae Sancti Gerardi esse putuit (Horváth H., Budapest művészeti emlékei [= Monumenta artis Budapestini], Bp. 1938, p. 69; Idem, Buda a középkorban [= Buda medio aevo], Bp. 1932, p. 62; Gerevich pp. 170 sq.; Györffy, Budapest I, p. 272). — Enuntiatio quidem secundum Györffy (pp. 175 sq.) a magistro Acus, secundum coniecturam autem Horváth (p. 256) a scriptore Franciscano ineunte saeculo XIV inserta est.

Gerardus ... Venecensis — Rosacium Foro Iulii (hodie Friuli) ab Aquileia ad septemtriones, ab Udino (hodie Udine) ad meridiem-orientem situm monasterium ordinis Sancti Benedicti erat, quod secunda parte saeculi XI Marquardus Eppenstein canonicis ordini Sancti Augustini ascriptis condidit. Filius autem Marquardi Eppenstein, Ulricus I., patriarcha Aquileiae hoc monasterium transmutavit in abbatiam ordinis Sancti Benedicti. Primi monachi Benedictini e Millza (Millstatt) venientes anno 1091 in monasterio consederunt. Familia Eppenstein extincta monasterium proprium familiae Spanheim erat atque locus sepulturae ducum Carinthiensium factum est (Schmidinger p. 83). Sanctus Gerardus membrum monasterii Rosacensis esse non potuit, sermo igitur huius rei posterius — post saeculum XI — ortus est. Quoniam in Gestis Simonis de Kéza Gerardum in monasterio Rosacensi commoratum esse iam memoratur (SRH I, 178), enuntiatio saeculo XIV inserta esse non potest. Veri similiter a magistro Acus scripta est. Quia hic res tempore Belae IV. et Stephani V. in Stiria et Carinthia peractas notas habuit, impulsus est, ut Gerardum e monasterio in Carinthia condito venisse diceret. Quoniam monasterium non a Venetis est conditum, non est, cur veri simile habeamus memoriam Gerardi ei adiunctam esse propter cultum suum vigentem (Mályusz 1971, pp. 37 sq.).

Beel — Beel est hodierna villa Bakonybél in comitatu Vesprimensi, a lacu Balaton ad septemtriones. Quamquam diploma foundationale eius anno 1037 datum falsum esse demonstratum est, pro certo haberi potest hoc monasterium inter prima monasteria ordinis Sancti Benedicti in Hungaria

fuisse. Amoenitas loci incitamento esse potuit, ut hic monasterium aedificaretur (Pannoh. VIII, Sörös P., *A bakonybéli apátság története [= Historia monasterii Bakonybél]*, Bp. 1903, pp. 14 sq.). Vocabulum loci Bél origine veri similiter nomen personae est (Etym. Szótár I, col. 344).

vitam dicens heremiticam — Apud monachos ordinis Sancti Benedicti non est insolitum, quod circa monasteria — ut monasteria Italica et Francogallica testimonio sunt — casae eremitarum aedificatae sunt, in quibus singuli monachorum ad tempus eremitarum modo vitam solitariam agebant (Hauck, Realenc. IX. p. 97). E modo recessus Gerard, quae vitae forma iam talis erat, ut ea despiciens rerum dici posset, speciem praebet ipsum Gerardum membrum congregationis eremitarum Sancti Romualdi fuisse (J. A. Endres, Studien zur Geschichte der Frühscholastik, Philosophisches Jahrbuch 26 [1913] 351; Idem, Forschungen zur Geschichte der frühmittelalterlichen Philosophie [Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Bd. XVII. Heft 2—3], Münster i. W. 1915, p. 54; [E. Amann—]A. Dumas, *L'Église au pouvoir des laïques* [A. Fliche—V. Martini, *Histoire de l'Église*, VII], Paris 1948, pp. 337 sq., secundum eum Romualdus in Hungaria quoque adesse potuit).

Murthmur — Hoc nomen secundum Karácsonyi (Gellért p. 163) et 300 secundum Pauler (I, p. 93): Murtemer est.

〈68.〉

Caput ab auctore Gestorum veterum conscriptum est.

De morte Petri regis — Index idem est atque index capitinis Chronicorum 301 Budensis et Picti: “*De morte Petri regis*” (SRH I, 342).

Musun — Forma Mussim in *b* et *a* inventa simpliciter falsum scriptum esse potest. Recte Musun (SRH I, 342) est scribendum. Hodierna civitas Moson et comitatus Moson prope fines Austriae porrigitur. Comitatum Sanctus Stephanus ordinavit. Vocabulum loci e vocabulo Germanico communi “moos” ducitur, quod significat: ‘locus paluster, terra paludum, solum uliginosum’ et saeculis IX—X apud Hungaros iam usitatum esse potuit. Fluvius Leytah (Leitha, Lajta) — cuius nomen Hungaricum est: Sár, Sárvize ‘lутum, aqua luti’ — hic in Danubium influit et, ut nomen suum monstrat, solum uliginosum, palustre efficit (Melich pp. 407 sq.; Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 104). Via publica paribus intervallis Danubio distans a Vienna ducta etiam hodie per civitatem Moson fert et sicut in textu Gestorum legitur, saeculo XI ibidem duxit (cf. Glaser op. cit. Száz. 63—64 [1929—1930] 145 sq.).

portas et exitus regni — Duo vocabula non nisi per speciem synonyma sunt. Locus Moson una cum loco Castro Portae (h. Kapuvár) nominato, qui in capite 〈80.〉, sent. 378 memoratus est, geographice in eadem linea

interiore siti sunt et ad ambas civitates nominatio “porta” in indaginibus aperta quadrat. Haec linea post occupationem patriae saeculo X finis regionis, in qua Hungari habitabant, est. “Exitus” autem iam saeculo XI sunt nominati transitus per exteriore fines. Hi exitus non sunt portae, nam exstructis compluribus castris et comitatibus ordinatis fines regni indaginibus (Hungarice ’gyepú’) tutos reddere supervacaneum est visum. “Porta et exitus” ita loca transitus per duas lineas finium muniendorum, per duos fines significant.

302 *villam Zamur* — Hodierna villa Zámoly ab Alba Regia ad septemtriones sita est. Nomen villae in diplomate anni 1302: Zamur, in diplomaticis saeculi XV: Zamor (Csánki III, p. 357) est.

Qui ... in brevi finivit — Adnotatio ad annum 1046 in Annalibus Altahensibus descriptionem scriptoris Gestorum affirmat: “Sic autem concluserant iter regi suo, ut non haberet diverticulum ullo in loco, donec pagani et ignominiosi, quibus concessum erat propria voluntate uti, oculorum illum lumine privaverant, quod nunquam regio nomini accidisse audierant, ne, si in regnum Teutonicum sanus effugeret, inde sibi bellum recidivum et clades bellica succresceret” (Gombos I, p. 99).

Quinqueecclesiis — Hodierna civitas Pécs in angulo meridionali-orientali regionis Transdanubianae sita est. In Conversione Bagoariorum et Carantanorum saeculi IX civitas nomine “ad Quinque basilicas” memoratur et argumentum diplomatis falsi anno 890 scripti regis Germaniae Arnulphi “ad V. aecclesias” quoque hanc civitatem significat (Györffy, Tört. földr., I, p. 356). Civitas aetate Romana locus magni momenti erat; religionem Christianam intra muros civitatis advectam catacumbae Christianorum veterum, quae hodie quoque supersunt, testantur (Dercsényi D.—Pogány F., Pécs, Városképek — Műemlékek [= Quinqueecclesiae, Conspectus urbium — Monumenta artis], Bp. 1956, pp. 14 sq.), continuitas autem nominis civitatis affirmat id, quod ipsa civitas tempora migrationis gentium populorumque aliquo modo transegit. Nomen “Pécs” secundum sententiam Melich (pp. 389, 413 sq.) origine linguae Slavicae esse non potest, quia “iam derivatum pēť in lingua Slavica vetere numerus ordinarius ‘quinque’ factum est”; maxime probabile videtur nomen ipsum origine indogermanicum esse. D. Simonyi (Pécs “Quinque ecclesiae” nevének eredetéről [= Quo modo civitas Pécs nomen “Quinque ecclesiae” acceperit], Antik Tanulmányok [= Studia Antiqua] 6 [1959] 101 sq.) nomen origine Bulgaro-Turcicum esse putat.

Quinqueecclesiis ... beati Petri — Episcopatum Quinqueecclesiensem Sanctus Stephanus condidit, qui ipse patronum ecclesiae apostolum Sanctum Petrum elegit. Rex Petrus ad basilicam aedificandam probabiliter eo inductus est, quod ipse quoque nomine principis apostolorum est nominatus et more medii aevi honorem sancti praecipuum ostentatus fuit cultui illius fovendo et basilicam locum sepulturae sua eligendo. Basilica, quamquam haud semel renovata est, in statu hodierno quoque pristinam magnitudinem

praestat, partes autem integrae et fragmenta statuarum basilicam accurate perfectam esse demonstrant (cf. Szónyi O., A pécsi székesegyház [= Basiliaca Quinqueecclesiensis], Magyar Művészeti [= Ars Hungarica] 5 [1929] 455 sq.; Gerevich pp. 51 sq.). Gerevich sententiam scriptoris Gestorum — secundum opinionem Gerevich sententiam scriptoris Chronicus Budensis et Th. —, in qua mentio de Petro facta est, falsam dicit. Argumentum Gerevich hoc est: "Impossibile videtur id, quod post episcopatum inter formas egregias et sollemnes decennio primo dominationis Sancti Stephani operibus maxime ferventibus conditum et post episcopum egregium simul praefectum basilica condenda et aedificanda aetatem turbulentam Petri mansisset". Argumentum e vocabulo "fundaverat" similiter excogitatum et non efficax esse Fügedi iam monstravit, cum de capitulo Budensi tractaret, confirmans "vocabulum in usu verborum Latinorum illius temporis non solum conditori primo reservatum esse, sed haud semel etiam posteriores beneficiorum auctores collegii cuiusdam ecclesiastici hoc vocabulo nominatos esse, atque ita »fundatores« unus post alterum sequentes in narratione chronicorum contradictionem non necessario significare" (Tanulm. 13 [1959] p. 17). Fragmenta autem lapidum Quinqueecclesiensium fabricam lapidariam regiam operatam esse testantur, quae "primum Strigoni extitit, mox Budae et Albae Regiae et postrem fortasse Quinqueecclesiis" (Dercsényi op. cit. Bud. Rég. 13 [1943] 289, 281), etiam materia igitur fragmentorum originem basilicae posteriorem esse affirmat (Csányi K., op. cit. II. Oszt. Közl. 3. Muzeológiai sorozat [= Series museologica] II/1 [1951] p. 34).

anno ... tertio — Petrus autumno anni 1046 mortuus est (Pawler I, pp. 92 sq.). Aliter apud Sz. de Vajay, op. cit. Südost-Forschungen 21 (1962) 61 adnotatum est.

⟨69.⟩

Caput ab auctore Gestorum veterum conscriptum est mutationibus saeculorum XII—XIII adhibitis.

De coronatione ... dicti — Index maxime congruens esse indici capituli A 303 videtur: "De coronatione primi Andree regis Vngarie" (SRH I, 343). In partibus superioribus scriptor Gestorum ducem constanter nomine "Endre", id est variante Hungarico nominis Andreae nominavit. Nomen Andreas, quo dux, cum rex factus est, utebatur, eum rerum etiam potitus esse significat.

regia civitate Alba — Primum documentum, secundum quod nomen Albae Regiae "Alba regalis" fuit, e saeculo XIV notum est (Csányi III, p. 308). Vocabulo loci non nisi posterius stabilito congruens est, quod scriptor

Gestorum hoc loco quoque, sicut in capitibus (64.) et (74.) proprietatem civitatis ut sedis regiae circuitu verborum describit.

a tribus tantum ... M XLVII — In Annalibus Altahensibus: “A tribus ergo pontificibus, qui residui erant, accepit ille regalem ordinationem, quamquam prius crudeliter grassatus fuerat in sanctae ecclesiae gregem” (M.G.H. SS XX, p. 803. Communicationi Gombos haec enuntiatio deest). Coronatio in Annalibus Altahensibus ad annum 1046 adnotata est. Pauler eam “paullo post dies trucidationum Pestensis et Zamurensis” et, quoniam hae exeunte mense Septembri fuerunt, item anno 1046 fuisse putat (I, p. 94). Tempus in Gestis falso adnotatum solum neglegentia scriptoris atque eius despicientia numerorum annorum explicari potest, adnotationes autem temporum in textu, quas ante oculos habuit, ideo praetermittit et omittit, quia ipse res non interrupte narraturus fuit.

capitalis sententie — Vocabulum in iurisdictione Hungarica testibus diplomaticis iudicialibus tantum ab ineunte saeculo XIV usitatum est (Hajnik p. 389).

304 *Toxum ultra Danubium* — Hodierna villa Taksony a Budapestino ad meridiem in comitatu Pest, ergo non in regione Transdanubiana sita est. Tamen scriptor Gestorum non errat eam trans Danubium sitam dicens. Flumen in hac regione in multos ramos diffluens in extenso alveo fluxit atque ita villae, quae hodie in ripa sinistra sitae sunt, tunc in ripa ulteriore videri potuerunt. Sicut Taksony quoque in diplomate quodam anni 1453 in insula esse (Taxon possessio in insula Ilbew) dicitur (Csánki I, p. 35).

Tradunt ... Vazul ducis — Vocabula “tradunt quidam” tantum narrationem Gestorum veterum spectare possunt (Györffy op. cit. Ethn. 76 [1965] 417). Ex refutatione pro certo haberi potest scriptorem Gestorum veterum genealogiam Andreae et fratrū eius adhuc recte adnotavisse, id est ortum ex Vazul omnino non indecorum putavisse, matrimonium tamen non more Christiano factum ex sua sententia ecclesiastica reprehendisse. Sicut etiam Horváth caute memorat (p. 311), opinari quidem possit ineunte saeculo XII a continuatore aetatis Colomani Vazul cum Ladislao Calvo commutatum esse, tamen veri similius videtur Vazul et Ladislaus Calvum medio saeculo XII commutatos esse, cum partim nomen proavi iam in oblivionem veniret, partim autem contra Boris, filium nothum regis Colomani etiam familiae regiae interfuit opinionem de sua origine non legitima extingui. J. Gerics (op. cit. TSz 9 [1966] 4) polemiam non solum et forsitan non imprimis contra opinionem, ex qua tres duces e Vazul orti essent, directam esse, sed magis, ut nobilitas generis Tatun explicaretur, demonstravit.

genere Tatun — Hoc esset unicum monumentum litterarium generis Tatun (Táttony) (Karácsonyi III/1, pp. 79 sq. Nomen personae Tatun notum non est, vocabula locorum Táttony v. Kristó—Makk—Szegfú II, p. 43). In textu primo secundum argutam interpretationem Györffy non Tatun, sed Catun scriptum esse potuit. Katun erat titulus uxoris kagani apud nomades Turcicos et Mongolicos. Hunc titulum non omnes uxores kagani habebant,

plerumque tantum ea, quae pro gradu prima erat. Sed praeter uxorem kagani etiam uxores ducum seu regum regnorum inferioris ordinis hoc titulo, qui significat 'domina', ornatae erant. Itaque e nomine dignitatis Katun (Catun), postquam significatio eius oblivione deleta est, nomen Tatum, quod in Gestis legi potest, formari potuit, ad quod formandum nomen personae Tatum (Tátöny) conferebat (Török női méltóságnev a magyar kútfőkben [= Turcicum nomen dignitatis femineae in fontibus Hungaricis], MNy 49 [1953] 109 sq. Cf. László F., A kagán és családja [= Kaganus et familia], Kőrösi Csoma-Archivum 3 [1940–1941] 16). Györffy (op. cit. TSz 9 [1966] 29 sq.) — terminos conjecturarum nimis transiens — vocabulum katun uxorem Bulgari keani significavisse et Vazul tres filios e consanguinea imperatricis Bulgarorum procreavisse arbitratur. Contra sententiam Györffy Gerics (Krónikáink néhány genealógiai vonatkozásáról [= De nonnullis relationibus genealogicis in chronicis Hungaricis], ItK 71 [1967] 583 sq.) mutationem vocabuli Tatum in Catun conjecturam supervacaneam opinatur, quoniam vocabulum "illi de Tatum" nomen generis esse arbitratur, genus Tatum vere extitisse pro certo habet, atque vocabulum "de genere Tatum" e textu chronicī cuiusdam saeculorum XI–XII ortum esse possibile credit.

istos tres ... thoro ortos esse — Vazul, si conjectura e nomine suo facta recta videtur, Christianus fuit (v. caput (60.), sent. 265), mater autem filiorum suorum non, quod veri simile fit eo, quod Levente paganus fuit. Ecclesia matrimonium cum femina pagana coniunctum legitimum habere non potuit, praesertim non scriptor Gestorum veterum, qui eventus omnes e ratione ecclesiae Christianae aestimabat. (Györffy terminos conjecturarum nimium transit, cum quasi possibile esse putat Vazul non de Sancto Basilio ecclesiae orientalis nomen suum accepisse, sed nomen Vazul ut derivatum Slavico-Hungaricum vocabuli βασιλεύς 'imperator' nomen dignitatis fuisse, translatum in Christianam formam nominis kaganus, quod una cum nomine katun exprimit Vazul regni appetentem fuisse.) Secundum Gerics (op. cit. TSz 9 [1966] 10 sq.) vocabulum "non verus thorus" formulam quandam matrimonii etiam in Hungaria saeculo XI usitatam significare potest, quae et cum matrimonio legitimo et cum concubinatu stuprum dicto discrepavit.

illos de Tatum nobilitatem accepisse — Secundum interpretationem usitatam acceptamque vocabulum ad filios Vazul, secundum Gerics autem ad prognatos generis Tatum relatum est. Ex sententia Gerics sumi potest in textu saeculi XI id memoratum esse, quod genus Tatum nobilitatem accepit (op. cit. TSz 9 [1966] 1 sq., 19). Ut Györffy cogitat (op. cit. TSz 9 [1966] 33), vocabulum "nobilis" in Gestis veteribus inveniri potuit, tamen vocabulum "nobilitatem accepisse" saeculo XI usitatum non probabile videt.

uxorem de Ruthenia dicitur accepisse — De origine Russica uxoris Ladislai Calvi in fonte unico, in Gestis legi potest. Sententiam probabilem facit, quod filii Vazul sine tali consanguinitate in aula principis Kioviae vix

hospitium reperire potuerint. Uxor Ladislai Calvi, ut traditum erat, filia natu media magni principis Vladimiri I., Premislava fuit (Wertner p. 112).

fratres generantur — Pars, quae initium capit a vocabulis “Tradunt quidam” et his vocabulis finitur — caput 87 Gestorum —, a historiae peritis paene congruenter saeculo XIII conscripta demonstratur (Hóman pp. 35, 91; Györfy op. cit. TSz 9 [1966] 26). Gerics (op. cit. TSz 9 [1966] 4) aperte id quoque affirmat, quod haec pars in hodierna forma non est opus scriptoris saeculi XII, qui genealogiam Vazul primus correxit, sed opus chronographi saeculi XIII.

Albus Andreas — Nomina vetera pagana et recentiora Christiana complurium regum de stirpe Arpadiana nota habemus. Andreas nomine vetere probabiliter Albus est nominatus (Hóman p. 90), vel hanc formam Latinam nomen suum vetus habuit. Sumi quidem potest nomen cum distinctione “albus-niger” apud gentes Turcas usitata (Albi Cumani = polovcy, Nigri Cumani = Ovčor, Albi Nigrive Hungari) coniunctum esse (Horváth op. cit., in Székesfehérvár I, pp. 104 sqq.).

Tribus ... censuales — Haec enuntiatio comprehensiva una cum antecedenti ita scripta est, quasi pars adnotationis cuiusdam historicae verborum parcae esset. Andreas I. quidem bella cum Polonis, Bohemis et Austriacis gerebat, tamen hae pugnae non primo triennio regni eius commissae fuerunt. Secundum relationem Paurer argumenta fontium omnium comprehendentem haec certamina in enuntiatione Gestorum redditia esse possunt: anno 1051 Bohemi ut vasalli sub duce Bretislao (Břetislav) in bello imperatoris Henrici III. contra Hungariam gesto interfuerunt, item etiam Poloni; anno 1055 Hungari hortatu ducis Bavariae, Conradi seditiosi, qui in Hungariam confugit, in Austriam saepius incursiones fecerunt (Paurer I, pp. 98 sq.). Itaque minime quidem agitur de ea re, quod Andreas I. bella cupidine proferendi regni duxisset, atque iis feliciter gestis perfectisque tria regna illa regi Hungariae tributa pensitavissent. Enuntiationem quidem Paurer (I, pp. 426 sq.) separatim quoque tractat; recte confirmat eam “summarium in annalibus vetustioribus Hungaricis haud sane accurate conscriptum processuum bellorum posteriorum anno 1051 et annis insequentibus gestorum esse, quod cum narratione copiosa saeculi XI tantum extrinsecus in chronicis saeculi XIII coniunctum est”, tamen e conscriptione obscura intellegi non potest, hanc enuntiationem utrum prius an posterius “narratione copiosa” ortam esse putet.

Nos ... succedas — Domanovszky (Az Árpádok trónöröklési jogához [= Ad ius successionis regni stirpis Arpadianae], Száz. 63—64 [1929—1930] 49 sq.) et Gerics (p. 82) verba Andreae, quae ipse ad Belam dixit, interpolata esse putant.

omni familia — Sententia vocabuli per totum medium aevum nimium lata est, omnem comitivam apparatumque aulicum domini feudi significat.

tertia ... collata — Pars, quae duci obtigit, “ducatus” nominabatur. Duae sententiae contrariae sunt, quo modo ducatus ipse evolvi et fungi potuerit.

Secundum Györffy (Tanulm. pp. 36 sq., 77 sq.) ducatus principio conformatio regionalis gentium auxiliarium ad Hungaros coniunctarum erat. Györffy ex analogiis nomadum (Turcorum) dominationem super gentes deditas iure maiorum ad ducem, qui successionem regni habuit, attigisse, ducem autem auxiliarium gentium militarium, exercitus optime instructi ac parati ab occupatione patriae heredem regni stirpis Arpadianae fuisse coniectat. Princeps dominationem super varia elementa bellicosa gentium successori suo designato mandavit, potestatem regionalem ei tribuens, qui post mortem ducis sine difficultate in ipsius locum succedere posset. Sic egit Arpad filium Zoltan ducem faciens, Sanctus Stephanus, qui prius filio Emerico, mox post mortem huius, Petro potestatem ducalem mandavit. Kristó (Herczegség pp. 11 sq., 40 sq.) contra haec analogias Europaeas (non analogias nomadum) afferens ducatum generaliter cum ipso feudalismo coniunctum esse eumque formationem videt, quae ad accelerationem feudalismi conformandi et ad partitionem regni magnam vim habeat. Kristó primam formam feudalismi putat, quae intra stirpem Arpadianam nota est, cum Geysa et Cupan dominationem inter se disperterint, tunc tamen non tota terra regni, sed tantum regio descensus stirpis Arpadianae divisa est. Andreas I. — ut in Gestis hic quidem describitur — fratri suo natu minori, duci Belae “ducatum” concedit, quem Salomone rege dux Geysa obtinuit, rex Ladislaus et Lampertus regnum inter se partiti sunt, Colomanus autem id cum Almo communicavit. Ipsum ducatum — ut institutum — rex Colomanus circa annum 1105 abolevit. Ducatus quindecim comitatus amplexus est, pars regis autem triginta comitatus erant. Dum Paurer (I, p. 425) comitatus ducatus inter se contiguos a Nitria usque ad Bihor porrectos esse arbitratus est, secundum Györffy territorium ducatus non erat regio cohaerens. Ut Kristó arbitratur, ducatus necessario regiones septentrionales et orientales, quae minus frequentes incolis factae sunt, complexus est. Secunda parte saeculi XI ducatus ad historiam Hungariae conformandam multum contulit.

prima regni huius divisio — Scriptor Gestorum hoc loco sibi contradicere videtur adnotans hanc divisionem regni primam fuisse, si ipse ducatus — sicut Györffy arbitratur — iam saeculo X et aetate Sancti Stephani exstitit (cf. R. Kiss I., Trónbetöltés és ducatus az Árpád-korban [= Successio regni et ducatus aetate stirpis Arpadianae], Száz. 61—62 [1927—1928] 746). Difficultatem Domanovszky (op. cit. Száz. 63—64 [1929—1930] 49 sq.) et Gerics (p. 83) evitant enuntiationem interpolatam esse arbitrantes, quae secundum Gerics ante aetatem Ladislai I. oriri non potuit. Kristó (Herczegség pp. 58 sq.) locum in Gestis pro argumento certo habet, quod prima divisio Hungariae inter duces et reges eius circa annum 1048 erat. Rem explanando omitti non potest divisionem cum ea re coniunctam esse, quod Hungari sedem assiduam sibi deligerunt, agricultura gradatim praevaluit, administratio comitatuum explicabatur, opera incolarum, qui circa castra ut circa sedes oeconomicas in decurionatibus et centurionatibus divisi sunt,

examinabatur. Si non obliviscimur gentes auxiliarias nominatas, quae — ipso facto, quod posterius se ad Hungaros adiunixerunt — in vitae consuetudine et in institutis suis militaribus colorem vetustatis magis conservavisse, quam incolas Hungaricos, itaque in sedes novas facilius traduci potuisse, sicut exemplum Siculorum docet, neutiquam admirandum est, quod divisio regionalis incolarum vitam in diversis gradibus evolutionis agentium non nisi medio saeculo XI confirmata sit.

sancti Aniani — Sanctus Anianus (S. Aignan), Hungaro nomine Ányos, ut episcopus Aurelianensis anno 453 mortuus est. Cultus eius in Francogallia floruit et aetate stirpis Merovingensis cultu Martini Turonensis vel Sancti Dionysii non inferior erat. Horum sepulcris pariter etiam sepulcrum eius pro loco iuris iurandi sollemnis erat; reges foederibus et societatibus ictis se officiis satisfacturos esse hic voverunt. Cultus Sancti Aniani saeculo XI revixit, cui plurimum profuit actio ecclesiae instaurandae ab ordine Sancti Benedicti Cluniacensi incepta. Anno 1029, cum corpus sepultum Aniani in ecclesiam cathedralem paulo ante exstructam translatum est, in comitatu regis abbas Cluniacensis, Odilo quoque aderat (Pannonh. X, pp. 6 sq.). Cultus Sancti Aniani in Hungaria quoque exortus haudquaquam signum unicum consuetudinum ipsarum Francogallico-Hungaricarum est. Hae consuetudines coniunctione affinitatis regis Andree I. cum rege Francogalliae, Henrico I. nitebantur, nam ambo reges filias ducis Kioviae, Jaroslai Sapientis in matrimonium duxerunt (Komjáthy M., A tihanyi apátság alapítólevelének problémái [= Quaestiones diplomatici fundationalis abbacie Tichoniensis], LK 26 [1955] 43).

monasterium ... Tyhon — Monasterium ordinis Sancti Benedicti et templum ei astructum, quamquam transformata, tamen una cum primo templo subterraneo aetatis Romanensis in ripa septemtrionali lacus Balaton, in paeninsula Tichoniensi etiam hodie exstant. Diploma fundationale a rege Andree I. anno 1055 editum, cuius autographum superest, per vocabula Hungarica in eo adnotata unum ex pretiosissimis monumentis linguae Hungaricae habemus (textus eius: Pannonh. X, pp. 487 sq.; cf. Bárczi G., A tihanyi apátság alapítólevele mint nyelvi emlék [= Diploma fundationale Tichoniense ut monumentum linguae], Nyelvészeti tanulmányok [= Studia linguistica], 1. Bp. 1951). Perscriptio diplomatica erat ultima actio monasterii condendi. Ut speluncae in latere montis prope monasterium excavatae demonstrant, rex Andreas basilitis (scilicet monachis ritus Graeci), qui in comitiva uxoris regis advenerunt, tecta aedificatus fuit, sicut alibi, in Visegrad quoque fecit, et speluncae basilitis ad tempus quoddam pro tectis fuerunt. Cum autem monasterium exaedificatum est, res externae mutatae sunt. Andreas I. contra impetus imperatoris Teutoniae annis 1051 et 1052, cum e Kiovia non adiuvaretur, et ecclesiam Romanam et Francogallos — in persona Henrici sui affinis, regis Francogalliae — in auxilium vocavit. Ex hac orientatione Francogallica factum est inter alia, ut monasterium, quod initio in usum basiliarum destinatum erat, monachi

Francogallici ordinis Sancti Benedicti acciperent. Monasterium alteri ordini donare eo facilius fuit, quod schisma magnum in ecclesia tantum anno 1054 factum est, partim autem quod monachi basilite ecclesiae orientalis et monachi Benedictini ecclesiae occidentalis aliis locis quoque, sic Romae, Massiliae cum bona pace in monasterio eodem vitam agebant. Id ergo, quod monasterio Tichoniensi Benedictini praeyerant, haud significavit vitam monachorum Graecorum ibi interruptam esse. E contrario: “In Tichon Byzantium et Cluniacum in Christianismo Byzantinensi renovatum convererunt”. Negotium monachorum basilitarum in Tichon non nisi tunc est finitum, cum supplementum horum cura deficiente desit. Latinisatio autem saeculo XII e Roma orta vim ecclesiae occidentalis constanter praedicando ecclesiam orientalem ad emoriendum damnavit, id est, cum consequentia schismatis anni 1054 in vita quotidiana valuerunt (Komjáthy I. cit. 27 sq., praecipue 39 sq., 44, 47).

filiam ducis Ruthenorū — Filia ducis magni Kioviae Jaroslai (Sapientis) I. Anastasia fuit (Wertner p. 117).

villa Moroth — E villis variis Marót nominatis ea putanda esset, quae (hodie Pilismarót) prope Strigonium sita est (SRH I, 345, adnot. 3). Haec villa medio aevo in comitatu Pilis erat (Csánki I, p. 14).

genuit Georgium — Wertner (p. 136) tempus nascendi eius coniectando circa annum 1050 fuisse credit.

Lampertum — Bela I. nomen Sancti Lamberti, episcopi Maastrichtensis saeculi VII (Wetzer—Welte tom. VII. pp. 1336 sq.) per propinquitatem Polonicam cognoscere potuit. Lambertus est nominatus filius Mieszko I. atque ipse Mieszko II., sacer Belae. Cultui Sancti Lamberti in Hungaria propagando ipsae consuetudines Lotharingienses quoque multum conferre potuerunt (Gy. Székely, Gemeinsame Züge der ungarischen und polnischen Kirchengeschichte des XI. Jahrhunderts, in Annales 4 [1962] p. 61).

filias — In Gestis de iis in ceteris nil adnotatum est neque nomina earum memorantur. Secundum studia Wertner (pp. 144 sq.) Bela I. tres filias habuit: Sophiam, quae prius uxor marchionis Carniolae et Istriae, Ulrici de Wimaria, mox uxor ducis Saxonum, Magni facta est, Helenam, quam rex Croatiae, Zvonimirus in matrimonium duxit, et Euphemiam, uxorem ducis Moraviae, Othonis I.

⟨70.⟩

Caput ab auctore Gestorum veterum conscriptum est, in fine cum adnotatione Th. addita.

De adventu ... Hungariam — Index illis duobus capitibus Chronici Picti (“De Rege Theutonicorum”, SRH I, 346) et R (“De adventu cesaris in

Hungariam", SRH I, 347) contractis formatus est, quae Th. in uno capite comprehendit.

Eo tempore — Imperator Henricus III. annis 1051 et 1052 bella in Hungariam duxit. Quamquam cupiditate necis Petri ulciscendae flagrabat, partim quia die natali Domini anno 1046 imperator est coronatus, partim quia ad id efficiendum contendit, ut papatui sicut episcopatui cuidam Teutonico homines sibi gratos acceptosque praeficeret et papam tamquam membrum ecclesiae imperii tractaret, bellum inferendum in annos nonnullos differre coactus est (H. Grundmann, Das hohe Mittelalter und die deutsche Kaiserzeit, in Die neue Propyläen-Weltgeschichte, Berlin 1940, II, pp. 226 sq.). Rex Andreas omnia molitus est, ut bellum evitaretur, et per legatos non solum se apud imperatorem de morte Petri excusavit, sed paratus fuit ei tributum pendere, militia sua servire Henrico, si se regnum possidere ab imperatore sinatur, sed Henricus pacem omnino repudiavit (Paurer I, pp. 97 sq.; Deér pp. 61 sq.).

castrum Poson — Castrum ad Danubium, ubi posterius confinium Austriaco-Hungaricum erat, probabiliter iam tempore Moraviae Magnae ad inspiciendum iter Danubianum aedificatum est. Comitatus una cum castro ut sede, cui idem erat nomen, a Sancto Stephano est ordinatus (Holub op. cit., in Szent István Ekv II, p. 104). Castrum nomen Hungaricum coniectura ex argumentis analogicis facta de comite primo accepisse videtur. Sed etiam nomen Germanicum habuit, quod in Annalibus Iuvavensis maximis ad annum 907 in forma Brezalauspurc, in Annalibus Altahensibus ad annum ipsum 1052 in forma Preslawaspurch adnotatum est (Gombos I, pp. 754, 100. Cf. Melich J., Pozsony magyar, német és tót nevéről [= De nomine Hungarico, Germanico et Slovaco Posonii], Száz. 57—58 [1923—1924] 695 sq.). Civitas hodie Bratislava (ČSSR) nominatur.

suo dominio subiugare — Oppugnatio Posonii anno 1052 acta est, atque ita scriptor Gestorum bella anno 1051 et 1052 gesta commutavit. Ex errore chronologico coniectari potest scriptorem adnotationibus genere annalium hic usum non esse.

per octo hebdomadas obsidendo — Imperator Henricus exeunte mense Iulio nave vectus sub castrum Posonium advenit. Oppugnatio sine successu finita per menses Augustum et Septembrem durabat. Clades imperatoris fiduciam regis Andreae amplificavit. Quamquam ante bellum papam Leonem IX. intercedere rogavit, nunc iam tributa pendere repudiavit, papa autem, qui dum Posonium oppugnabatur, in castra Teutonorum pervenit et Andream excommunicatus fuit (Paurer I, p. 102).

nihil profecit — In Annalibus Altahensibus clades expeditionis imperatoris sic perscribitur: "nihil honoris vel utilitatis adquisitum regno" (Gombos I, p. 100). In litteratura censurae fontium Hungarica (Hóman p. 83; Gerics p. 49) ad persuadendum accommodate demonstratur hanc enuntiationem scriptoris Gestorum proprius ad adnotationem anni 1030, quam ad adnotationem anni 1052 in Annalibus Altahensibus esse. ("Rediit autem de

Ungaria sine militia et in nullo *proficiens*”, Gombos I, p. 92. Vocabula typis inclinatis in membris familiae Chronicus Budensis in eadem forma inveniuntur, at membris familiae Chronicus Picti verbum “rediit” deest, in loco autem vocabuli “proficiens” verbum “profecit” est scriptum.) Post verbum “profecit” usque ad finem capituli 89. Gestorum, scilicet ad vocabula “dimicabant acriter” textus tantum in familia Chronicus Picti transcriptus est, quo Th. est usus.

Zothmund — Fama de milite simplici, Zothmund e sermone populari in Gestis adnotari potuit (Elekes—Lederer—Székely p. 70).

naves imperatoris — In fontibus Teutonicis, sicut in Annalibus Altahensisibus nil de navibus adnotatum est.

Moyotech — Nomen in *V₄*: Moytech, in *V₅*: Moythech scriptum servatum est. Hoc respondet hodiernae formae nominis Hungarici Majtény, quae forma e nomine personae facta est vocabulum loci. Villa hac nomine in comitatu Posoniensi nominata in diplomatis saeculo XIII memoratur (Wenzel VIII, pp. 159, 249, XII, p. 516), et coniectari potest villam nomen cuiusdam Majtény, qui medio saeculo XI vixit, servavisse. In Chronicus Pictus autem nomen in forma Woytech servatum est, et Pauler (I, p. 102) hoc verum accipit.

Vilungard — Sic in *V₃* scriptum est.

Martinus — A Domanovszky (SRH I, 347, adnot. 1) Martinus et Majtény ~ Woytech, praeter eos Andreas a Horváth (p. 310) iidem esse dicuntur atque comites Martinus, Woitech et Andreas, qui inter testes diplomatici fundationalis Tichoniensis (Marczali, Enchiridion p. 85) memorialuntur, Martinum autem Pauler (I, p. 102) filium Misca, nepotis Vecellini de genere Ják (Rád) ortum esse putat. Cf. Karácsonyi II, p. 244. Idem alia duo nomina Oros et Vilunpard esse constituit. Uros (Oros) in diplomaticis Hungaricis nomen frequentatum est (Kovács, Index p. 754). Identificatio recta esse potest, si sumimus, regem ad castrum Posoniense haud magnae extensionis defendendum complures comites una cum armis adesse iussisse.

Sequenti vero anno — Id est anno 1051.

cum magna multitudine bellatorum — Imperator cum omnibus bellis viribus imperii sui a Passavia (hodie Passau) medio mense Augusto, anno 1051 profectus est. In exercitu aderant Burgundi, Langobardi, Carantani, gentes ipsae Germanicae: Saxones, Franci, Alemanni (Suevi), Bavari, item Poloni et Bohemi, qui auxilium fiduciarium imperatori afferre debebant (Pauler I, p. 98).

iuxta fontes rivorum Zala et Zelice — Regio, ubi hodiernus fluvius Zala oritur (Pais L., A Zala vízgyűjtőjének régi vízrajza [= Hydrographia vetus regionis fluvii Zala] A Magyarságtudományi Intézet évkönyve 1 [1941—42] térképmelléklettel [= Annales Instituti Hungarici 1 (1941—42) tabula geographica addita]), a lacu Balaton ad occasum et a valle fluvii Arrabonis sive Rabae (hodie Rába et Raab) ad meridiem porrigitur. Haud explicatum est, unde nomen fluvii ortum sit; origine Celticum vel Illyricum esse potest.,

incertum est, quo modo in linguam Hungaricam intromissum sit, tamen pro certo haberi potest nulla intercessione Teutonica (Melich pp. 410 sq.). Solum argumentum nominis Zelice est significatio, quae in Gestis invenitur (Melich p. 412) et probabiliter ramus quidam fluvii Zala est (Pawler I, pp. 99, 427). Vocabulum “iuxta fontes” ad verbum intellegi non debet, quia vix credi potest exercitum per regionem inviam silvestremque iter facere temptavisse. Secundum quidem scriptorem Annalium Altahensium viam in Hungariam ferentem exercitus paeclusam invenit, atque ideo “longam circuitonem peregit et absque navibus et plaustris solo equestri itinere regionem intravit” (Gombos I, p. 100), tamen calles regionis in perviae, ubi fluvius quidam oritur et viae, per quas viri equis quoque vehi possunt, inter se valde differunt. Re vera non saeculo XI, sed ne saeculo XV quidem via directe ad orientem e Stiria in Hungariam ferebat, nam via Venetiana, unica via principalis e Venetiis ad orientem et septentriones ducebat et iter imperatoris hypotheticum secuit, itaque ille praeter fluvium quoque via deficiente tantum multis difficultatibus superatis procedere potuit. Scriptor Gestorum eo, quod iter imperatoris descripsit, certe eum a meridie, a regione fontis fluvii Zala, tamen in valle Rabae in Hungariam ingressum esse demonstratus fuit. Hic Castrum Ferreum (hodie Vasvár) esse potuit primus locus maior, quem imperator occupavit, qui deinde via ante incursionem Tartarorum principaliter ipsum Castrum Ferreum, Vesprimium, Albam Regiam ducenti progressus est. Directionem itineris constitutre, sicut Pawler fecit, secundum hodiernum contextum viarum impossibile videtur, tantum respectu directionum viarum medii aevi id fieri possit (cf. Glaser op. cit. Száz. 63–64 [1929–1930] 152, tabula geographica addita). Imperator aestate pluvia adductus est, ne fines irrumpere per regionem paludosam iuxta Danubium sitam temptaret. Ideo cum maiore parte exercitus ad meridiem versus per terram Austriae et Stiriae incessit, hic fluvium Rabam transgressus est et hunc fluvium sequens ad orientem se vertit.

episcopum Gebarth fratrem — Sic solum in *V*, scriptum est; in cunctis aliis variantibus forma “fratrem suum” (SRH I, 346) invenitur. Episcopus Ratisponensis Gebhardus (Gebehardus) III. (1036–1060) frater ex eodem patre natus imperatoris Conradi II. atque ita patruus Henrici III. fuit (Hauck III, pp. 547, 578, 1004).

Bodohath — Variantes proximi sunt *A* et *V_s*: Bodohoth (SRH I, 347). Hodierna villa Bodajk in comitatu Albensi (Hungarice Fejér), ab Alba Regia ad occasum-septemtriones versus. Nomen in diplomate anni 1201 scriptum est: Bodoht (Csánki III, p. 320).

309 *Iaurinum* — Sic invenitur in variantibus Chronici Budensis praeter *S*; in variantibus Chronici Picti forma: “Geurinum” est scriptum (SRH I, 348). Iaurinum (Győr) ad Danubium est situm, quo episcopus una cum duce Carantanorum Welf et cum Bretislao duce Bohemiae in ripa Danubii sinistro vectus pervenit (Pawler I, p. 99).

a latrunculis Andree — Vocabulum etiam in ceteris partibus Gestorum legi potest, atque sicut hoc loco quoque, in constructione attributi possessivi (76: “latrunculi regni Hungarie”, 104: “latrunculos Bessorum”, 134: “cum latrunculis Cunorum”). Capita Th. (64, 77, 83.). Vocabulum non est igitur attributum peiorativum, sed sicut iam Pauler interpretatus est (I, p. 100), significatio vocabuli est: incursator.

Nicolao episcopo — Idem est atque ille episcopus Nicolaus, notarius regis Andreae I., qui diploma foundationale Tichoniense anno 1055 conscripsit (Pauler I, p. 427). Quaestiones cum textu diplomatis coniunctas diligenter explicat et partes singulas diplomatis conscribendi constituit Komjáthy (op. cit. LK 26 [1955] 29 sq.). Horváth (pp. 306 sq.) episcopum cum scriptore Gestorum veterum identificat.

per quendam hospitem — Advenae peregre immigrantes, sive milites nobiles, mercatores, opifices vel agricolae erant, “hospites” sunt nominati. Nomen “hospes” libertatem corporis notavit.

optime frater — Vocabulum “frater” in cunctis variantibus Gestorum deest.

fame periclitabantur — Cf. quod in Annalibus Altahensibus de bello 310 Teutonico—Hungarico anni 1030 traditum est: “inde quod exercitus fame periclitabatur” (Gombos I, p. 92. Textus inter se comparatos v. Hóman p. 83).

Hungari et Bisseni — Nomina duorum popolorum, sic alium iuxta alium posita, demonstrant Hungaros — saltem partem maiorem eorum — adhuc semper ea ratione belli pugnavisse et eis armis instructos esse, quibus Bisseni, qui posterius sedem assiduam et domicilium in Hungaria sibi collocaverunt.

anathemati subiaceret — Scriptor Gestorum hoc loco textum partis 312 stereotypiae diplomatum, formulam anathematis cuiusdam tradit. Huic textui comparem J. Horváth (pp. 309 sq.) in diplomatibus ex cancellaria imperatoris Henrici III. editis quaesivit. (Horváth etiam formulas diplomatum imperatoris prodit, comparans eas cum textu Gestorum.) Kristó autem (1966, pp. 4 sq.) in diplomatibus regum Hungariae saeculi XII formulas quaesivit. Re vera neuter textus accurate respondentes invenit. Horváth eam conjecturam fecit, ex qua scriptor Gestorum veteranum — secundum Horváth episcopus Nicolaus — diplomate genuino pacis est usus, atque verba illius in narratione sua transcrispit. In eadem sententia est et eam defendit Gericz (p. 50; Idem, A krónikakutatás és az oklevél tan határán [= In confinio exquirendorum chronicorum et diplomaticae], ItK 78 [1974] 281 sq.). Contra eos Csóka (p. 362) inquirit, an diploma ipsum de pace extiterit. Studia quidem recentiora pacem Teutonico—Hungaricam — non anno 1058, ut adhuc usque creditum est, sed — iam anno 1053 ictam esse indicant, quamquam haec posterioris irrita facta est (Gericz p. 75).

Sophiam — Filia Henrici III. Iudith est nominata, Sophia — falso — tantum a scriptore Gestorum nominatur (Wertner pp. 130 sq.). Kristó

(1966, pp. 12 sq.) — sententiam Pauler (I, p. 429) probans — nomen Sophia huc tantum confusum cum nomine filiae Belae II., quae item Sophia est nominata, adferri potuisse arbitratus est. Gerics (op. cit. ItK 78 [1974] 291) commutata nomina haud magni momenti ad aetatem definiendam esse putat et Iudith in Hungaria forte alio nomine quoque memorari potuisse profert.

filio regis Frantie — Rex Francogalliae tempore sponsalium Henricus I. (1031—1060) fuit. Propositum filii eius, Philippi, qui Iudith secum matrimonio coniuncturus fuit, Wertner (p. 131) ideo conjecturam falsam scriptoris Gestorum putat, quia, sicut dicit, heres regni Francogalliae tantum anno 1053, ergo post propositum sponsalium Hungaricorum excogitatum natus est. Quia nemo ignorat disceptationes Hungarico—Teutonicas anno 1057 fuisse, propositum pactionis nuptialis Francogallicae ex auctoritate Gestorum considerari non potest. Mentio filii regis Francogalliae tantum in familia Chronicorum Picti invenitur.

pacem cum cesare composuerunt — Imperator Henricus III. die 5 mensis Octobris anno 1056 mortuus est, successor eius filius sex annorum, Henricus IV. factus est, qui tutela matris, Agnetis Aquitanicae regebatur. Itaque pax recentior atque sponsalia eam confirmantia iam Henrico IV. regnante facta sunt, sed forsitan iam Henricus III. filiam Salomoni desponsaverit (Gericus p. 75).

313 *immensorum usonum* — Acupenser huso in flaviis Hungariae medio aevo aestuaria lata inundantibus piscis vernaculus erat. Quo modo hic piscis captus et sale asservatus foras exportatus sit, in argumentis diplomatum saepe memoratur.

infusi mortui sunt — Descriptio nullis argumentis historicis nititur, anno 1051 res huiusmodi ne cogitari quidem potest, nam anno insequenti imperator bellum iteravit. Narratione scriptor Gestorum tantum munificentiam regum Hungariae demonstratus fuit.

residui vero — Textus a vocabulis “Plurimi etiam” usque ad haec verba tantum in familia Chronicorum Picti continetur.

Wertes hegrie — Pars montium Mediorum Hungaricorum (Magyar Középhegység), quae a monte Bokon (Bakony) usque ad montes Dunazug nominatos (montes in flexu Danubii) porrigitur, etiam hodie lingua Hungarica mons Vértes nominatur et significat ‘loricatus, loricam habens’. Vocabulum quidem “clipeus” significat Hungarice pajzs (Szamota—Zolnai col. 739), tamen in latiore vocabuli sententia quoque usitatum est. In indice vocabulorum Schläglensi nominato adhuc cum significatione Hungarica “vérte” (‘lorica, thorax’) adnotatur (Szamota I., A schlägli magyar szójegyzék a XV. század első negyedéből [= Index vocabulorum Hungaricorum nominatus Schläglensis in prima parte quarta saeculi XV], Bp. 1894, p. 30). Anonymus explicationem nominis in Gestis repetit (SRH I, 99. Cf. Cornides pp. 203 sq.).

Schylperg — Interpretatio a Th. addita est et probari potest. Nomen

Germanicum montis etiam hodie usitatum est (I. Lipszky, *Repertorium locorum obiectorumque*, Buda 1808, tantum nomen Hungaricum adnotat. Consequenter vocabulo “das Schildgebirge” utitur A. O. Isbert, *Das südwestliche ungarische Mittelgebirge [Deutsche Hefte für Volks- und Kulturbodenforschung, Abhandlungen Nr. 1]*, Langensalza—Berlin—Leipzig 1931).

⟨71.⟩

Caput ab auctore Gestorum veterum est conscriptum, quod pluribus locis posterius transcriptum est.

De coronatione ... eiusdem — Index ex indicibus capitum Chronicorum Picti et Chronici Budensis contractus est: V: “De coronatione Salomonis patre suo Andrea rege adhuc vivente”; B: “De nuptiis Salomonis cum domina Sóphia quomodoque in pueritia per patrem coronatus est” (SRH I, 351).³¹⁴

rex ... concederet — Rex Andreas I. fortasse iam cum imperatore Henrico III., mox cum vidua huius, cum Agneta Aquitanica de matrimonio Salomonis et filiae imperatoris, Iudith egit. Iudith anno 1047 est nata et quinque annis natu maior erat, quam Salomon (Paurer I, p. 105).

fluvium Morua celebratis — Morava fluvius terminalis Hungariae septentrionalis-occidentalis medio aevo est, ad Devinum (hodie Dévény, Devín) se in Danubium effundit. Campus iuxta fluvium Moravam nominatus, Germanice Marchfeld, Bohemice Moravské Pole, ubi sponsalia fieri potuerunt, planities contra Viennam inter ripam sinistram Danubii et ripam dexteram Moravae sita est.

Regalibus ... reversi — Imperator nimirum non Henricus III., sed puer Henricus IV., sponsa autem soror huius est. Res accuratius, quam in Gestis, in Annalibus Altahensis ad annum 1058 est descripta: “legati Ungrorum sepissime veniebant pacemque fieri postulabant et, ut haec verior firmiorque haberetur in posterum, regis sororem filio domini sui, nomine Salomoni, dari postulabant in coniugium. Hoc ubi tandem regni primatibus complacuit, rex cum matre in fines Ungarie venit, utriusque regni primores iureiurando pacem firmare fecit, sororem tradidit et mox se in Franciam recepit” (Gombos I, p. 102). Tempus conventus medio Septembri anno 1058 fuit (Paurer I, p. 105).

hiemali — *S* et *V₄*: “yemali”, *V₃*: “hevinali”, in ceteris variantibus plerumque forma: “nivali” invenitur (SRH I, 351).

Post mortem ... Andree regis — Inter tempus obitus Sancti Stephani (20. Aug. 1038) et tempus initii regni Andreae I. (Dec. 1046) non 11 1/3, sed 8 1/3 anni peracti sunt. Quia scriptor Gestorum in sequentibus tempora regni Petri (5 1/2 anni) et Abae (3 anni) accurate adnotat, fons erroris in duabus rebus esse potest: scriptor Gestorum aut annum, quo Sanctus Stephanus

obiit, haud bene compertum habuit atque ideo pro anno 1038 annum 1035, aut annum, quo Andreas regnum occupavit, falso adnotavit pro anno 1046 annum 1049 scribens. Scriptor Gestorum Andream regnum occupavisse anno 1047 pro Decembri anno 1046 iam in capite quodam superiore (SRH I, 344, caput 86, Th. caput (69.), sent. 303) adnotavit, itaque principium erroris non hic quaerendum est. At pars, in qua obitus Sancti Stephani memoratur, eo, quod non numerus anni calendarii, sed numerus eorum annorum, quot annos Sanctus Stephanus regnavit, et quidem falso (SRH I, 321, Th. caput (61.), sent. 267) adnotatus est, occasio hoc loco summae falso factae esse potuit, etiam si ambo errores, quod ad numeros attinet, inter se non congruunt. Res e ratione scribendi propria scriptoris Gestorum explicari potest, qui tantum spatum annorum, quo reges regnabant, adnotavit, ipsos autem numeros annorum vix observavit. In descriptione rerum inter annos 1038–1060 gestarum tantum duo numeri annorum adnotati inveniri possunt (1042: SRH I, 326; et 1047: Idem 344, Th. capita (63.) et (69.)), res quidem vocabulis “seuenti anno”, “eo tempore”, “postquam” discernuntur. Quoniam scriptor in fonte, in Annalibus Altahensibus res omnes ad numeros annorum descriptas invenit, eo, quod numeros annorum omisit, se res continuo traditurum et numeros annorum constanter adnotare sibi molestum esse affirmat. Ipse quoque numeros annorum omnino omittere haud possibile arbitratur, tamen eos compensare notabiles res quasdam memoratu dignas commemorare sat esse putat. Haec ratio scribendi iam rebus saeculi X tractatis observari potuit. Ibi scriptor narrationem rebus certis accurate adnotatis composuit — numeris annorum omissis — et intervalla rerum identidem tempus quieti datum nominavit, hic autem, ut etiam e textu nostro patet, annos regibus singulis regnantibus peractos ante oculos habuit. Idem tempora inter duas aetates iacentia adnotando simili modo egit enuntians pro anno obitus Sancti Stephani numeros annorum regni eius. Id est, ratio scribendi eius sine dubio consequens est, quae etiam si argumento gravi non est, ut identitas auctorum textuum singulorum demonstretur, tamen hanc identitatem possibilem esse non refellit. Ex eo, quod tempus regni et Sancti Stephani et Petri scriptor ad menses accurate notum habuit, recte concludi potest ei in manu talia scripta fuisse, in quibus ratio horum ipsorum intervallorum ducta est. Compertum habere, quo die primum annum regni sui reges singuli finivissent et quo die alterum annum regni ipsi inciperent, temporibus posterioribus, cum in diplomatis regiis anni regni adnotarentur, ad cancellarium pertinebat, at quidem fortasse iam tunc quoque. Profecto index regum in aula regia scribi potuit, et, qui eum confecit, notarius regis, posterior cancellarius esse potuit. Index solide et accurate confectus stimulos scriptori admovere debuit, ut tempora incursionum, de quibus adnotationes in Hungaria confectas ipse in manibus non habuit, simili modo tractaret. Ex his omnibus tamen id quoque sequitur, ut textus, qui explicatur, non summarium putari debeat, nec introductio operis recentis a scriptore novo conscripti credatur.

Secundum Horváth (pp. 307, 330) e consummatione chronologica affirmari potest textum Gestorum veterum temporis Andreeae I. hic interruptum esse et continuatori chronologia constituenda opus fuisse. Gerics (p. 80) id ostendit, quod consummatio chronologica genuine non omni modo hoc loco descripta erat, sicut in textu Chronicus Zagabiensis (SRH I, 207) nunc quoque post obitum regis Stephani et ante initium regni Andreeae legi potest. Contra sententiam Horváth, secundum quem consummatio in Gestis eo loco, quo nunc est, haud multum valet (p. 307), Gerics affirmavit: in Gestis consummatio nunc quoque eo loco descripta est, qui argumentis bene explicari possit, nam statim post eam de coronatione regis novi agitur (p. 80).

Salomonem ... coronari — Anno duodecimo Andreeae I. regnantis a 315 tempore coronationis (Dec. anno 1046) respondet annus 1057/58. Coronatio Salomonis (anno 1057) ante sponsalia sua cum Judith fuit (Pauler I, p. 105).

Esto dominus fratrum tuorum — I. Mos. 27, 29.

Cum autem ... est indignatus — Descriptio rei secundum sententiam argumentis confirmatam Zoltán Tóth (pp. 131 sq., 125; Idem, A magyar királyi lándzsa történetéhez [= Ad historiam lanceae regiae Hungaricae], in Károlyi Ekv p. 539) conveniens cum aetate est et a teste et spectatore orta est. Formula “*Esto dominus*” enim pars ordinis coronationis Anglo-Saxonici est, ab ordine Germanico deest, et quia saeculo XII in Hungaria iam ordo Teutonicus valuit, scriptor quidam posterior, qui temporibus suis res factas esse cogitavit, nullo modo eam attulisset, nam eam iam compertam quidem non habuisset. E formula ad aetatem proprie adiuncta Zoltán Tóth indignationem ducis Belae ingenuose interpretatur. Dux veri similiter ideo ex interprete sciscitatus est, quid cantus Latinus significaret, quia momentum cum cantu coniunctum ritus ordinis Anglo-Saxonici animum excitavit. Hoc momentum deditio lanceae fuit, quae lancea potestatem significat, quod dux notum habuit et cuius significationem bene noverat. Intellegi ergo potest consternatio eius, cum audiret textum Latinum puerum Salomonem admonere, ut patruis suis imperaret. Secundum sententiam alteram, quam Emma Bartoniek profert (p. 35; Eadem, A magyar királyáavatáshoz [= Ad unctionem regum Hungariae], Száz. 57–58 [1923–1924] 297), descriptio huius rei et formula aetati unicae restrictive adiungi non possunt, quia possibile videtur ordinem Anglicum Ethelred nominatum usque ad finem aetatis stirpis Arpadianae usitatum fuisse, nam Andreas III. — de quo post coronationem Salomonis argumentum superest — anno 1290 secundum ritum Anglicum coronatus est. Res a Th. ex familia Chronicus Picti textum verbosiorum continentis descripta est, solum verbum “*canceretur*” cum membris familiae Chronicus Budensis congruere videtur.

Dicunt alii ... — Adnotatio chronographi cuiusdam aetatis posterioris 316 non sermonem significat, sed textum Gestorum veterum, demonstrans etiam opus — id est Gesta vetera — exstisse, cuius opinio suae opinioni contra Andream — Salomonem conversae discrepabat, e quo igitur transtulit

coronationem Bela filiusque eius comprobantibus factam esse, atque cuius vestigiis ingrediens discordiam Salomonis cum ducibus ortam enarrat (Gericz pp. 64 sq.).

cunctisque regni optimatibus — Vocabulum “optimates” primores regni significans in decretis Sancti Ladislai et in decretis synodi in civitate Zabolch anno 1092 habitae, item in diplomatibus usque ad medium saeculum XII iterum ac saepius inveniuntur (Szilágyi op. cit. Száz. 71 [1937] 12 sq.).

Uarkun — A Domanovszky locus cum villa in comitatu Posoniensi Varkun (Hungarice Várkony, hodie Vrakúň, ČSSR) identificatur, quae a loco Szerdahely nominato (hodie Dunaszerdahely, Dunajská Streda, ČSSR) ad meridiem sita est. Argumentum eius, ex quo villam genus Gutkeled possidebat, cuius generis membra in bello fraterno partes Andreae et Salomonis sequebantur (SRH I, 354, adnot. 1) ad probandum haud firmum videtur. Nam hic locus Varkun non solum villa parva fuit, sed etiam ineunte saeculo XIX nedum per eam, at ne in propinquu quidem via principalis ferebat. Sed locus Varkun ad fluvium Tisciam (hodie Tiszavárkony) a civitate Zonuk (hodie Szolnok) ad meridiem situs, qui in diplomate quodam nomine Varkun anno 1301 memoratur, portus magni momenti erat (Csánki I, p. 671), atque ita omnino rectius videtur sententiam Paurer (I, p. 106) probando hanc villam cum loco congressus identificare.

ducatum — De ducatu v. caput (69.), sent. 306.

317 *principes* — V. caput (62.), sent. 271. Significatio vocabuli, quod hic membra comitivae regiae significat, in Hungaria, ut videtur, non tantum mutata est, quantum in diplomatibus cancellariae imperii Teutonici (cf. H. Koller, Die Bedeutung des Titels “princeps” in der Reichskanzlei unter den Saliern und Staufern, MIÖG 68 [1960] 63 sq.).

comes preconum Nicolaus — Vocabulum “praeco” (Hungarice csősz) significat: ’custos’, ’praeco (pronuntiationum)’ et ’custos carceris’ (Etym. Szótár I, col. 528; Heckenast p. 11). Saeculo XIII, cum membra comitivae regiae, quae principio muneribus aulicis functa erant, munera sua in dignitates regni summas transformaverunt, dignitas “magister praecorum” non orta est. Munus, quo saeculo XI “comes praecorum” fungebatur (in diplomate anni 1165 nomen “comitis praecorum” Michud [Zichy I, p. 2], in diplomate anni 1255 nomen “comitis praecorum” Tristani filii bani Buzad [Wenzel XI, p. 422] servatum est), saeculo XIII officium “magistri ianitorum” factum est. Sed nomina (praeco ~ ianitor) simpliciter mutata esse haud affirmari possunt. Ipsum munus “praeconis” et “custodis carceris” consuetudinibus aulicis magis expolitis in existimatione hominum vilius factum esse videtur.

accipe gladium — Sententia, ex qua signum “ducatus” gladius est (Györffy, Tanulm p. 38), proprium aetatis illius esse videtur. Nam exeunte saeculo, anno 1095, cum Colomanus regno potitus est, frater natu minor eius, Almus quoque, ut possessor ducatus, veluti rex ipse diadema accepit

(Annales Posonienses SRH I, 126), id est tunc iam non gladius erat signum potestatis ducatus (Tóth, in Károlyi Ekv p. 545).

acta fuit — Sic tantum in *V₃* scriptum est; in ceteris variantibus forma “fuere” (SRH I, 355) invenitur.

sibi Leuente dederat — E vocabulo Hóman coniecturam fecit Levente e 318 tribus fratribus natu maximum fuisse, ergo post Petrum solium ei debitum esse, ipsum autem regno pro Andrea abdicavisse (M. tört. I, p. 261; similiter Sz. Vajay, op. cit. Südost-Forschungen 21 [1962] 70 sq.). Historici Hungarici priores adnotationi scriptoris Gestorum hanc sententiam non attribuerunt et Levente e tribus fratribus natu minimum fuisse arbitrati sunt (Wertner p. 113; Paurer I, p. 75; Marczali op. cit. in Szilágyi, II, p. 49).

dux discordaverunt — Pars capitinis vocabulis “Dicunt alii” (sent. 316) incipiens atque his verbis finita — caput 92 Gestorum — tantum in familia Chronici Picti et in *A* servata est. Textus primus in *A* continetur, a Th. codex quidam familiae *V* usitatus est. Fabula, quae “actus Varkunensis” nominatur, in capite 92 Gestorum inserta opus poeticum est. Haec fabula iam ante annum 1075, ergo paullo post conventum Varkunensem orta esse potuit, praesertim quia in ultima quarta parte saeculi XI iam non gladius, sed diadema fuit signum ducatus. Sententiae, quo tempore “actus Varkunensis” descriptus sit, valde dissentunt. Gerics (pp. 65, 83) aetate Salomonis, Csóka (pp. 419 sq.) temporibus Belae II.—Geysae II., Kristó (1972, Ethn. pp. 57 sq.) autem textum in capite 92 Gestorum servatum tempore Colomani ortum esse arbitrantur.

ad sacerum suum — Affinis Belae — uxoris frater — Casimirus I. (1034—1058) fuit, cui filius, rex Boleslaus II. Audax (Bolesław Śmiały) successit (1058—1079).

rex ... ad imperatorem sacerum suum — Puer Henricus IV. (qui anno 1050 est natus) affinis non regis Andreae I., ut e verbis scriptoris Gestorum concludi potest, sed affinis Salomonis erat (cf. Gerics pp. 76 sq.). Uxor, liberi et nurus Andreae I. una cum thesauris regiis comite Tiboldo comitante apud marchionem Austriae Ernestum in Melico (hodie Melk) refugium habuerunt (Paurer I, p. 107).

plurimi primates Hungarie — Vocabulum “primates” — in sententia vocabulorum “principes” et “optimates” — proceres significat atque ab anno 1075 in diplomatis, uno loco autem in decreto regis Ladislai quoque, usque ad annum 1172 invenitur. Ab hoc anno in hac sententia verbum in diplomatis Hungaricis iam non usitatum erat (Szilágyi op. cit. Száz. 71 [1937] 13 sq.).

Wilhelnum — Sic solum in *V₄* scriptum est. Wilhelmus Vinariensis 319 marchio de Misna erat. (Etiam de familia eius v. caput (46.).)

Poth — Filius comitis palatii Bavarii est, Boto Fortis nominatus. (V. caput (41.).)

Ducem ... attinebat — Dux Moraviae, Vratislaus II., qui frater natu minor ducis Bohemiae, Spytihnev erat, filiam Andreae I., Adelheidam uxorem

duxit, cum adhuc profugus in aula regis Hungariae se tenuit (Paurer I, pp. 104 sq.; Wertner pp. 123 sq.).

320 *Wilhelmus ... comprehensis* — Paurer (I, p. 108) argumentis fontium accurate comparatis res sic peractas esse effingit: proelium de summa rerum in regione Transtisciana decertatum est, unde Teutoni victi assiduis certaminibus non intermissis se recipiebant, tamen fines transire iam nequierunt et aut ceciderunt, aut capti sunt.

321 *ad portas Musun* — V. caput (68.), sent. 301. Secundum scriptorem Annalium Altahensium Bela regem Andream “cum magno exercitu insequitur, subitoque in ipsis faucibus viarum, quas portam regni vocant, a tergo adgreditur” (Gombos I, p. 102).

silva Bokon — Saltus silvis vestitus Bokon (Bakony) a lacu Balaton ad septemtriones porrigitur. Vocabulum saltus origine nomen personale Hungaricum est, nam forma appellationis blandientis est, quae e nomine Hungarico Bok suffixo -n addito derivatur. Ut vocabulum loci primum nomen comitatus erat, qui comitatus silvae Bokon erat, mox nomen silvae regionem comitatus obtegentis erat (Melich pp. 402 sq.).

ad curtem — Vocabulum “crucem” in *b* et *a* inventum sententiam hoc loco non habet. Quia in *R B D* hoc loco vocabulum “ad villam” invenitur, vocabulum “crucem” falso pro “curtim” scriptum est (cf. Paurer I, p. 108). “Curtis” est sedes oeconomica possessionum regum vel dominorum terrae, quae labore “servorum” innituntur. In Hungaria nomen eius magis usitatum “curia” erat (Bolla I., A jobbágytelek kialakulásának kérdéséhez [= Ad quaestionem, quo modo sessio iobagionalis conformata sit], Annales 3 [1961] pp. 98 sq., 101; Szabó op. cit. ASz 5 [1963] 16 sq., 313).

Stircz — Locus Zirc in silva Bokon (Bakony), in comitatu Vesprimensi est. Rex Bela III. hic anno 1182 monasterium Cisterciense cum monachis immigrantibus ex abbatia Claravallensi (Clairvaux) Francogallica condidit, quod etiam abbatia de Bokon est nominatum (Békefi R., A pásztói apátság története [= Historia abbatiae Paztuhensis], I, Bp. 1898, p. 29; Horváth K., Zirc története [= Historia de Zirc], Veszprém 1930, pp. 2 sq.).

Thihon — V. caput (69.), sent. 306.

dux Bohemorum ... exoculatus — Successor ducis Spytihněv frater natu minor, Vratislaus, gener Andreae I. factus est.

Wilhelmus ... permisit — De Wilhelmo Vinariensi et de Boto Forti in Annalibus Altahensibus accuratius scriptum est: “Capti sunt etiam ... Willihalm Saxonius marchio, comes Poto aliique quam plurimi. Inter multos autem, qui ibi fortiter pugnavere, virtus duorum tamen emicuit maxime, scilicet Willihalmi marchionis et Potonis comitis. Hii enim, dum nostri caederentur, in quodam eminentiori loco substitere, tantamque stragem fecere, ut ea, quae pridem de fortissimis quibusque admiratu digna habebantur, modo in comparatione istorum parva videantur. A vespera enim usque ad ortum solis pugnantes, nequaquam a tot militibus capi potuere, donec accepta fide publica semet ipsos dedere” (Gombos I, p.

102). Rex Bela intercedente filio, duce Geysa, quem marchio de Misna sibi amicum fecit, Wilhelmum Vinariensem liberum dimisit, immo quidem filiam suam, cui nomen erat Sophia, uxorem ei despondit. Wilhelmus Vinariensis sic placatus e Hungaria discessit et iam sponsam secum domum ducturus fuit, sed mors eum (anno 1062) a proposito efficiendo prohibuit. Tamen coniunctio affinitatis inter familias marchionis et regis Hungariae facta est, nam Sophia marchioni Istriae et Carniolae, Ulrico, fratri patruei Wilhelmi Vinariensis — mox post mortem huius duci Saxoniae, Magno — nupsit (Wertner pp. 144 sq.; Paurer I, pp. 108, 110 sq.).

⟨72.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est interpretatione saeculi XIV inserta.

De coronatione ... eiusdem — Index ex indice capitinis Chronici Budensis 322 — “De coronatione, vita et morte regis Bele primi” (SRH I, 358) — supplemento a Th. addito factus est.

Benym — V. caput ⟨66.⟩, sent. 288.

Dux ... coronatus — Coronatio die 6 mensis Decembris anno 1060 peracta est. Diem solum e chronicis Henrici de Mügeln notum habemus (Paurer I, pp. 108, 430. Cf. SRH II, 172: “Do der herczog Bela gesigt ... do zoh er gen Weyssenburg und liesz sich kronen an sant Niclos tag”), quoniam autem ille Gestis aetatis Stephani III. usus est (Hóman pp. 69, 72), hoc indicium e Gestis veteribus ortum esse potest. — De coronatione v. caput ⟨57.⟩, sent. 258.

nummos ... ex purissimo argento — Quaestione metrologica de nummis saeculi XI adhibita vere affirmatur Belam adhuc ducem tales obolos excudere iussisse, qui ex pondere plurimo minimoque 0,692 grammatum et ex diametro 18—20 millesimarum metri partium pretiosiores fuerunt, quam nummi leviores Andreeae I. vel oboli Salomonis 12—17 millesimarum metri partium vel etiam nummi externi eiusdem aetatis (Hóman, Péntört. p. 220). Rex autem factus ad nummos centesimis vicenis quinque leviores cedendos transiit, itaque oboli novi sui ab obolis Andreeae I. non differunt (Hóman l. cit. pp. 216, 218). Laudatio ergo scriptoris Gestorum, quia valor nummorum argenteorum Hungaricorum saeculi XI aequalis est (valor eorum congruit cum “decima combustione”, id est nummi ex argento valoris 0,900 excusi sunt, v. Hóman l. cit. p. 212), nullo modo ad nummos aetate regis Belae I. excusos referri potest.

mercatores ... congregare — De eo ordine hominum liberorum, qui copiis rei familiaris infimus erat, v. caput ⟨64.⟩, sent. 278. Nullum quidem argumentum, an vocabulum “simplex” usitatum fuerit, superest (comparatio Szilágyi similitudines vocabuli “rusticus” non amplectitur, cf. Száz. 71

[1937] 10, 14), atque ita hoc vocabulum magis litterarium videtur, tamen ad synonymata saeculi XI tantopere accommodatur, ut ad illud tempus aptum dici possit. Dictum tamen, quod mercatores et cambiatores argentarii non ab externis, neque a proceribus, sed e labore hominum simplicium et rusticorum lucrum fecerunt, notitiis nostris de saeculo XI haud congruens est. Saeculo XI in Hungaria mercium procreatio adhuc non erat (Elekes—Lederer—Székely pp. 143 sq.), nam ipse Hóman — propugnator fidei Gestorum — concedere cogitur commercium pecuniarium exeunte saeculo XI “status magis in mente regis excogitatus, quam vere effectus erat”, mercatura autem “adhuc in cunis mota est”, id est “gradus rerum oeconomiarum maximae partis regni adhuc cum rebus frumentariis congruens fuit” (Hóman B., A XI. századi pénzromlás és a magyar hercegek pénzverése [= Vilitas pecuniae saeculi XI et quaestio, quo modo duces Hungariae nummos excudere iusserint], Akadémiai Értesítő [= Acta Academica] 27 [1916] 611).

323 *secundum statutum ... circumventione* — Quod cambiatores argentarii plebem fenore trucidabant, ex eo conatu regum consecutum est, ut nummos recentes pretii minoris excudendo vel nummis eiusdem pretii excusis vetustiores nummos commutare novis excusis iubendo lucrum maius caperent. Nummus autem circumcisus, id est mutilatus iam lucrum privatum cambiatorum argentariorum auxit. Bela adhuc dux per annos duodecim eodem pretio pecuniae obolos gravis ponderis excudi iubebat et haec diurna stabilitas ipso facto effecit id, quod etiam scriptor Gestorum prodit.

Iste ... emendo — Permutatio mercium ad forum, ad locum mercatus adiuncta erat, quia regi hoc modo occasio oblata est, ut tributa exigendo et mercatura subiectorum lucrum caperet. Inspectio permutationis mercium localis et tributum exigendum munus comitum erat, qui id, sicut ex argumentis posterioribus quoque cognoscitur, per procuratores exercebant. Nundinae diebus nundinariis (diebus dominicis) habebantur. Huius rei testimonium est ipsum nomen Hungaricum diei dominicae “vasárnap” ‘dies mercatus’ (Bárczi p. 333), quod usque ad hodiernum diem ostendit homines ecclesia Christiana condita in Hungaria singulis hebdomadibus “ad ecclesiam concurrere” et missam audire obligatos coniunxisse obligationem cum necessaria permutatione mercium, quibus utebantur in rebus domesticis. Praescriptiones ecclesiasticae et oeconomicae, quibus homines cogebantur, una editae sunt et efficacitas alterius ab altera invicem adaugebatur. E decreto Sancti Stephani generali omnes denae villae unum templum aedicare et sustentare debuerunt (II, 1., Závodszky p. 153), atque haec ratio ad extensionem localem fororum statuendam valere potuit. Institutum regis Belae, ex quo dies nundinarum de diebus dominicis in sabbata translati sunt, fidem Christianam corroboratam esse significat. Item mercatoribus Iudaicis damnosum fuit, quos praecpta religionis suae sabbatis negotia confidere vetuerunt. Sententiae in diversa tendunt aestimantium, institutum

regis acerbitatem in populum Iudeorum emissurum fueritne, an non. Kohn (pp. 52 sq., 336) ipsam possibilitatem tale propositum instituti quaerere negavit, Hóman autem consilium mercatorum Iudaicorum prohibendorum pro certo habuit (M. Tört. I, p. 291).

Argenteos ... census erat — Vocabulum “Bizantius” significat: ‘solidus aureus Byzantius’, nomine magis frequentato: “pensa auri”, id est ‘aurum ponderatum’. Hic solidus idem est ac nummus aureus Byzantius in Hungaria saeculo XI divulgatus, cuius pretium unus iuvencus erat, sexaginta obolorum argenteorum autem a Sancto Stephano excusorum eiusdem pretii atque ille fuerunt (Hóman, Pénztört. pp. 132 sq., 163 sq., 188). Cum rex Bela ad pecuniam vilioris pretii transiret, octoginta nummi regis Belae eiusdem pretii atque unus Bizantius habitu sunt. Hóman hoc imminutum pretium oboli argentei Hungarici pro re prospera aestimat, quod mirum videtur. Magis reprehendi potest ratio eius, ex qua — quamquam ipse quoque affirmit Belam tantum obolos excudi iussisse — pro obolis 80 assidue denarios 40 memorat. Proportio pretii denarii et oboli vere 1:2 est, tamen in verbis Hóman obscuratur, quod in Hungaria saeculo XI denarii omnino non excusi sunt (Pénztört. p. 231). Hóman evidenter eo adductus est, ut fidem narrationis Gestorum augeret et id demonstraret, quasi narratio ad verbum cum sententia numismaticorum congrueret (cf. rem cum oratione eius de Gestis habita pp. 219 sq.). Quoniam impossibile est credere scriptorem Gestorum, cuius in manus tantum oboli pervenerunt, horum numerum assidue dimidia ex parte minuentem de denariis, qui non erant, scripsisse et horum quadraginta cum uno Bizantio identificavisse, magis logicum videtur scriptorem ea aetate collocare, in qua denarii Hungarici iam usitati erant, narrationem autem quasi res aetatis scriptoris retro projectas comprehendere (cf. Pauler I, pp. 431, 508). Haec aetas non prior, quam regnum Sancti Ladislai esse potest. Non solum denarii argentei ex aetate Ladislai supersunt, sed ii etiam in decretis regis iterum ac saepius nomine “denarii” et “nummi” nominati memorantur (Hóman I. cit. pp. 231, 224).

et nunc ... videbantur — Pensa 40 denariorum ut pecunia computandi saeculis XII—XIV pariter usitata erat, relatio igitur ad eam non necessario aetate Sancti Ladislai, sed posteriore tempore quoque orta esse potest (cf. Erdélyi, Kézai pp. 22 sq.). Scriptorem saeculo XII vixisse imprimis eo argumento approbari potest, quod auctor nominationem “bizancius” adhuc noverat, atque compertum habuit bizancium non solum pecuniam computandi esse et omnino scivit denarios quadraginta cum nummo aureo identificatos esse (Hóman, Pénztört. p. 165). Gerics e parte Gestorum, in qua de ratione nummorum excudendorum agitur, coniecturam ulteriora prospicientem facit. Documento eam esse videt, quod scriptor Gestorum veterum aetatem Belae I. quoque tractavit. Nam ita interpretatur: descrip-
tio, quia de nummis excudendis bis loquitur, retractatio cuiusdam operis esse debet, et quia textus noster exeunte saeculo XI et ineunte saeculo XII

ortus est, “narratio non interpolata, textus nec rescriptus neque correctus (in cuius parte quadam denarii primum memorati quoque continentur) pars reliqua Gestorum conscriptorum ante saeculum exeuntem habenda est”. Scribendi genus scriptoris Gestorum hanc conjecturam non affirmat. Initium bis repetitum in textu agnosci non potest (Boronkai I., ItK 67 [1963] 109). Scriptor ex institutis oeconomicis Belae I. — quae rationem nummorum excudendorum et statuta fori spectant — primum rationem nummorum excudendorum memorat, sed quoniam ei in mentem incident res noxiae monetas depravatas consequentes, de his secum meditatur et adiungit fora translata, et quia animadvertisit se paullo digressum esse, credit ad primam quaestionem adhuc non finitam. Interpolator quidem verba sua — ut opinio nostra fert — proxime post rationem nummorum excudendorum memoriam inseruisse, itaque sententiae inter se nexae indicia sunt, quod textus uno tenore conscriptus est.

324 *Omnibus ... moneta* — Vocabula “mutatio monetae” vel “renovatio monetae” in Latinitate Hungarica saeculorum XII—XIII permutationem vi coactam monetarum interdum factam significant, quae testibus monumentis iam Andrea I. regnante incepit (Hóman, Pénztört. p. 221). Bela, adhuc dux, renovationibus crebris monetae non est usus et, quod ad hanc rem attinet, laudatio scriptoris Gestorum probabilis est. Hóman quidem hoc etiam Bela rege valuisse putat, tamen ipse quoque confirmat regem, simulatque regno potitus est, “ad novam, levioris pretii pecuniam transiisse”, quod tamen addit Hóman propria et principali significatione “mutatio monetae” haberi non posse; secundum Hóman scriptor Gestorum non dicturus est Belam ipso regnante “semel monetas emisisse; tantum eum quaestui emittendarum saepe monetarum non servivisse” (op. cit. p. 221). Sicut hoc argumentum grave esset de rege quodam per decennia regnanti dictum, ita invalidum ad Belam I. pertinens est, qui tantum tres annos in sede regia sedet.

322—324 *Inter cetera ... digna memoria* — Sententiae virorum doctorum discrepant de quaestione, quo tempore instituta oeconomica Belae I. descripta sint, itaque indirecte de quaestione quoque, quam fidem descriptio haberet. Secundum Hóman haec pars Gestorum paullo post obitum Belae scripta est, scriptor chronicus homo aetate regi proximus et rerum valde peritus erat (p. 66; Idem, Pénztört. p. 222); sed idem ipse (l. cit., Akadémiai Értesítő [= Acta Academica] 27 [1916] 612) de hoc capite disserens scriptorem saeculi XII Gestorum memorat. Gerics (pp. 64 sq.) conscriptionem capitis primam, non interpolatam neque mutilatam e Gestis veteribus ortam esse arbitratur, quae Gesta, ut ipse putat, aetate Salomonis conscripta sunt, Csóka (p. 549) adnotationem prosperorum eventuum oeconomicorum Belae aetate Sancti Ladislai, Horváth (pp. 305, 319) autem caput tempore Colomani ortum credit. Marczali (in Szilágyi, II, p. 71) multa elementorum regni Belae III. in hac imagine rerum oeconomicarum implicata esse indicavit. Similiter arbitratus est Domanovszky (p. 131), secundum quem

res pecuniariae ad aetatem Belae III. quadrant, atque tota descriptio impressionem dat, velut si hic regnum Belae III. cum regno Andreae II. comparatum sit.

Alleviavit ... exactiones — “Exactio” vel “collecta” est nominatum 324 tributum extraordinarium, quod ex iure summi imperii regis impositum est, et cuius nota autocratica etiam nomine ipso demonstratur. Vocabulum in sententia vulgata primum anno 1192 apparet in diplomate Hungarico (Pannonh. I, p. 615), accuratius anno 1198 (Theiner I, p. 68). Cum tributa extraordinaria aetate Andreae II. (1205–1235) stabilirentur (v. caput 〈66.〉, quamquam anno 1217 in privilegio ab Andrea II. cruciferis concesso adhuc semper in sententia vulgata scriptum est: “nec liberos denarios vel pondera, nec descensum, nec aliam publicorum vectigalium exactiōem, que aliquo casu vel occasione in regno nostro posset emergi, persolvere teneantur”, Theiner I, p. 17), et cum instituta regia ederentur, quae possessoribus latifundiorum ecclesiasticorum potestatē “exactiōis”, quam rex populis suis postero tempore impositurus est, ipsis exigendae dederunt, denominatio certe definitam sententiam accepit. In privilegio abbatiae Cisterciensis in Monte Sanctae Mariae (Borsmonostor, in comitatu Soproniensi) concesso anni 1224 vocabulum “exactio” iam aperte genus tributi significat: “dedimus eis [fratribus monasterii] omnes exactiones et census, qui super populos eorum succedente tempore qualicunque de causa per nos aut per successores nostros in perpetuum emergere poterunt, ut nec nobis nec aliquibus aliis nisi solum usibus iam sepe dicte ecclesie colligantur” (Sopron vm. I, p. 16; cf. Szentpétery, Borsmonostor pp. 77 sq., 115). Conscriptio Gestorum vocabulo “exactio” in sententia ‘tributum’ adhibito omnino anachronistica videtur etiam ad iniens saeculum XII relata, sententia autem textus aetati Belae I. minime convenit. Impossibile videtur secunda parte saeculi XI regem summam tributi cuiusdam generalis et consueti deminuisse et quidem commoda tributariorum tuentem, etiamsi hoc collatio fructuum esset, et item haud veri simile est regem — animo “opus pietatis” reputantem — debita ecclesiastica allevaturum fuisse. Enuntiatio serotina et a scriptore aetatis Andegavensium interpolata videtur, atque signum conatus cuiusdam, qui tributum extraordinarium “exactio” nominatum sublaturus erat, haberi potest. Secundum monumenta diplomatica saeculi XIV — ut constitui potest — vocabulum “exactio” ab usu recessit et vocabulo “collecta” — synonymo quidem — locum dedit (cf. Illés J., Az Anjou-kori társadalom és az adózás [= Societas et tributum solvendum aetate Andegavensium], Bp. 1900, pp. 46 sq.; Székely Gy., A parasztság állami terheinek növekedése és a polgárság bekapcsolódása a jobbágyság kizsákmányolásába [= Debita publica rusticorum ingravescentia et adjunctio civium spoliationi iobagionum], in Székely, Tanulm. pp. 379 sq.). Nominatio “exactio” exeunte saeculo XIV haudquaquam in usus esse desiit, immo etiam ineunte saeculo XV in diplomatibus invenitur, tamen multo rarius, quam vocabulum “collecta” (cf. index Zs. O. I—II), itaque

sine dubio recessit, ac provideri potuit aetate Andegavensium iam nullum usum habiturum esse. Continuator ergo Gestorum saeculo XIV processum suis oculis visum quasi acceleraturus erat. Aetate Th. vocabulum “exactio” etiam usitatum esse potuit, quamquam vocabula recentiora similis sententiae, sicut “taxa” prodibant, itaque Th. textum haud omnino monumentum historicum habuit. Hoc ex eo quoque eminet, quod ipse textum primum Gestorum: “consuetas pensiones et antiquas exactiones” quasi ad nova exempla composuit, nam vocabulum “pensiones” omisit, quod in Latinitate Hungarica saeculo XV haud usitatum fuit. (Apparet in diplomate — tamen falso — Belae regis iunioris circa annum 1230 scripto: “omnem collectam et pensionem, tota illa pensio”. Fejér III/2, p. 89, Szentpétery, Borsmonostor p. 118, cum emendationibus additis; vocabulum ergo hic ut terminus technicus intellegendum est.) Textus Th. ideo quoque ad nova exempla compositus factus est, quia saeculo XV usitata ratio erat inter se comparare attributa “consueta” et “inconsueta”, “ordinaria” et “extraordinaria”, vere non vocabulo “exactio”, sed vocabulo “taxa” adiunta (Mályusz, Rendi állam, pp. 105 sq.). Textum Gestorum a vocabulis “Omnium enim” usque ad haec vocabula tantum familia Chronicorum Picti continet, quorum membro quodam Th. quoque usus est.

(73.)

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

325

Hungari ... conati — In Gestis index capitinis omnino deest.

Misit ... consilium — Erdélyi (Kézai p. 36) ideo narrationem scriptoris Gestorum valde serotinam et ad aetatem Belae I. “haudquaquam veri similem” putat, quia reges saeculis XI—XII conventus huiusmodi numquam habebant, et tantum episcopos et comites convocaverunt; servientibus regiis festo Sancti Stephani Albae Regiae potestatem conveniendi ab anno 1222 dederunt, ut querimonias deferrent, sed etiam servientes anno 1267 tantum id impetrare potuerunt, ut ex unoquoque comitatu bini vel terni adesse possent. Ratiocinatio tamen errorem habet, ex quo duae formationes societatis discrepantes identificantur. Maior pars classis feudalis dominantis e servientibus regiis constituit et conformatio autonomiae suae in comitatu, mox officium, quo regnum administrando fungebantur, in ramis instituti ordinum (Stände) se magis magisque evolvendo processit, res autem in Gestis descripta proprietas Hungarorum liberorum in conformatione gentilicia viventium erat, cuius caterva dominans adhuc in statu se evolvendi fuit. Nimirum descriptio ad verbum intellegi non potest, et impossibile videtur, supra quam cogitari potest, e villa ultima quaque tres quidem e liberis adesse potuisse, tamen credi potest multitudinem magnam convenisse. Descriptionem probabilem facit, quod iam etiam Pauler (I, p. 430)

praedicavit, ut synodus prima Strigoniensis nominata aetate Colomani habita “duobus senioribus” villarum singularum partes adeundi assignaverit (cf. Závodszy pp. 95 sq.). Verba synodi: “villicus cum duobus senioribus ville” (caput 10. Závodszy p. 199) alegatos villarum quasi notationem vulgo notam significant.

proceres — Vocabulum ab exeunte saeculo XI usque ad medium saeculum XII una ex nominationibus nobilissimorum est (Szilágyi op. cit. Száz. 71 [1937] 13, 16 sq.).

preparaverunt ... audiri — Secundum coniecturam Diószegi (p. 277) tribunal quoddam in scalarum modum lignis exstructum erat, quod Hungarice “sámánfa” est dictum, per quod magus (Hungarice “sámán”) symbolice ad coelum ascendit collocuturus cum daemonibus.

Interim ... carmina — Ut Horváth interpretatur (p. 319), relatione 326 affirmatur praeter carmina epica, quae plerumque carmina panegyrica erant, exstissem etiam saturam, vetus genus poesis rebellantium plebeiorum, quamquam monumenta eius haud nota sunt, simul etiam constitui potest fontem primarium narrationis scriptoris poesim viva voce proditam, id est auditam fuisse, omnino sermonem verbis traditum. Secundum sententiam Diószegi praefecti carmina nefanda canentes magi (Hungarice “sámán” dicti) fuerunt, qui “in eminenti suggestu” ritus celebrabant, carmina magica cantabant, immo vero existimari potest eos — quoniam munus ipsorum vaticinari et animos daemonum commovere erat — responsum regis percontatuos fuisse (pp. 276 sq., 399).

plebs ... Fiat, fiat! — Vocabulum ex ordine coronandi ortum est, secundum quem etiam primus rex Hungariae coronatus est. In liturgia sequens institutio legitur: “Tunc ergo a circumstante clero et populo unanimiter dicatur: Fiat! Fiat! Amen.” (P. E. Schramm, Die Krönung in Deutschland bis zum Beginn des Salischen Hauses [1028], Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, 55. Kan. Abt. 24 [1935] 312, 327).

milites armati — Vocabulum tautologia esse videtur, quia in decretis Sancti Stephani vocabulum “miles” Hungaricum ad arma promptum et bellatorem significat, qui exstricto gladio in domum alterius impetum facere solitus est etc. “Militem” arma habere saeculo XII annotatio supervacanea fuisse. Vocabulum “miles” posterius, saeculo XIV et — valde veri similiter — iam exeunte saeculo XIII quoque militem equestrem (Ritter), militem cataphractum gravis armaturae significavit, quem vere “armatum” praedicare etiam tunc supervacaneum fuisse. Vocabulo “miles armatus” scriptor saeculi XII certe explicaturus fuit armaturam, qua armati in comitiva regis instructi erant, ab armatura Hungaricorum militum levis armaturae, more vetere pugnantium differre, et quamquam ipsi bellatores non erant milites (Ritter), tamen armaturam iam transitoriam, partim novo genere transformatam habere.

seditionem ... edomuerunt — De motu turbarum annis 1060—1061 orto comprehensive disserit Kristó (1965, pp. 49 sq.).

327 *Piissimus* — De opportunitate vocabuli v. caput (85.), sent. 404.
anno tertio — Id est anno 1063.

Demes — Hodierna villa Dömös est, in ripa dextera Danubii, inter Strigonium et Visegrad, in comitatu Strigoniensi. Nomen e nomine personae factum est vocabulum loci; ut nomen personae e nomine “Demeter” (Demetrius) suffixo deminutivo addito formatum est (Etym. Szótár I, coll. 1405 sq.).

regali allodio — Secundum L. Erdélyi (Kézai p. 36) vocabulum “allodium” ante aetatem Andegavensem “fide dignum vix in diplomatis invenitur” (argumenta enumerat Szabó op. cit. ASz 5 [1963] 309), atque in hac re unum ex indicis videt Gesta saeculo XIV orta esse. Gerics (p. 45) sententiam Erdélyi valde aestimandam arbitratur. Etiam Horváth (p. 319) — tamen aliud respiciens — usum vocabuli magni momenti esse existimat. Quoniam vocabulum in Gestis totis non plus, quam bis: hic et in capite 121 (Th. caput (79.), sent. 368; SRH I, 388) invenitur, hoc autem caput secundum Horváth a continuatore aetatis Colomani conscriptum est, ipse in duplice usu vocabuli argumentum videt totam partem contiguam et ab eodem auctore scriptam esse. (Mentio capitinis 98 lapsus in scribendo est.) Vocabulum “allodium” (alodium) in Latinitate medii aevi in sententia verbi “praedium”, sicut ergo in Gestis quoque usitatum est, omnino vulgatum erat (Lex Longobard.: “praedium id est alodium”; Lambertus Ardensis: “de allodiis sive praediis” etc., Du Cange I, pp. 194 sq.), et quia vocabulum “praedium” in diplomatis veteribus Hungaricis persaepe usitatum erat, reprehensio Erdélyi non est probabilis. “Allodium” igitur est nomen latifundii dominorum terrae, quod opera “servorum” cultum est (Bolla op. cit. in Annales 3 [1961] 115 sq.).

rivulum Kanisa — Nomen Kanisa (Hungarice Kanizsa) — nomen civitatis et rivi — ut vocabulum loci in parte meridionali-occidentali regionis Transdanubianae vulgo notum est. Sed nomen in hanc formam mutatum Th. solus conscripsit. Nomen, quod in variantibus Gestorum formas “Kynisua”, “Kymsua”, “Kyrusna”, “Kirusna”, “Kythusna”, “Binisua” (SRH I, 360) habet, secundum coniecturam Paurer (I, p. 431) cum vocabulo Kanisa identificari non potest, tamen sumere possumus in eo nomen rivi hodie Köris dicti servatum esse, qui rivus in fluvium Rebche (hodie Répce) effuditur. Coniecturae fidem facit, quod rivus Köris in comitatu Castri Ferrei (in regione septentrionali-orientali a Sabaria), ergo in finibus extremis occidentalibus fuit, quo Bela impetum imperatoris Teutoniae propulsatus se vehi iussit.

migravit a seculo — Dies obitus regis Belae in Chronico Zagrabiensi servatur: 11 Septembris anno 1063 (SRH I, 208. Cf. Paurer I, pp. 112, 431).

in monasterio ... Zewkzard — Hodierna civitas Szekszárd, sedes comitatus Tolnensis iam temporibus Romanorum locus incolis frequens fuit, cui nomen erat Alisca. Monasterium ordinis Sancti Benedicti de Sancto Salvatore nominatum a rege Bela conditum usque ad tempus occupationis

Turcorum supererat (Pannonh. XII/B, p. 53). Diploma fundationale anni 1061 in fragmentis tantum notum est, tamen haec quoque affirmant regem monasterium possessionibus abunde instruxisse. (Reg. Arpad. I, num. 16. Studia recentiora sententiam Szentpétery, quae hypercriticae Paurer [I, p. 430] nititur, non approbant, scilicet ex qua fides diplomatis probanda non sit.)

suum monasterium — Scriptor Gestorum monasterium dicens proprium, id est possessionem conditoris esse — quod etiam alia indicia habet — argumentum affert, quo demonstratur institutum nominatum Eigenkirche (ecclesia propria) in Hungaria inveteratum esse (Mályusz, Egyházi társadalom p. 24).

Hic enim ... appellavit — Explicatio vocabuli loci, ut a Pais constitutum est (Szekszárd, MNy 36 [1940] 47 sq.), etymologia recta est. Nomen vocabulum compositum est: pars prima eius “szeg ~ szög” ‘brunus, castaneo-bruneus’ significationem habet (Czuczor—Fogarasi, A magyar nyelv szótára [= Lexicon linguae Hungaricae], V, Pest 1870, p. 1439: “Dicunt comam, pilum, cuius color corio nucis castaneae maturae similis est. Szöghaj [= coma castanea], szögszörű paripa [= equus pilis castaneis]”). Itaque vocabulum Hungaricum “szög” idem est ac vocabulum Gestorum “in colore brunus”, at pars secunda nominis, id est vocabuli loci attributum Hungaricum “szár” ‘calvus’ est. (De significatione vocabuli “szár” ‘albus’ v. Horváth op. cit., in Székesfehérvár I, pp. 103 sq.) Suffixum diminutivum *-d* verbis compositis adiuncta in vocabulis locorum saepe inveniri potest (Melich J., Keresztneveinkról [= De praenominibus Hungaricis], MNy 10 [1914] 151). Scriptor Gestorum suffixum *-d* diminutivum esse bene notum habuit, ipse Simon de Kéza quoque, at scriptor saeculi XIV iam non, sicut ex opere huius cum Gestis Simonis de Kéza comparato patet. Apud Simonem de Kéza adhuc hoc legi potest: “suum monasterium diminutive, sicut erat ipse corpore dispositus, sic vocari iussit” (SRH I, 180). “Scriptor saeculi XIV rem describens et retractans — dicit Pais — significationem suffixi diminutivi *-d* non comprehendit (certe, quia aetate sua talis functio suffixi in statu linguae iam obscurata facta est), atque ideo momentum vocabulo »dispositus« adiunctum quoque falso intellegens, in locum eius vocabulum »ad dispositionem« reposuit.” Attributum Belae “szár” modum capillorum more pagano comptorum significat, item etiam demonstrat animum suum, sicut animum patrui, Ladislai Calvi (Zaar), vel pagani patris Cupan, Zerind Calvi ad paganos propensum fuisse, quod affirmit Levente, qui paganus remansit (Hóman pp. 89 sq.). Itidem etiam attributum “szög” cadit in Belam. Quoniam frater eius, Andreas, antequam baptisatus esset — sicut nomen eius Latine translatum “Albus” demonstrat —, Fehér ‘Albus’ est nominatus, ambo fratres bina nomina eiusdem modi acceperunt, ut filiae Gyulae, quae Karoldu et Saroldu sunt nominatae. Rex Bela igitur vere Szögszár nominatus esse potuit, quod nomen vocabulum loci factum esset, deinde suffixum *-d* vocabulo loci adiungi potuit, id est explicatio

scriptoris Gestorum recta esse videtur. — Textus a vocabulis “Hic enim Bela” usque ad hunc locum tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti continetur, inde sumpsit etiam Th.

(74.)

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

328 *De adventu ... genero suo* — Index idem est atque index capitinis Chronicorum Picti: “De adventu imperatoris cum rege Salomone genero suo” (SRH I, 361).

libenter — Sic in Chronico Picto legitur. In variantibus Chronicorum Budensium forma: “gratanter” (SRH I, 361) invenitur.

artis — Quamquam in *B* et *R* forma “arcis” servatur, in *D* autem vocabulum “artis arcis” scriptum est, sententiae convenienter vocabulum “artis” in ceteris variantibus codicum servatum rectius est (SRH I, 361).

Rex autem ... in Hungariam reduxit — Res non in eo ordine actae sunt, in quo a scriptore Gestorum enarrantur. Salomon anno 1063 puer undecim annorum fuit, uxoris autem frater, rex Teutoniae, Henricus IV. puer tredecim annorum, itaque res non secundum eorum deliberationem factae sunt. Principes Teutoniae decreverunt et quidem mense Augusto anno 1063, ergo Bela vivente, in civitate Maguntia (Mainz) tutoribus novis Henrici IV., archiepiscopis Coloniensi Annone et Bremensi Adalberto urgentibus, ut Salomon in regnum Hungariae reduceretur. Nuntio de apparatu belli allato Bela I. legatos in Teutonium misit se excusaturus affirmans se Salomonem ex regno non expulsisse, nec regnum ei ablaturum fuisse, nam ipse regnum occupare ab exercitu suo coactus est, nunc quoque se, si ipse ducatum retineat, fratrem patrualem recipere paratum esse, obsidem autem filium obtulit. Quoniam promissa repudiata sunt, impetum excepturus fuit, atque ideo apud rivum Köris locum cepit, nam ex hoc loco vias per civitates Moson et Sopronium ferentes aequa ac via in valle fluvii Rabae ducentem tueri potuit. Exercitus Teutonicus transitum Mosoniensem elegit et Salomon sectatoribus suis adiuvantibus civitatem Moson paene nullo resistente cepit. Fama audita Bela I. aegrotus mortuus est, filius autem, dux Geysa statim dicioni Salomonis se subiectum esse Teutonis nuntiavit. Teutoni pactionem facere abnuerunt, progressum non intermisserunt, cum Hungari, qui ceteroquin Salomonem recipere prompti erant, se Teutonis adiunxerunt (Paurer I, pp. 111 sq.; G. Meyer v. Knonau, Jahrbücher des deutschen Reiches unter Heinrich IV. und Heinrich V., Leipzig 1890—1909, I, pp. 342 sq.).

prudens et circumspectus — Secundum L. Erdélyi (Ötven historicus p. 12) hoc vocabulum aetatis posterioris est, quod adhuc saeculo XIV ut attributum consuetum civium urbanorum quoque nimium immaturum est. Contra

opinionem eius Gerics (p. 44) hoc attributum ducis Geysae originis veteris esse, et tunc, antequam cives hoc attributo nominati essent, scriptum esse arbitratur.

fratribus suis — Filii Belae erant: Geysa, qui veri similiter ante annum 1040 est natus, Ladislaus, qui circa annos 1040/41, et Lambertus, qui post annum 1047 natus est (Wertner p. 142).

Salomonem in Hungariam reduxit; Salomon ... intravit in Hungariam — Gerics (p. 69) prima parte capitinis Gestorum textum corruptum — id est fractum — esse observavit et interpolationem factam esse putavit, quia in textu redditus Salomonis etiam bis descriptus est. Boronkai (ItK 67 [1963] 109) recte demonstrat: de fractura loqui non possumus, nam in textu prius enarratum est duces in Polonię migravisse, mox extollitur Salomonem hoc modo haud difficulter in Hungariam reversum esse.

iurisiurandi — Sic in B et D (SRH I, 361) scriptum est. Scriptor Annalium Altahensium, quorum narrationem copiosam Paurer, cum res anno 1063 gestas tractaret, ducem verum est secutus, etiam hoc momentum consentiens cum scriptore Gestorum memorat: “Salomon ... muneribus regiae munificentiae dignis eum [Henricum regem] honoravit, nec quisquam principum decenter non donatus abivit” (Gombos I, pp. 103 sq.). Horum in numero posteriorum est relatus dux Bavariae Otho de Nordheim, secundum descriptionem Paurer “hoc tempore vir sollertiaissimus, fortissimus, quamquam ingenii aliquantum ambigui Teutoniae, maximus impulsor ac fautor belli” (I, p. 111). Hic a vidua Andreae I. illum gladium accepit, qui a Hungaris gladius Attilae est nominatus et qui cum gladio Caroli Magni dicto inter signa imperatoria Teutonica custodito identificatur. (V. accurate in capite (17.), sent. 136.)

gloriose — In variantibus cunctis “glorie” (SRH I, 361) legitur.

cum assensu ... totius Hungarie — Vocabulum ostendit consilium praelatorum et primatum, videlicet procerum ecclesiasticorum et saecularium, qui Albae Regiae praesentes aderant, sententiam totius Hungariae habitum esse, id est praeter sententiam illorum opinionem ceterorum spectare supervacaneum fuit.

et non expertus — Vocabula a Th. inserta sunt.

Moson — In V₄ V₅: Muson, in variantibus ceteris: Musun (SRH I, 362) legitur. Dum in partibus origine prioribus Gestorum vocabula magis archaica “versus Musun”, “ad portas Musun” inveniuntur (Th. capita (68.), (71.)), vocabulum “castrum Musun” res magis progressas describens parti, quae saeculo XII orta est, apte accommodatur, quo simul opportunitas eius quoque demonstratur.

Desiderius episcopus — Idem est atque archiepiscopus Desiderius, qui in capite (82.), sent. 387 (caput Gestorum 130, SRH I, 402), ubi res anno 1076 gestae tractantur, itidem ut pacificator inter membra familiae regiae apparent. Hic iustis de causis identificari potest cum archiepiscopo Colocensi, qui “archiepiscopus Dersy” (Wenzel I, p. 27) inter testes in diplomate

fundationali circa annum 1067 monasterii Sanctae Mariae de Zazty in comitatu Borsodiensi, in diplomate autem fundationali anno 1075 monasterii Sancti Benedicti de Grana "Desiderius" est nominatus (Mon. Strig. I, p. 60), et cum "Desiderio episcopo Colochensi", qui in diplomate anno 1093 Sancti Ladislai memoratur (Fejér I, p. 481). Diploma quidem posterius falsum ostensum est, tamen e diplomate certae fidei anno 1091 scripto factum est (Reg. Arpad. I, num. 27). Knauz argumenta annorum 1064 et 1076 in Gestis ad archiepiscopum Strigoniensem quendam, qui, ut cogitari potest, Desiderius est nominatus, refert (Mon. Strig. I, pp. 49 sq.), tamen argumentatio eius falsa est: partim quia Antonium de Bonfinis, qui opus Th. tantum simpliciter transcribit et ad suum arbitrium amplificat, ut fontem sui iuris aestimat, partim quia res anno 1076 gestas tantum ideo anno 1074 factas esse scribit, ut eas cum arguento diplomatici fundationalis monasterii Sancti Benedicti de Grana coniungere possit, ex quo tunc archiepiscopus Strigoniensis Nehemias fuit (cf. Pauler I, pp. 113, 135).

delinitivis — In cunctis variantibus Gestorum sic invenitur, excepto *V₃*, "delinitus" (SRH I, 362).

In festo ... martyrum — Tempus die 20 mensis Ianuarii anno 1064 fuit.

Gewr — Sic in *R* et *V₅* (SRH I, 362) scriptum est.

pacem firmaverunt — Th. textum Chronicus Picti sequitur. In variantibus Chronicus Budensis haec forma legitur: "pacem iuramento firmaverunt" (SRH I, 362).

festum dominice resurrectionis — Tempus die 11 mensis Aprilis anno 1064 fuit.

plena curia — "Curia generalis", "universalis", "regalis", "sollemnus" erant nomina conventuum, qui in imperio Teutonico, quae re vera cum aula regia amplificata identificabantur, tamen principes e toto imperio in eas convocabantur (R. Schröder—E. Künssberg, Lehrbuch der deutschen Rechtsgeschichte, Berlin und Leipzig 1922⁶, p. 553). Vocabulum "curia plena" in litteris historiae iuris Teutonici haud nota est. Hoc vocabulo scriptor Gestorum frequentiam procerum advenientium demonstratus fuit. Institutum quoddam vere conformatum in hoc vocabulo quaerere non possumus.

Quinqueecclesiis celebraverunt — Episcopus Quinqueecclesiensis Maurus fuit auctor legendae Sanctorum Zoerardi et Benedicti (SRH II, 357), qui prius abbas ordinis Sancti Benedicti in Monte Sacro Pannoniae fuit, eum Sanctus Stephanus anno 1036 ecclesiae Quinqueecclesiensi praefecit (Pannonh. I, pp. 114 sq.).

die Pasche ... est coronatus — Saeculo XI mos erat magnis diebus festis ad sollemnitatem eorum augendam et ad potestatem regiam illustrandam reges coronare (Hóman, M. tört. I, p. 255), itidem atque in Teutonia, in Anglia, in Francogallia. Coronatio munus ecclesiasticum habebatur (H. — W. Klewitz, Die Festkrönungen der deutschen Könige, Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte 59, Kan. Abt. 28 [1939] pp. 48 sq., 70

sq.). In Francogallia primo munus coronationis celebranda privilegium archiepiscopi Remensis erat, tamen usus ita mutatus est, ut archiepiscopus, qui auctoritatem habuit, coronam capiti regis imponeret (Schramm I, pp. 122 sq.). In Hungaria, sicut e narratione legendae maioris Sancti Gerardi interpretari possumus, episcopo dioecesis ius imponendi capiti regis coronam debebatur (SRH II, 500).

Universa ... congregatio Hungarorum — Vocabulum eandem sententiam habet ac vocabulum superius: “tota Hungaria”.

amatorem — Sic in variantibus Chronici Picti scriptum est. In Chronico Budensi “auctorem” (SRH I, 363) legitur.

Totam ... corruerunt — Incendium est testimonium, quod aedes cathedralis Romanensi structurae genere aedificata tectum ligneum habuit. Veri simile est tectum novum quoque ex ligno exstructum fuisse, quod tecto lapideo tantum tunc commutatum est, cum aedes in Gothicō structurae genere denuo aedificaretur (Szónyi O., A pécsi székesegyház [= Aedes cathedralis Quinqueecclesiensis], Magyar Művészeti [= Ars Hungarica] 5 [1929] 458). Gerevich (p. 52) *Gesta cum “Chronico Polonorum” confundit.*

rex Zolomerus ... Geyse erat — Zvonimirus Demetrius princeps Croatiae, ³³¹ banus trium supanarum septemtrionalium filiam Belae I. uxorem duxit, atque ita affinis ducis Geysae factus est (Wertner pp. 160 sq.; N. Klaic, Povijest Hrvata u ranom srednjem vijeku [= Historia Croatiae priore medio aevo], Zagreb 1971, p. 377). Zvonimirus in diplomatis Croaticis circa annos 1070—1073/74 editis iterum ac saepius banus est nominatus (*Codex diplomaticus regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae*, I, ed. M. Kostrenčić, Zagrabiae 1967, pp. 115, 121, 129, 133). Zvonimirus anno 1075 regnum adeptus est, ineunte Octobri anno 1075 adhuc ducem Croatiae et Dalmatiae, die 9 autem mensis Octobris anno 1075 iam regem Croatorum et Dalmatarum se appellari iussit (*ibidem* pp. 139, 141). A scriptore Gestorum, quoniam Geysa usque ad annum 1074 ducem se appellavit, falso Zvonimirus iam tunc rex dicitur. Karácsonyi (A horvát történetírás zátonyai [= Difficultates in historiographia Croatica], Száz. 46 [1912] 27 sq.) ideo regem Zolomerum in Gestis memoratum cum Petro Cresimiro IV. identificavit, quia, cum res accidit — secundum eum inter annos 1063—1071 — rex Dalmatiae et Croatiae Petrus Cresimirus fuit. Quoniam bellum anno 1066 gestum fuisse a historicis acceptum est (Domanovszky S., A Budai Krónika [= Chronicon Budense], Száz. 36 [1902] 744; Gericz p. 70; Kumorovitz op. cit. in Tanulm. 16 [1964] 78; cf. J. Deér, Die Anfänge der ungarisch-kroatischen Staatsgemeinschaft, AEKO 2 [1936] 20, qui annum 1068 fuisse putavit), hoc tempore belli accepto difficillimum fit eligere, uter rex fuerit, Petrus Cresimirus an Zvonimirus Demetrius, nam ante annum 1070 Zvonimirus quidem in fontibus Croaticis non memoratur. (In historiographia Croatica quoque relatio scriptoris Gestorum varie explicatur, v. N. Klaic, op. cit. p. 378.) Ceterum Karácsonyi (Kálmán király rokonsága a horvát királyi családdal [= Propinquitas regis Colomani cum familia regia

Croatica], Száz. 49 [1915] 134 sq.; Idem, Horvát vakoskodás [= Caecitas Croatica], Száz. 52 [1918] 345 sq.) Petrum Cresimirum IV. generum ducis Geysae fuisse arbitratus est, et quidem ita, ut dux sororem regis uxorem duxisset, praeterea hanc partem Gestorum secundo dimidio saeculi XIII ortam esse putavit.

Carintheos — Nomen in cunctis variantibus Chronici Picti “Carantanos” scriptum est, excepto *V₃*, in quo “Carinthianos” (SRH I, 364) legitur. Forma veterrima “Carantanus” est, quae in documentis annorum 767, 817, 819, 820 servata est, et item vetus est nominatio “Carinthia” anni 803, quae radix vocabuli “Carinthiani” est. In Gestis igitur ineuntis saeculi XII variantes nominationis archaicae servatae sunt. Th. nomen recentius reddidit. Argumenta de forma nominis “Corinthia” e secunda parte saeculi XIII (1269, 1286) nota sunt (Oesterley p. 326).

marchiam Dalmacie — Vocabulum Šišić in forma “Grenzgebiet Dalmatiens” transfert (p. 255). Sed hoc in Latinitate Hungarica vocabulum eiusmodi est, ut “regnum Hungarie” vel “regnum Dalmacie” (SRH I, 433). Re vera id ratione caret, ut banatus Zvonimiri marchia Dalmatiae nominetur, cum rectius sit simpliciter Croatiam dicere. Dalmatia ad Zvonimirum, dum ille banus fuit, nil attinebat, banatus regni Croatiae in regionem montanam extendebat (N. Klaić, op. cit. 279). Ut constitui potest, nominatio “marchia Dalmacie” e mutatione saeculo medio XII eventa oriri potuit. Eo tempore Dalmatia ad Hungariam comparata vere marchia erat.

Misit ... multum donavit — Fons unicus rei textus Gestorum est, atque ita sententia narrationis tantum coniectura constitui potest. Secundum opinionem Šišić dux Carantanus cum marchione Istriae et Carniolae Ulrico, cum genero regis Belae I. identificandus est. Nam verum quidem est — continuat Šišić — ducem Carantanum Bertoldum Zähringen fuisse, qui tamen in Teutonia vixerit et territorium suum tantum nomine rexerit, sed Ulricum auctoritatem quandam in Carinthia habuisse, immo vero in chronicis nonnullis Teutonicis ipsum ducem Carantanum nominatum esse. Ut vasallus fidelis Henrici IV. ipse aderat bello in Hungaria anno 1063 contra sacerum suum gesto, coniectari ergo potest catervas alias simul banatum Zvonimiri ingressas esse et fines extremos Croatiae obsedit. Quia Ulricus ne Geysa et Salomone inter se pacatis quidem e territorio excessit, Zvonimirus frustra sperans regem Croatiae, Petrum Cresimirum IV. auxilium laturum esse, inter annos 1064 et 1066 Hungaris adiuvantibus Ulricum recedere coegit (Šišić pp. 254 sq. Cf. Marczali op. cit. in Szilágyi, II, pp. 75 sq.). De re ipsa similiter explicat N. Klaić quoque (op. cit. pp. 377 sq.), secundum quem comes Carniolensis-Istriensis, Ulricus — praemio donatus, quia Henricum IV. in bello contra sacerum, Belam I. adiuvit — fines extremos Istrienses in partem Croatiae, immo in partem Dalmatiae Byzantiae quoque protulit. Contra Ulricum Zvonimirus Salomonem et Geysam auxilio accivit. Hóman argumentatione accurate neglecta expe-

ditionem anno 1071 fuisse dicit, ducem autem Carantanum cum Bertoldo Zähringen identificat (M. tort. I, p. 340).

constructione — In cunctis variationibus Gestorum similiter (SRH I, 364) scriptum est, tamen recte forma “consecratione” legenda est.

Atha ... factum est — Palatinus Otho (nomine Hungarico Atha nominatus) proavus generis Geur (Győr), adhuc ut comes Simigiensis in hodierno comitatu Simigiensi (Somogy) a civitate Kaposvár ad orientem in regione Zelyz (hodie Zselicség) in honorem Sancti Iacobi anno 1061 monasterium Benedictinum condidit (Pannonh. XII/B, pp. 238 sq.). Diploma, quamquam tantum in fragmentis (et in exemplari transcriptum), tamen conservatum est, atque ita constitui potest enarrationem scriptoris Gestorum rectam esse. Nam comes, conditor monasterii in diplomate dicit: “monasterium deo sanctoque Jacobo construxi” (Kumorovitz op. cit., in Tanulm. 16 [1964] pp. 44, 55, 66). Et Gesta et diploma sententia eadem sunt, nam in ambobus principium ecclesiae propriae nominatae in Hungaria valuisse traditur. Quod scriptor Gestorum vocabulo “monasterii sui” exprimit, scilicet Othonem iure condendi et donandi monasterium ut suum in potestate habere posse, id in diplomate sic exprimitur: “quamdiu vixero, egomet cum abbe meo monasterium regam et provideam” (ibidem pp. 45, 66). Posterius mutatum esse videtur institutum conditoris, secundum quod post mortem eius nec episcopi vel comites, nec cognati vel fratres patruelis monasterium regant, sed ius regendi solus rex habeat. Res enim instituto in diplomate fundationali descripto contradicunt, quoniam ius patronatus manasterii saeculo XIII, immo posterius quoque non rex, sed membra generis Geur (Győr) communiter possidebant (Karácsnyi II, pp. 96 sq.). De sancto Iacobo, patrono monasterii locus prope monasterium conformatus, qui etiam hodie exstat, nomen Zselicszentjakab accepit. Gerics (p. 70) hoc caput partem extremam textus Gestorum veterum fuisse arbitratus est, et Gesta vetera ipse aetate Salomonis orta esse putavit (v. similiter Kumorovitz op. cit. p. 50). Csóka (pp. 522 sq.) — ratione stili considerata — descriptionem monasterii conditi in Zselicszentjakab aetate Stephani III. ortam esse arbitratus est. — Textum Gestorum a vocabulis “Nocte autem secuta” (sent. 331 Th.) usque ad finem capitinis tantum variantes familiae Chronicorum Picti continent, quorum unius textu est usus Th.

⟨75.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

Quod rex ... non habuerunt — Index supplemento aliquo addito idem est 333 atque index capitinis Chronicorum Picti: “Quod rex Salomon et Dauid liberos non habuerunt” (SRH I, 364).

Dauid frater eius — Davidus erat filius natu minor regis Andreae I. et

Anastasiae, filiae ducis magni Kioviensis, Jaroslai I. Solus est in stirpe Arpadiana, qui Davidus est nominatus. Nomen eius cohaeret cum nomine fratris natu maioris, Salomonis: nomina regum clarissimorum Testamenti Veteris duobus fratribus cura matris eligere potuit (Wertner pp. 134 sq.). Coniunctio Davidi cum ramo regnanti familiae fratre natu maiore expulso non est perturbata. Huic rei testimonio est, quod in diplomate fundationali monasterii Benedictini de Simigio anni 1091 ut unus proximorum familiariumque Sancti Ladislai memoratur ("dux David consobrinus eius" [scilicet regis]. Reg. Arpad. I, num. 24). Exemplum verum diplomaticis quoque superest, quo Davidus circa annum 1090 donationem monasterio Benedictino Tichoniensi fecit (Pannonh. X, p. 496, facsimile eius: ibidem p. 19 et Monumenta Graphica Medii Aevi, fasc. III, tab. 4. Cf. Fejérpataky, Kálmán pp. 12 sq.). Wertner (p. 135) ex eo, quod dux in diplomate "venerabilis" est nominatus, coniecturam facit, ut Davidus socius ordinis sacerdotum esse potuerit. Tamen interpretatio eius haud probabilis est, quoniam nomini Ladislai quoque in decreto suo (I, 37, Závodscky p. 163) hoc attributum additum est ("a venerabili rege Ladislao").

Rex autem ... Christianos interficere — Gerics (pp. 99 sq., 60, 84, 102) primus percepit et praedicavit comparatione familiarum Salomonis et Geysae — velut si familia Salomonis sterilitate affecta esset, quod in testamento vetere atrocissimum anathema putatum est, familiae autem Geysae liberi multi fortunati essent — eam sententiam ineuntis saeculi XII, id est aetatis Colomani expressam esse, quae contra ramum regis Andreae, regnum rami Geysae ex voluntate Dei factum demonstratura fuit. Contra quod Kristó opinatur (1974, p. 614) ramum Andreae ita despici tantum uno saeculo peracto, ineunte saeculo XIII possibile fuisse.

Dux autem ... ac filias — De rege Colomano (1095—1116) et de duce Almo v. inferius caput (86.), sent. 410. De filiabus regis Geysae praeter significationem Gestorum nullum argumentum notum est (Wertner p. 178).

Viguit ... tredecim — Tempus falso descriptum est, quoniam a die 11 Septembris anno 1063, cum Bela I. mortuus est, usque ad diem 11 Aprilis anno 1074, cum rex et duces inter se armis concurrerunt, tantum decem anni et septem menses peracti sunt. Spatium rectum undecim annorum regni Salomonis in duobus adnotationibus chronologicis constitutum est. Error Gestorum fortasse eo explicari potest, quod scriptor regnum Belae I. neglexit, cum tempus, quo Salomon regnavit, coniectura constitueret (Mátyás, Chronol. pp. 16 sq.).

urbem Trenchen — Hodierna civitas Trenchinum (Trenčín, ČSSR) ad fluvium Vagum (Slovace Vah) sita est. Castrum, quod vallem ad meridiem magis magis patentem defendere suscepit, sedes unius comitatum a Sancto Stephano conditorum factum est. Castrum iam prius conditum esse eo demonstratur, quod diploma regis Colomani in Zobor anno 1111 editum iam tertiam partem telonii castri Trenchini condonanda esse praescribit (Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 105; Fekete Nagy, Trencsén pp. 5

sq.). Vocabulum loci origine nomen personae est, sicut et nomina aliorum comitatuum nonnullorum. E nomine quodam Moravo-Slavico Trnčin — quod est cognomen possessivum Slavicum nominis Trnka — est formatum in lingua Hungarica Trencsén, quod autem ut vocabulum loci Hungarianum factum in forma Trenčín in linguam Slovacam redactum est (Melich pp. 351 sq.).

Interim autem Bohemi ... sunt reversi — In fontibus Bohemicis nec incursio in Trenchinium, nec expeditio, quae eam ulciscendi causa gesta est, memorantur. Cosmas quoque silentio eas res omittit, qui tamen ab anno 1063 usque ad diem 9 Decembris anno 1067 mentionem nullius rei facit. Tempus rei actae a Pauler recte argumentando anno 1067 fuisse describitur. Salomon, affirmat Pauler, secundum scriptorem Gestorum bello aderat, ergo tum immaturus puer esse non potuit, et quia anno 1067 ipse iam quattuordecim annorum fuit, eum bello adfuisse hoc anno magis, quam priore quodam anno existimari potest (I, pp. 114, 432).

Bator Opus ... gloriosus emicuit — Opos, qui miles fortis Salomonis fuit, 334 in historia Salomonis enarrata iterum ac saepius memoratur; existimari potest facta eius in cantico epico narrata esse. (In familia Chronicī Picti — quod Th. transcripsit — Opos cognomen Hungarianum “Bátor” ‘Fortis’ datum est.) Non est impossibile, quod Opos primum vir fortis popularis fuit, quem classis procerum sibi assumpsit et membrum de genere Vecelini (id est de genere Rád) esse voluit. Si enim Opos iam principio quoque unus ex proceribus fuisset, ipse Bohemos devincere non debuerat ob eam rem, ut postea apud regem et magnates regni “gloriosus” fieret (cf. Kristó 1972, Ethn. 61 sq.). Conici potest singulas partes fabulae circa medium saeculum XII descriptas esse, cum facta Salomonis benevole enarrantur (Kristó 1974, p. 603).

⟨76.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est interpolationibus posterioribus additis.

De irruptione ... cum eisdem — Index ex indice capitinis *V₃* supplemento 335 Th. addito formatus est: “De adventu Cunorum in Hungariam” (SRH I, 366).

Post hec — Tempus rei in capite descriptae: annus 1068 est (Mátyás, Chronol. pp. 11 sq.).

Pagani Cuni — Populus, qui in Gestis nomine “Cunus” est nominatus, e temporibus rerum, quae tunc acciderunt, coniectura facta idem est ac ‘populus Uzorum, qui in annalibus Russicis Torcus est nominatus. Turcicus equester populus vagus, qui in fontibus Byzantinis “Οὐζοί”, in fontibus autem Russicis “Torkij” memoratus est, a populo nominato “Κόμαροι” vel

“Polovcy” se recipiens circa annum 1060 ad fines Hungariae pervenit. Quia anno 1068 in regione, quae inter principatus Russicos et imperium Byzantium porrigitur, populus Uzorum habitabat, etiam in Hungariam hoc anno solus idem populus incursionem facere potuit. Cumani vel Polovcy eo tempore adhuc in regione fluvii Borysthenis (Dneper) bella gestabant, anno 1071 ad occasum longissime ad Rastovec et Nejatin, ad fines meridionales-occidentales magni principatus Kioviensis pervenerunt et tempus impetus eorum primi in Byzantium facti annus 1078 est (Kossányi op. cit. Száz. 57–58 [1923–1924] 532 sq.). Pauler (I, 432 sq.) invasores eosdem esse ac Bissenos putavit. Partim quia inter duo nomina — scilicet nomen ducis Cumanorum, qui in eodem capite Gestorum “Gyula” est memoratus, atque nomen tribus Bissenorum secundum Constantimum Porphyrogenitum saeculo X ad Hungaros proxime habitantis, id est tribus, quae “Gyula” est nominata — cohaerentiam vidit, partim quia secundum coniecturam suam consuetudines et linguae amborum populorum haud multum inter se differebant. Nomen Cumanorum Bissenis transferri Pauler ideo quoque haud difficile factum esse existimavit, quia veri simile esse putavit etiam Cumanos in exercitu Bissenorum pugnare potuisse, partim autem caput Gestorum, de quo nunc agitur, exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII ortum esse opinatus est, ad quod tempus iam locum Bissenorum ubique Cumani habuerunt. Argumentum hoc ultimum haud multum valet, quoniam caput illa aetate, quae a Pauler coniectatur, uno saeculo prius scriptum est, nec pluris est significatio identitatis linguarum et consuetudinum amborum populorum, ex identitate autem nominis Gyulae ambos populos quidem cum Hungaris quoque propinquos esse coniectari possit. Sicut Pauler, etiam Györffy (op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] 168 sq.) nomine “Cuni” Bissenos esse arbitratur, quia et in Annalibus Posoniensibus (“Bessenorum exercitus”, SRH I, 126) et a Simone de Kéza (“Bessi”, SRH I, 182) Bisseni ipsi memorati sunt. Opinionis, ex qua Bisseni atque Cumani iidem esse potuerint, imprimis dislocatio geographicā populorum contradicit. Bisseni anno 1068 in imperio Byzantino, in regione Istri et Valachiae habitabant, inde incursions in Hungariam factitabant, atque ideo iure existimari potest eos sedem stabilem et certam priorem, id est regionem Moldaviae Uzis iam prius concessisse. Quoniam hoc modo populus a scriptore Gestorum “Cunus” nominatus nec Cumani ~ Polovcy, nec Bissenus esse potest, sine dubio hic populus ac populus Uzorum ~ Torcorum, qui inter hos duos populos ordine temporum apparuerunt, iidem esse haberi possunt (Kossányi op. cit. 532 sq.; Domanovszky op. cit. Száz. 67 [1933] 181 sq.). Coniecturae minime contradicit res, quod a scriptore Gestorum populus Uzorum ~ Torcorum nomine “Cunus” nominatur. Sicut secundum existimationem communem in Europa Occidentali et secundum litteraturam chronographicam Hungari nunc Hunni nunc Avari sunt nominati, ita in lingua Hungarica nomen populorum, qui post Bissenos apparuerunt, aequaliter “Cuni” factum est. (De nomine “Cuni” v. caput (49.).) A

Hungaris igitur eadem ratione Cuni sunt nominati et Uzi saeculi XI et Polovcy saeculi XII, ea tamen distinctione, quod nomini populi prius nominati nonnunquam attributum "Nigri", nomini autem populi inferius nominati attributum "Albi" adiunctum est. In Latinitate Hungarica nomen Hungaricum "kun" duas formas habuit. Loco nominis vetustioris "Cunus" saeculo XII nomen "Cumanus" successit. Haud repente, sed eo modo, ut ambae formae pariter usitatae essent, dum denique nomen "Cumanus" stabilitum est. Haec forma nominis e nomine populi Polovcy dicti "Kóμα-völ" in litteratura linguae Latinae inveterascere potuit, sed in lingua Hungarica non accepta est. Quia ambo nomina Latina aetatem, qua scripta sint, determinare valent, forma vetustior "Cunus" hanc partem Gestorum prius ortam esse affirmat.

porte Meses — Montes Hungarice Meszes dicti (Rumanice Munții Mezeșului) inter fluvios Crisium Rapidum et Samusium paribus intervallis cum valle Egregy (hodie Agrij) nominata a meridie-occidente ad septentriones-orientem porriguntur et inter Transylvaniam et Magnam Planitiem Hungaricam fines geographicos effecerunt. Montes ut confinium in conformatione comitatuum et ecclesiae tam valuerunt, ut episcopus Transylvanicus fidelibus suis extra Transylvaniam habitantibus vicarium praeficeret, qui vicarium ultra Mezes se nominavit ("vicarius in spiritualibus et temporibus ex ista parte Mezes generalis", Zs. O. II, num. 2927, 3854, 7130). Angustiae, ubi via per montes a loco Zyloc (hodie Zilah, Rumanice Zalău) ad Magyaregregy (hodie Romînasi) fert, recessus cavus quasi porta formatae sunt. Ab Anonymo quoque "porta Mezesina" haud semel memorata est (SRH I, 59, 63, 64, 67).

ruptis indaginibus — "Indagines" Hungarice "gyepű" 'limes' plerumque saepes ex arboribus caesis exstructae sunt, quae in silvis fines regni efficientibus ad vias occludendas factae sunt, ut hostes eas quam difficillime pervadere possent. Apparatus plerumque vocabulo "ad incidendas indagines" nominatus est. Nimurum vocabulum "indago" haud ubique praesidium et tutelam finium regni significat (significationes vocabuli v. Kristó—Makk—Szegfű op. cit. HK N.S. 20 [1973] 640 sq.).

Cuni ... in Hungariam — Uzi, secundum conjecturam Pauler (I, p. 115) per angustias Borgo (hodie Pasul Tihuța) nominatas e Moldavia in Transylvaniam irruperunt et per regiones eius septemtrionales per portam Mezesinam in Magnam Planitiem Hungaricam pervenerunt. Directionem eorum itineris accurate describit D. Pais, Kék-kend (= Populus dictus Kék-kend), Körösi Csoma-Archivum 1 (1924) 272 sq.

provinciam Nyr — Regio dicta Hungarice "Nyírség" est. V. caput (33.).
civitatem Byhor — Hodie villa Bihar (Rumanice Biharea) est, a Varadino ad septemtriones sita, quae sedes comitatus ab ipsa nominati erat. Vocabulum Byhor origine nomen personae, et quidem Bulgarum vel Bulgaro-Slavicum est. Sicut plerumque alias quoque, nomen primi comitis vocabulum castri, mox vocabulum comitatus fieri potuit. Castrum loci

mumentum terreum erat (M. Rusu, Contribuții arheologice la istoricul cetății Biharea, Anuarul Institutului de Istorie din Cluj [= Additamenta archaeologica historiae castri Byhor, Annales Institutionis Historicae Claudiopolitanae], 3 [1960] 7 sq.), hoc loco etiam prima modica aedes cathedralis episcopalis exstructa erat. Quamquam Byhor usque ad dissolutionem conformatioonis comitatuum regalium sedes remansit, locus superatus est, quod ad progressum attinet, Varadino, hoc enim prospereorem situm geographicum habet (Melich pp. 221 sq.; Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 101; Jakó pp. 213 sq.). Descriptionem Gestorum origine vetustiorem esse eo demonstratur, quod a scriptore Gestorum civitas Byhor memoratur. A scriptore quodam posteriore iam devastatio adnotata est, quae usque ad Varadinum diffusa est. Postremo: nominatio "civitas" in significacione 'castrum' usitata ineunte saeculo XII pervulgata est. In decretis enim regum Sancti Ladislai et Colomani nominatio "civitas" locum circumsaeptum, id est castro non aliter quam saepimento circumdatum, sedem comitis parochiani simili modo munitum significat (Tagányi K., Vármegyéink eredetének kérdése [= Quo modo comitatus Hungarici orti sint?], Tört. Sz. 2 [1913] 514 sq.) et tantum posterius, saeculo XIII significacionem 'civitas, Stadt' habuit. Tunc igitur locus, qui se in civitatem non conformavit, nullo modo "civitas" dici potuisset.

ammem Lapus — Rivus Lapus (hodie Lápos ~ Lăpuș) a latere dextero in fluvium Zomus influit.

fluenta Zamus — Fluvius Zomus (Samusius, Hungarice Szamos, Rumanice Someșul) in Transylvania oritur et in Magna Planitia Hungarica in fluvium Tisciam influit. Nomen eius origine Thracico-Dacicum est et per linguas populorum alias alium sequentium — Gothorum, Gepidarum, Hunnorum, Avarorum, Bulgaro-Turcorum — in linguam Hungaricam translatum est (Melich pp. 51 sq.).

in urbem Dobuka — Locus Doboka (hodie Dăbîca) ad fluvium Samusium Minorem (Rumanice Someșul Mic) a Claudiopole ad septemtriones situs, sedes comitatus eodem nomine nominati, hodie villa parva est. Vocabulum loci origine nomen personae est. E nomine Dob suffixo diminutivo adiecto formatum est (Melich J., Doboka, MNy 23 [1927] 240 sq.). Nomen Dobuca comes primus comitatus habuit, qui secundum Anonymum aequalis et propinquus Sancti Stephani erat (SRH I, 50), et nomen eius vocabulum sedis comitatus, mox vocabulum totius comitatus factum est (Holub op. cit. in Szent István Ekv II, p. 102). Terrea valla extra villam residua testantur hoc loco olim munimentum vetus fuisse (Kádár J., Szolnok-Doboka vármegye monographiája [= Monographia comitatus Szolnok-Doboka]. Dés 1900. tom. III pp. 335 sq.; Șt. Pascu—M. Rusu—P. Iambor—N. Edroiu—P. Gyulai—V. Wollmann și Șt. Matei, Cetatea Dăbîca [= Castrum Doboka], Acta Mvsei Napocensis 5 [1968] 153 sq. Criticam operis v. Bóna I., AÉ 97 [1970] 232 sq.).

336 *speculatoribus* — Ex "custodibus confiniorum" ad tutandos regni fines

dispositis ii, quorum munus erat, ut nuntios acciperent perferrentque, populos finitimos explorarent, "speculatores" nominati sunt. Statum socialis eorum constituere in controversia inter Károly Tagányi et László Erdélyi orta una ex quaestione gravissimis fuit. In polemia permulta argumenta fontium collata atque explicata sunt (Erdélyi, Legkritikusabb pp. 531 sq.; Tagányi K., Felelet, Tört. Sz. 5 [1916] 301 sq., 409 sq.). In diplomatis ab ineunte saeculo XII "speculatores" nonnunquam memorantur et huic seriei commemorationum etiam argumentum Gestorum recte accommodatur (Erdélyi, Legkritikusabb pp. 73, 76, 90; Tagányi op. cit. Tört. Sz. 5 [1916] 439 sq.). Ipsi in lingua Hungarica "őr" 'custos' sunt nominati, argumentum primum identificationis non prius, quam ex anno 1272 cognitum est. Id, quod significatio vocabuli "őr" — quod prius sensu latissimo fuerat — ad officium solum explorandi reducta est, cum transformata compositione militari saeculi XIII coniuncta esse potest. Postquam castra lapidea exstructa sunt, et quoniam castra huiusmodi plerumque in possessionibus baronum et nobilium aedificata sunt, necesse factum est fines regni iam aliis modis defendere: ministerium equitum levis armaturae velociter se moventium, qui in villis habitabant, praesidia castrorum suscepserunt. Ministerio custodum, qui armis instructi erant, iam non opus erat, ergo custodes in numerum iobagionum relati sunt. Officium tamen "speculatorum" constanter necesse remansit, et quoniam huic et arma vetera et vetus vitae genus respondebant, "speculatores" etiam saeculo XIV sperare potuerunt, fore, ut status proprius socialis et privilegia sua confirmarentur. Nomen Latinum "speculator", quod ministerium istorum significavit, constanter servatum est, sed nomen Hungaricum "őr" 'custos' factum est, quod ministerium honoratus eorum significavit, qui armis instructi erant (de significationibus vocabuli "speculator" v. Kristó—Makk—Szegfű op. cit. HK N. S. 20 [1973] 650 sq.).

Fanciska — In V₄: "Francisca", in R: "Frantska", in codicibus autem ceteris formae: "Franciska", "Fancyska" inveniuntur (SRH I, 366).

Novo Castro — Castrum Újvár (hodie Abaújvár), de quo comitatus Abaúj nomen accepit (Györrfy, Tört. földr. I, pp. 45, 58), ad fluvium Harnadum (Hernád ~ Hornad) situm est. Locus proelii ab Abaújvár tam longe abest, ut Domanovszky castrum Újvár quoddam quaerens, quod ad locum proelii proprius sit, Novum Castrum in Gestis adnotatum cum hodierno loco Szamosújvár (Gherla) identificaverit (SRH I, 367, adnot. 1). Sed hoc castrum tantum saeculo XVI aedificatum est atque etiam tunc nomen ei datum est, itaque nullo modo mentio huius castri fieri potest. Officium "speculatoris" de Novo Castro ad fines Transylvaniae expletum eo explicari potest, quod catervae comitatuum finitimorum a rege et a ducibus contra Uzos contractae sunt et una cum his catervis etiam "speculatores" Novi Castri, quod prope fines stetit, ad bellum proficisci potuerunt.

quinta feria — Id est dies Iovis.

sexta feria — Id est dies Veneris.

nomine Osul — Oslu > Osul nomen personae Turicum est, probabiliter identificari potest cum vocabulo Cumanico аşly 'frumentum'. Nomen proprium eiusmodi est, sicut nomen Turicum "Arpa" (Gombocz Z., Az Oslu nemzetségnév eredete [= Origo nominis generis Oslu], MNy 20 [1924] 23 sq.). Nomen generis Hungarici Osl quoque scriptum est etiam Osul (Karácsonyi II, p. 401).

serviens — Nomen "serviens" non relationem ad classem quandam socialem, sed rationem muneric significavit, et quoniam homo Hungaricus quoque, qui liber, immo quidem militans fuit, qui e pugnando sibi victimum comparabat, se comitem domino cuilibet vel seniori adiungere potuit, nota quaedam servitutis haud necessario ei adhaerere debebat (Váczy op. cit. Száz. 61—62 [1927—1928] 264 sq.; Erdélyi, Legkritikusabb pp. 143 sq.).

Gyule ducis Cunorum — Nomen dignitatis gyula, ex quo apud Hungaros nomen personae Gyula deductum est, etiam apud alios populos Turcicos usitatum erat. Sic apud Kazaros, Bulgaros, Tartaros Altaicos, Bissenos (Németh pp. 45, 295; Györffy, Besenyők 44 sq.).

337 *vocatur Kyrieleys* — Villa Kerlés (Rumanice Chiraleş) a civitate Bistricia (Beszterce, hodie Bistrița) ad meridiem-occidentem in valle rivi Sajó (Rumanice Șieul) sita est (Kádár op. cit. IV, pp. 312, 315, descriptione regionis addita).

339 *Capita quippe ... disciderunt* — Cf. Anonymus: "tonsa capita Cumano-rum ... mactabant tanquam crudas cucurbitas" (SRH I, 44). Vocabula congruentia Anonymi et scriptoris Gestorum eundem fontem amborum esse demonstrant (Győry p. 62). E variantibus Gestorum in *V₂*, *V₃* et *V₄* forma "Cunorum" legi potest, in ceteris autem variantibus codicibus forma "Cumanorum" adnotata est, quae forma vocabuli etiam apud Th. invenitur.

340 *filiam episcopi Waradiensis* — Vocabulum etiam in duabus relationibus aetatem determinat. Anno 1068 episcopatus adhuc Bihoriensis est memoratus, quoniam sedem eius in civitatem Varadinum tantum Sanctus Ladislau translocavit. Continuator autem Gestorum aetatis Colomani — quamquam anachronismo utens — episcopum Varadiensem iam memorare potuit. Ex altera autem parte eo tempore, quo res acta est, clerici adhuc uxorem in matrimonium ducere potuerunt, atque ita mentio filiae episcopi cuiusdam lectorem offendere non potuit, eam igitur silentio praeterire non erat necesse. Coniugium clericorum synodus aetatis Sancti Ladislai in civitate Zabolch (Szabolcs) celebrata non condemnavit, et tantum tunc postulavit, ut clerici uxores suas dimitterent, si iam ipsi secundum matrimonium haberent, aut si viduam, repudiataam uxorem matrimonio secum coniunxis-sent. Prima synodus Strigoniensis, cuius de tempore sententiae doctorum variantur, nam secundum Pauler (I, pp. 448 sq.) synodus Sancto Ladislao regnante fuit, sed ut Závodszy arbitratur, iam aetate Colomani (95 sq.) habita est, hac in re iam longius progressa est, quoniam ex sententia conatuum religionem Christianam reformaturorum Gregorii VII, vetuit clericos uxorem ducere, si ante consecrationem adhuc in matrimonium non

inirent, quamvis simul matrimonium eorum, qui uxorem iam habuerunt, comprobavit (I, 31 “Presbiteris uxores, quas in legitimis ordinibus acceperunt, ... indulsimus”, Závodszky p. 201). Synodus eadem in episcopos severitatem graviorem adhibuit. Edixit clericum, qui uxorem habet, posthac tantum tunc episcopum fieri posse, si uxor eius consentit, ut vita coniugalis desinatur (I, 11, Závodszky p. 199). Hoc omne ad futura attinuit et statum episcoporum uxorem habentium haud attigit, simulque pro usibus non legitimis prohibendis sat erat edicere episcopum ex suis proventibus episcopalibus ultra modum filii impertire non licere, uxori autem vetitum esse bonis ecclesiasticis administrandis se immiscere (I, 13, 33, Závodszky pp. 199, 201). Secunda synodus Strigoniensis, quae Colomano regnante habita est, postulata in episcopos allata latius rata esse iussit. Edixit enim clericum tantum tunc diaconum fieri et consecrari posse, si ipse clericus et item uxor continentiam voverent (II, 9, Závodszky p. 208). Ex eare, quod principium coelibatus clericorum exeunte saeculo XI et ineunte saeculo XII tantum gradatim valere cooperat, papatus autem auctoritati coelibatus quam latissime propagandae studuit, atque hic conatus quidem paparum prospere evenit, duae conjecturae deduci possunt. Partim intellegi potest scriptorem exeunte saeculo XI et ineunte saeculo XII viventem ne minime quidem reprehendere potuisse, quod episcopus quidam filiam habuit, partim hic scriptor opus suum scribere non potuit posterius, quam aetate Colomani, quoniam tempore posteriore rem iam pudendam et omittendam esse habuisset (Gericz pp. 87 sq.), quamquam papa Alexander III. etiam inter annos 1159—1179 archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi praecipere coactus est, ne hominem uxorem habentem episcopum ordinare auderent (W. Holtzmann, XII. századi levelek kánoni gyűjteményekből [= Litterae paparum saeculi XII e collectaneis canoniciis], Száz. 93 [1959] 411).

equum ... Zug nominabat — Vocabulum Hungaricum “szög” ‘fuscus’ cara acceptaque nominatio equorum fuit (Szamota—Zolnai col. 831, argumentum anni 1479; Zs. O. II, num. 1724, argumentum anni 1402).

Vidit denique ... illum interfecit — Ad textum intelligendum tabula picta 340—341 in a inventa nos adiuvat, in qua duo spectacula certaminis depinguntur. In parte imaginis inferiore dux in via ad castrum quoddam ferenti raptorem virginis insequitur, in parte superiore imaginis iidem, postquam ex equis descenderunt, luctando certant, dum puella gladium ducis a tergo in pedem laevum raptoris infigit. Delineator imaginem non textum sequens in imagine depingenda laboravit. Hoc eo quoque affirmatur, quod in manum ducis raptorem insequentis pro lancea securim dedit, raptori Cumanico autem arcum intensem. Ut conici potest, imago secundum formam eiusmodi descripta est, quae forma ad delineatorem ex Hungaria allata est. Nam hic in usum receptum erat, sicut in miniatura Chronicorum Picti demonstratur, pro certamine militari luctationem ostendere, atque hic vigebat sermo popularis, ex quo res tota ad personam Sancti Ladislai adjuncta intellegi potest. Ipse sermo, ex quo certantes armis depositis luctando adversarium

superare conantur, e descriptione aurearum laminarum Scythicarum initium dicit. Traditio quoque popularis est, quod adversarius in pede vulnerandus est. Heroes fabularum invulnerabiles sunt, tantum nervo Achilleo caeso devinci possunt, sic in cantu de Stella Alcis Vogulorum, re vera autem pastores armentarii Hungarici quoque pecora indomita nervos incidendo coercuerunt. Significationem imaginis explicavit László pp. 421 sq., 428 sq. Item Gy. László (A népvándorláskor művészete Magyarországon [= Ars aetatis migrationis gentium in Hungaria], Bp. 1974², pp. 112 sq.) ex hac imagine explicavit legendam Sancti Ladislai praeter certamen, quod pro rapta puella liberanda certatum est, etiam alterum ramum habuisse: certamen caerimoniale lucis et tenebrarum repraesentantem. P. Kulcsár (A cserhalmi ütközet László legendájában [= Proelium ad Cserhalom (Kerlés) in legenda Ladislai], ItK 71 [1967] 162 sq.) secundum inconsequentiam narrationis Gestorum — ex qua primum puella raptorem fugientem equo detrahit, ut heros insequens eum assequi possit, mox puella vitam raptoris servatura est — ex opere Antonii de Bonfinis conjecturam facit, ut exeunte saeculo elementum vetus legendae adhuc vivum fuerit, secundum quod raptor Cumanicus a puella occisus est. Imagine demonstrante luctatio et caedes raptoris Cumanici elementa genuina narrationis sunt, id autem, quod puella raptorem suum defensura erat, item adnotatio scriptoris de virtute praecipientis haud dubie posterius, fortasse saeculo XIV inserta est. Secundum Kristó (1972, Ethn. 64 sq.) ex eo, quod Ladislaus ut miles fortis descriptus est atque quod attributa eius “Beatissimus” et “Sanctus” sunt, interpolationem post annum 1192, cum Ladislaus in numerum sanctorum relatus est, factam esse conjectari potest (v. adhuc Györffy op. cit. TSz 9 [1966] 29, adnot. 31). Csóka digressionem de Ladislao ineunte saeculo XIII adnotatam esse arbitratur (p. 557). Historia ergo in chronico descripta omnino derivatum secundarium est, et nomen regis Ladislai in mythum aetate pagana ortum nimirum posterius illatum est.

341 *filia episcopi non fuit* — Sicut Gerics (p. 87) vidit, refutatio cum descriptione vix conectitur, textui minime congruit. Non hic, sed superius locum haberet, ubi puella prius memorata est. Id posterius ortum atque interpolatum esse manifestum est.

felici embola — Vocabulum “felix embola” origine iuris Romani est: Iust. Cod. lib. 1, 2. Apud Anonymum quoque usitatum est: “Felix igitur Hungarorum embola” (SRH I, 110; v. Gy. Bónis, Einflüsse des römischen Rechts in Ungarn, Ius Romanum medii aevi, Pars V, 10, Mediolani 1964, pp. 14 sq.), sumi ergo potest vocabulum e fonte communis scriptoris Gestorum atque Anonymi ortum esse. Vocabulum “embola” in Gestis ‘exercitum’ significat (Horváth J., op. cit. ItK 70 [1966] pp. 5 sq.).

gaudentes redierunt — In opere hagiographicum de Sancto Ladislao scripto, quod saeculo XIII ortum est (SRH II, 515), digressio hic descripta non est memorata, memoria tamen puellae Hungaricae liberatae tradita est, et in picturis parietum ecclesiarum saeculi XIV et in miniaturis codicis manu

scripti saeculi XIV bibliothecae Vaticanae servata est. At in serie picturarum non solum redditur, quo modo dux iuvenis puellam raptam liberaverit atque hac adiuvante raptorem necaverit, sed id quoque depictum est, quod in Gestis omittitur, cum ipse defessus caput in gremio puellae demiserit. Momentum posterius in fama epica populorum Turcicorum inveniri potest, etiam in invento aureo, quod anno 300 a. Chr. n. ortum et in Sibiria repertum est, effectum videmus, itaque Hungari patriam occupantes e patria priore sua id momentum famae secum tulerunt. Momentum postea etiam in duo genera apud Hungaros iam Christianos ramificatum vixit. Partim elementum typi carminis epicolyrici nomine “nupta nova elicita” noti et in tota Europa divulgati factum est (Vargyas L., Kutatások a népballada középkori történetében [= Quaestiones in historia medii aevi carminis epicolyrici], Ethn. 71 [1960] 479 sq., 490 sq.), partim figurae Sancti Ladislai annexum est. Hoc varianti posteriore codex manu scriptus superius memoratus ad cultum Mariae augendum usus est, nam Beata Virgo quoque in numerum personarum legendae relata est, quae manu vulnus regis attingens eum sanum reddidit (Lukcsics P., Szent László király ismeretlen legendája [= Legenda ignota regis Sancti Ladislai], Bp. 1930, pp. 6 sq., 24 sq.). Scriptor Gestorum historiam puellae liberatae narrans materiam e poesi populari sumpsit et nomini Sancti Ladislai heroicum elementum epicum adiunxit.

Facta est ... letitia magna — I. Macch. 4, 58: facta est laetitia in populo magna.

hymnis et confessionibus benedicebant deum — II. Macch. 10, 38: in hymnis et confessionibus benedicebant dominum, qui ... victoriam dedit illis.

(77.)

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

De irruptione ... captione eiusdem — Index ex indicibus capitum Chronicorum 342
Picti et A (“De adventu Bissenorum in Hungariam”, “De expugnatione
Albe Bulgarice”, SRH I, 369) a Th. ipso conscriptus est.

tertio anno post adventum Cunorum — Id est anno 1071 (Pawler I, pp. 117, 433).

Bisseni — Bisseni, adversarii quondam horrendi Hungarorum, propter bella assidua, et quia statum tribuum regno feudali firmo permutare ipsis non contigit, ad medium saeculum XI famam horrendam iam amiserunt. Anno 1040 duae tribus eorum in regione Byzantina tutelam quaerebant, ii autem Bissenorum, qui in vicinia Hungariae remanserunt, Uzis resistere nequierunt, atque ita aut sibi refugium in imperio Byzantino petiverunt, aut principatibus Russicis allati sunt (Györffy, Besenyők, pp. 5 sq.; D.

Rassovsky, Péthénègues, torks et béréndés en Russie et en Hongrie, Seminarium Kondakovianum 6 [1933] 65 sq.). Imperatores Byzantii, sicut etiam reges Hungariae fecerunt, Bissenos imprimis finibus imperii tutandis adhibuerunt. Villae nomine Pečenoge ad fines extremos Serbie oriae etiam diebus nostris memoriam incolarum pristinorum servant (Jireček I, p. 216). Officium Bissenorum militantium erat, ut finitimos populos sollicitarent, iisdemque autem praemio dabatur, quod ipsi in terra finitimarum sibi comparaverunt.

Albam Bulgaricam — Hodiernum Belgradum (Beograd) est ad os fluvii Savi situm. Attributum “Bulgarica” congruit cum rebus saeculorum XI—XII. Procul situm est ab ambabus sedibus regionis frequentis incolarum Serbiorum — partim a regione orae maritimae Hadriaticae, partim a valle Raška ad hodiernam civitatem Novi Pazar (Jireček I, pp. 210 sq.) —, sub ditione Bulgarorum erat, cum autem imperator Byzantii Basileus II. anno 1018 Bulgaria in dicionem suam rededit, Belgradum sortem communem cum Bulgaria habuit. Ut ex inferius dictis eminet, Belgradum sedes ducis vel strategi Graeci cuiusdam factum est, nimurum praesidio stativo Graeco communum (Pawler I, p. 117), quod praesidium hic quoque officium devictos coercendi habuit (cf. Slatarski pp. 80 sq.: J. Калић—Мијушковић, Београд у средњем веку, Београд [= Belgradum medio aeo, Belgradi] 1967, pp. 33 sq.).

flumen Zaua — Hungaricum nomen fluvii: “Száva” varians est nominis Serbico-Croatici “Sava”, hoc autem e forma Latina nominis “Savus” intercessione Germanica formatum est (Melich pp. 72 sq.).

campum Buzias — Secundum diplomata primae partis saeculi XIV in comitatu Sirmensi, prope Savum tres villae erant, quarum nomina cum attributis Magyarbuzyas, Kyusbuzyas, Toth Buzyas (scilicet villae Buzyas Hungarica, Parva et Sclava nominatae) coniuncta nomen Buzias servaverunt (Csánki II, p. 242). Quoniam villae huiusmodi in regione quadam maiore dissecta oriri solent, nominatio “campus Buzias” saeculi XI ad illud tempus apta videtur.

Zalankemen — Locus Szalánkemén, hodie Slankamen (in Jugoslavia) in ripa dextera Danubii, contra os Tisciae in comitatu Sirmensi est. Dum incrementum eius incursionibus Turcorum praedantium non est interrumpatum, unus erat locorum regionis meridionalis ad modum civitatis crescentium (Csánki II, pp. 233, 237; Mályusz E., A mezővárosi fejlődés [= Progressio oppidorum], in Székely, Tanulm. pp. 178 sq.). Res florentes loci e situ peropportuno geographico suo ortae sunt. Initium progressionis inde oriri potuit, quod sal e Transylvania in fluviosis Marusio et Tiscia devectus hic translatus et venditus erat. Vocabulum loci quoque cum hac re coniunctum esse potuit. Vocabulum loci enim origine Slavicum meridionale e compositione attributiva verborum slan ‘salsus’ et kamenъ ‘saxum’ ortum est (Melich pp. 83 sq.).

343 *Nandorfeyerwar* — Sic in *V₅* (SRH I, 370) invenitur. Nomen Hungaricum

Belgradi est. Vocabulum loci Hungaricum ad modum vocabuli “Alba Bulgarica” factum est. Bulgari enim ad Danubium habitantes a Hungaris nomine “Nándor” sunt nominati. Hoc nomen populi e nomine “onogundur” est formatum et in vocabulis locorum Hungaricis Nándor, Lándor etiam hodie invenitur (Eckhart F. Nándorfejérvár [= Belgradum], MNy 5 [1909] 311 sq.; Györffy, Tanulm. pp. 33, 64, 131). Interpretatio Šišić falsa est (A Nándorfejérvár név jelentéséről [= De significatione nominis Nándorfejérvár], Száz. 49 [1915] 615 sq.).

Exiit... edictum — Luc. 2, 1: exiit autem edictum a Caesare Augusto.

Greci autem et Bulgari — Bulgaria saeculis XI—XII non erat regnum suae potestatis (D. Koszeg—H. Hrisztov—D. Angelov: Bulgária története [= Historia Bulgariae]. Bp. 1971 pp. 34 sq.), sed populus Bulgarus seditiones contra imperium Byzantium saepius faciendo voluntatem vivendi testabatur. Scriptor Gestorum res veras politicas, praestantiam Byzantium in sequentibus bene describit, nec anachronismum eo facit, quod praeter Graecos contra Hungaros etiam Bulgaros producit. Hi Bulgari erant militantes, qui expugnatores adiuvabant et eis inserviebant.

ignes sulphureos — Fomentum flammae “ignis Graecus” nominatum probabiliter materia calcis coctae, sulphuris, carbonis, piceae, resinae et salis petrae cum naphta confusa fuit. A saeculo IV in imperio orientali Romano usitatum erat et praesertim in proeliis navalibus efficax ostentum est.

secunda feria — Dies Lunae est.

acies... turmas — Vocabula militaria “acies”, “manipulus”, “turma” usitata auctorem multa lectione scriptorum antiquorum exercitum esse demonstrant.

insertis umbonibus — Vocabulum, ut Pauler (I, p. 434) arbitratur, milites se scutis instruere significat. Nam “umbo” est pars extumescens in medio scuto, cui lorum scuti alligatum erat.

comes Uid — In diplomate fundationali anni 1055 monasterii Tichoniensis et in diplomate fundationali circa annum 1067 dato monasterii de Zazty inter testes memoratur (Marczali, Enchiridion p. 85; Wenzel I, p. 27). Secundum magistrum Acus comes Vid de genere Gut-Keled est ortus (cf. caput (43.)). Continuator aetatis Colomani nec hic, nec inferius, cum iterum mentionem eius facit, genus eius memorat, tamen ex hac re coniecturam eiusmodi facere non possumus, velut si fama saeculi XIII falsa fuerit. Ineunte saeculo XII adhuc haud fuit mos originem generis adferre, atque ita mentione generis praetermissa scriptor Gestorum ad illud tempus apte scripsisse demonstratur.

Bachiensibus — Comitatus Bachiensis in regione inter Danubium et Tisciam porrecta comitatus ad meridiem infimus est. Nominatio comitatus e nomine Turcico derivatum est ita, ut comes primus Bach (Bács) esset nominatus, a quo sedes comitatus nomen accepit. Vid sine dubio comes comitatus erat. Haec res coniuncta est cum eius possessione, quam in

regione Sirmensi habebat. Györffy (op. cit. II. Oszt. Közl. 2 [1952] p. 339) possessionem Vid “iam decennia complura” habuisse dicit. Cum sententia Györffy consentire non possumus. E contrario, regiones administratione recentius constituae, ubi coloniae deducendae erant, qualis ipse “campus Buzias” quoque esse potuit, aptae erant, ut reges iis bene meritos remunerarentur, aut proceribus immigrantibus, sicut etiam in finibus occidentalibus factum est, eas dono darent, itaque structuae possessionum feudalium formandae faverent.

agmina Soproniensium — Robur militare comitatus Sopruniensis est.

345 *in ore gladii* — II. Mos. 17, 13.

Kazar — Nomen idem est ac nomen populi “Kazar”. Apud populos Turcicos nominibus populorum et gentium ut nominibus personarum uti vulgatum est (Németh pp. 83 sq.).

liberalitate regia — Vocabulum in variantibus Chronici Budensis legit potest; in variantibus Chronici Picti “liberaliter” (SRH I, 371) invenitur.

quarta feria — Dies Mercurii est.

347 *Saracenis* — Saraceni in Hungaria generaliter sectatores Muhamedi intellegebantur sine respectu, ex quoniam genere hominum orti essent (v. caput (49.)).

Utinam — Sic tantum in *V₄* (SRH I, 372) legitur.

Machabeorum — In historia Iudeorum nomen familiae Iudeam a dominatione externa liberantis est.

348 *Opus* — Opus a Domanovszky idem esse dicitur atque Opos Fortis (SRH I, 373 adnot. 1). Sed in variantibus Chronici Picti, praeter *V₄*, nomen “Obus” est scriptum, quae forma eadem est atque Abos. Pauler (I, p. 434) subtiliter adnotat hoc loco de Opos Forti agi non posse, quia, cum in Gestis memoratur, semper etiam nomen patris nominatum est, et tantum uno loco “Opus miles electus” legitur; sed hic sine dubio de Opos, filio Martini, qui una cum Salomone profugit, agitur. Th. certe ideo nomen Opus scripsit, quoniam in variante prope *V₄* stanti, quo ipse usus est, hanc formam nominis invenit.

Bors — In lingua Hungarica nomen personae origine Turicum est. Nomen primo commune est: identificari potest cum vocabulo significanti aroma “piper” ’bors’. Idem nomen personae in nominatione comitatus Barsiensis servatum est (Melich pp. 361 sq.; Pais, Anonymus p. 108).

corpus ... in turpitudinem proiecerunt — Iam János Arany (Naiv epo-szunk, Szépirodalmi Figyelő [= Carmen epicum nativum Hungarorum, Observator Ingenuarum Litterarum] 1 [1860—1861] p. 34) hanc partem Gestorum “locum Homericum” dixit (v. adhuc Vértesy J., A Képes Krónika irodalmi jelentősége [= Vis litteraria Chronicorum Pictorum], Száz. 39 [1905] 12). T. Kardos veri simile putavit hanc historiam auctoribus scholarum magistris in carmina epica Hungarica et inde in Gesta perlatam esse (Deákmuveltség és magyar renaissance [= Eruditio litteraria et renascimentum Hungaricum], Száz. 73 [1939] 307; Idem, A magyarság antik

hagyományai [= *Traditiones antiquae Hungarorum*], Bp. 1942, pp. 14 sq.). A vocabulis “Post hec tres Saraceni” (sent. 347) usque ad haec verba textus Gestorum tantum in membris familiae Chronicorum Picti invenitur, quorum ex uno textum Th. transcripsit.

Nicota duce — Nomen a Pauler in forma “Nicetas” constitutum est (I, p. 349 119). Similiter etiam a Gy. Moravcsik, A magyar szent korona görög feliratai (= *Inscriptiones Graecae in sacra corona Hungariae*), EPhK 59 (1935) 149. Munus ducis item a Pauler cum munere strategi idem esse putatur (I, p. 117).

reclusi — Sic tantum in *V₄* est. In variantibus ceteris forma “inclusi” (SRH I, 374) legitur.

misericordie visceribus — Luc. 1, 78: per viscera misericordiae dei. Pauler 350 complura argumenta diplomatum accurate conquisita indicat, quibus illustratur, quomodo captivos habuerint (I, p. 435, adnot. 243).

in villam Buzias — Villam Buzias nominatam Pauler disiungit a campo 351 Buzias et cum possessione in comitatu Valko sita et medio saeculo XIV nomine “Buzias alio nomine Fulbertfalva” memorate identificat (I, p. 434). Explicatio eius contorta est (cf. Györffy op. cit. II. Oszt. Közl. 2 [1952] 339) et rebus possidendi quoque contradicit (de his v. caput <43.>).

dividere non potuerunt — A vocabulis “Cum autem reversi” usque ad haec vocabula e duobus diversis textibus, qui supersunt, Th. textum familiae Chronicorum Picti transcripsit.

Franck episcopi — Sic in *V₃* (SRH I, 375) legitur. In diplomate fundationali monasterii Sancti Benedicti de Grana inter testes “Franco episcopus” est memoratus (Mon. Strig. I, p. 60), in Chronicorum autem Andaginensis monasterii patefit, quod “Franco Bellagradensis episcopus” vel pontifex circa annos 1076—1081 Leodii (hodie Liège) aderat (Gombos I, pp. 493 sq.). Argumenta Gestorum et horum duorum fontium certe ad eundem episcopum pertinent. “Bellagradensis” quidem identificari potest cum Belgrado, quod ab anno 1019 sedes episcopatus archiepiscopo Achridensi subditus erat et mansit sedes episcopatus sub dictione Hungarica quoque, postquam anno 1071 occupatum est (Šišić op. cit. Száz. 49 [1915] 628; Váczy P., A korai magyar történet néhány kérdéséről [= *De quaestionibus nonnullis historiae Hungarorum veteris*], Száz. 92 [1958] 269), sed difficile est credere episcopum quandam Graeci ritus sine ulla re prius acta in Bataviam pervenire atque ibi in functionibus ecclesiasticis interesse potuisse. Verum est saeculo XIII Belgradi episcopatum catholicum, ritus occidentalis denuo constitutum esse, tamen id quoque vix credi potest, quod formatio huius episcopatus prior statim post annum 1071 fundata sit. Secundum Pauler episcopatum Bellagradensem credi potest episcopatum Transylvaniensem fuisse, quoniam sedes huius, Alba Iulia etiam Belgradum est nominata (Pauler I, p. 434). Székely (op. cit. in Annales 4 [1962] pp. 62 sq.) eum identificat cum episcopo Polono, Francone, qui iam a Pauler notus fuit, hunc episcopum in catholica missione propagatorem fidei facit,

Bellagradum autem identificat cum Belgardo in Pomerania, hodierno Białogard (similiter in studio altero, in Székesfehérvár II, pp. 56 sq.). In hac coniectura praetermittitur, quod Belgardum memoratum non erat sedes episcopatus, de loco quodam — si non ibidem episcopatus fuisse — non erat usitatum episcopo missionario nomen dare, Franco autem ut episcopus Vladislaviensis cognitus est.

Radoan filii Bugar — In diplomate fundationali monasterii Sanctae Mariae de Zazty (Százsd) in comitatu Borsodiensi anno 1067 inter testes “palatinus comes Rodowan” (Wenzel I, p. 27) memoratur. Secundum Pauler Radoan, de quo in Gestis agitur, non est idem atque hic palatinus, quia — sicut Pauler profert — scriptor Gestorum ob id ipsum nomen patris illius memoravit, ut Radoan a palatino discerneretur (I, p. 434). At Hóman identitatem pro certo habet, et quia nomen Bugar pro Bugat falso scriptum esse putat, genus palatini quoque explicari posse arbitratur. Secundum Hóman Radoan proavus illius generis Bogát-Radvány esse potest, quod, ut in gestis Simonis de Kéza legitur, e Bohemia ortum est (SRH I, 190). Quia consiliarii familiares Salomonis et ii, qui circa eum erant, alienigeni fuerunt, coniectura Hóman (M. tört. I, p. 278) vero propior est, quam sententia Pauler.

Ilia generi Vid — Comes Ilya in diplomate fundationali monasterii Sanctae Mariae de Zazty in comitatu Borsodiensi anno 1067 inter testes memoratur (Wenzel I, p. 27). In diplomatis saeculi XIII de genere quodam Ilia agitur. Mentio huius generis in opere Karácsonyi genera Hungarica tractanti non facta est — quod intellegi non potest —, sed Wertner argumenta de genere collegit (Nemzetségek II, pp. 60 sq.). Possessiones veteres generis in comitatu Simigiensi sitae erant (Wenzel III, pp. 125 sq., VIII, pp. 134 sq. — Wertner I. cit. et Domanovszky, SRH I, 375, adnot. 5 falso comitatum Vesprimiensem dicunt), hic fuit etiam possessio anno 1265 Ilia nominata. Huic praedium saeculo XV Ellye, hodie autem Öllevölgy nominatum congruit (Csánki II, p. 603; ceterae possessiones generis item in comitatu Simigiensi sunt). Nomen generis ex his Ellye esset.

in quattuor ... militibus, secundam — Textus a Th. conservatus hic rectior est, quam in cunctis variantibus notis Chronicorum Picti. Quia haud veri simile est textum obscurum a Th. perspicuum formatum esse, credendum est exemplar textus Gestorum a Th. usum accuratius fuisse, quam reliqua exemplaria nobis tradita. Textus corruptus Gestorum: “in quatuor partes divisit et quartam partem duci, de tribus partibus unam haberet, ut omnibus militibus, secundam” etc. (SRH I, 375. Mályusz 1967, 9).

Sed preterea ... molestatus est — Textum Gestorum a vocabulis “Sed, preterea cum thesaurum” usque ad finem capitinis tantum membra familiae Chronicorum Picti conservant, quorum ex uno textum Th. transcripsit.

⟨78.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

De discordia ... et Ladislai — Index fere cum indice capitis S identificari potest: “De discordia regis Salomonis et ducum Gehice” (SRH I, 376). Duo ultima vocabula a Th. expleta sunt.

imperator Grecorum — Imperator Michael Ducas VII. (1071—1078) est. Homo litteratus fuit, ipse quoque carmina scripsit (Pawler I, p. 120; Moravcsik, op. cit. in Szent István Ekv III, p. 448; Ostrogorsky pp. 274 sq.).

imperator ... pacem et amicitiam — Imperator legatis missis regem a duce disiuncturus et ab huius amicitia remoturus fuit secundum artes politicas, quibus Byzantium saepe ac prospere usum erat. Dux Geysa conatus benigne et libenter accepit, immo fortasse primus impulsus non ab imperatore factus est. Adversarius Salomonis — auxiliis et societate Teutonorum at propinquitate Teutonica freti — necessario indiguit opum imperatoris alterius etiam tum potentis et simul potestatem bene ostentantis imperatoris Byzantii. Ad hoc neutiquam arbitrandum est terram ducatus cum imperio Byzantio confinem fuisse (cf. Györffy, Tanulm. p. 40). Geysam cum Byzantio coniunctum fuisse etiam matrimonio eius demonstratur. Geysa filiam Theoduli Synadeni in matrimonium duxit, quae soror patruelis imperatoris posterioris, Nicephori Botaneiatis III. (1078—1081) erat et per eam Geysa potentiam coniunctionum familiarium validarum consecutus est (Wertner pp. 180 sq.; Moravcsik l. cit. pp. 450 sq.; Darkó J., A Dukas Mihály-féle korona célja és jelentősége [= Cur corona a Michaele Duca Geysae donata sit, et momentum eius], EPhK 60 [1936] 123 sq.). Item Geysam cum Byzantio coniunctum fuisse affirmat corona a Michaele Duca accepta, quae ut pars inferior corona regiae hodiernae ad nostra tempora permansit. In corona aperta (Graeca) gemmis exornata laminae emailicae, in quibus nomina inscripta sunt, praeter Christum et ceteros sanctos ordine hierarchico accurate servato imperatorem donorem et imperii socium eius (symbasileum) atque regem Geysam exprimunt (Moravcsik op. cit. EPhK 59 [1935] 118 sq., 153 sq. et op. cit., in Szent István Ekv III, pp. 425 sq.; F. Dölger, Ungarn in der byzantinischen Reichspolitik, AEKO 8 [1942] 329). Inscriptio laminae posterioris in translatione Latina: “Geysa, rex fidelis Turciae” est. Vocabulum inscriptionis πιστός ‘fidelis’, ut Moravcsik sensit, ambiguum est. Non solum ‘fidelem’ significat, sicut in titulis imperatorum, sed etiam ‘fidum’, et per hoc ars imperii administrandi Byzantina ambigue expressura fuit, ut donata corona rex Hungariae imperatori fidem praestare deberet. De tempore, quo corona in Hungariam missa est, ex inscriptione ipsa citata doctores idem existimaverunt. Quoniam Geysa in inscriptione rex est nominatus, logice colligebatur, quod corona inter annos 1074 et 1077 missa erat. Sed a Györffy (Tanulm. p. 41) opinio prolata est, secundum quam ars imperii Byzantini administrandi tunc quidem rebus fictis utebatur,

cum Geysam regem dixit, et eum iam ducem titulo regis ornavit, quasi cupiditatem regni adipiscendi eius auctura. Coniectura Györffy aliud quoddam momentum adhuc obscurum explicatur, qua de causa iuvenem circa 14 annos natum capillis castaneis effectum in imagine Constantinum Porphyrogenitum, imperii socium Michaelis Ducae repraesentanti videamus, cum filius imperatoris eodem nomine nominatus, quocum secundum inscriptionem identificatur, anno 1074 natus sit et capillos flavos habuerit. Quoniam annus 1974, qui ut tempus primum possibile coronae missae acceptus est atque infantia imperii socii neutquam accommodari possunt, coniectura Györffy, ex qua Geysa duce corona missa est, difficultatem solvit, nam imperii socius in hoc casu frater natu minor imperatoris, item Constantinus Porphyrogenitus nominatus erat. Demonstratio tamen ad probandum firmior esset, si eam casus analogicus eiusmodi sequeretur, quod ars imperii Byzantini administrandi alio tempore quoque rem veram omittens aemulum regni quandam regem sui iuris appellavit. Ad extremum haud probandum videtur id, quod Györffy res ad coniecturam suam sustinendam allatas non ab utraque parte aestimat. Quamquam ipse signum ducatus gladium fuisse declaravit (cf. caput (71.), sent. 317), nunc id neglegit, quod, dum insigne imperatoris recte labarum est, Geysa in manu dextera crucem duplarem at non sceptrum tenet, quod quidem ei debetur, si iam rex est appellatus; silentio praeterit argumentationem Darkó (l. cit. 130 sq.), ex quo crux duplex re vera sceptrum cruce ancorata decoratum est, eo quidem, quod — ut dicit — in simulacro in manu laeva Geysae “gladius” est (Tanulm. p. 40), quasi gladium ducalem lecturis suggerit, quamquam dux manum sub capulo gladii tenet eodem modo atque imperator vel imperii socius illius (v. simulacra Moravcsik op. cit., in Szent István Ekv III, pp. 437, 441, 454).

353 *multo plures milites* — Adnotatio sive ad membra comitiae militaris, sive ad numerum comitatum regalium, qui numerum comitatum ducalium excessit, pertineat, argumentatio omnino probari potest.

Sicut duo ... conregnare potestis — Proverbiū Hungarice primum Iohannes Decius Baronius adnotavit anno 1598 Bartphae in opere suo, quod indice “Adagiorum graeco-latino-ungaricorum chiliades quinque ex Des. Erasmo, Hadriano Iunio ... excerptae ac Ungaricis proverbis ... translatae” editum est (Chiliadis II, centuria II, decas II, 5): “Két élös tőr nem fér egy hüvelybe” (= Duas sicas acutas eadem vagina non recipit). (Cf. Tolnai V., Szólások [= Proverbia], in Magyarság néprajza [= Ethnographia Hungarorum]. Sub prelum typographicum misit Viski K. tom. III². Bp. sine anno adnotato p. 384.) Hoc textu Baronius sententiam proverbii Erasmi Rotterdami redditurus fuit: “Unicum arbustum haud alit duos erithacos”. Hoc Erasmus ita explicavit: “Idem arbustum non alit duos erithacos. Zenodotus autor est, hoc adagio notatos illos, qui ex rebus minutis festinant ditescere. Mihi videtur non intempestiviter dici posse in eos, quibus parum convenit, nec in eodem munere concorditer versari

queunt" (Adagiorum opus, Basileae 1528, p. 395. Chil. II, cent. II, dec. II, 2). Duae imagines in proverbiis Latino atque Hungarico expressae inter se tantopere differunt, ut dubium non sit, quin Baronius proverbio in lingua Hungarica noto et usitato sententiam proverbii apud Erasmus reperti redditurus sit. Mirum in modum proverbium sententiae similis: "Una domus non alit duos canes", quamquam huic Erasmus interpretationem talem addidit, quae magis ad textum Gestorum convenit ("Sic idem regnum non fert duos tyrannos. Eadem respublica non fert duos expilatores."), Baronius sic transtulit: "Nem ió egy clastromban két gárián" (= Haud bonum est in eodem claustro duos guardianos esse) (Chil. II, cent. II, dec. II, 7). Proverbium, in quo duae spicae memorantur, exeunte saeculo XVI sine dubio omnibus notum erat, et fieri potest, ut a Th. pervulgatum sit. Variatio accurata eiusdem sententiae proverbii Hungarici in lingua Latina non est nota.

(79.)

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est insertis posterius additis.

De dolositate ... victoriis eorundem — Index idem est atque index capitinis 354 Chronici Budensis: "De dolositate regis, bellisque duobus ducum contra regem et de victoria eorundem" (SRH I, 377).

Post hec ... proficiscerentur — Tempus: annus 1072 est. Bellum Hungaricum necessario Belgrado occupato gestum est, tamen haud multo posterius, quia anno 1073 rebellantes Bulgari et Serbi, quamquam ad breve quoddam tempus, Nissam (hodie Niš) occupaverunt (Paurer I, pp. 120 sq.; Jireček, Bolgárok pp. 195 sq.).

Niis castrum Grecorum — Civitas hodierna Niš in Iugoslavia, quondam Romanus Naissus, locus natalis imperatoris Constantini Magni, tunc, quod descriptionem Gestorum affirmat, non solum sub dizione Byzantina, sed sedes strategi Graeci erat (Paurer I, p. 120).

proficiscerentur — Vetus via militaris Romana prope Danubium, transiens fluvium Moravam usque ad civitatem antiquam Viminacium, medio aevo Braničevo (Hungarice Barancs) nominatam apud os fluvii Mlavae sitam tulit, hic ad meridiem versa est et per regionem plerumque silvosam duxit (C. Jireček, Die Heerstrasse von Belgrad nach Constantinopel und die Balkanpässe, Prag 1877, pp. 13, 84 sq.).

in partibus Niir — V. caput (76.), sent. 335. Sine dubio ad ducatum pertinuit, ut e sententia textus quoque sequitur.

Keue — Vocabulum in *b* et *a* ex falso scripto "Kene" legitur. Identificari 355 potest cum hodierno loco Kovin (Hungarice Keve) in Iugoslavia, in ripa

sinistra Danubii, contra os fluvii Moravae. Mumentum eius ad traiectum magni momenti inspiciendum et defendendum aedificatum est atque sedes comitatus a Sancto Stephano eodem nomine ordinati factum est (Holub op. cit., in Szent István Ekv II, p. 103; Csánki II, pp. 114 sq.). Nomen eius origine nomen personae est et nomini communi Hungarico “kő” ‘lapis’ consentit. Forma Keve ut vocabulum loci in linguis meridionalibus Slavicis in Kovin transformatum est (Melich pp. 208 sq.).

civitate Byhor — V. caput (76.), sent. 335.

in Rusciam ... amicorum suorum — Dux Ladislaus anno 1073/4 magnum principem Kioviae, Svjatoslaum (1073—1076) adiit auxilium petitus. Quoniam hic fratre suo — avunculo regis Salomonis — Izjaslao expulso principatum adeptus est, duces iure sperare potuerunt fore, ut auxilium petitum assequerentur, preces tamen irritae manserunt (Hóman, M. tört. I, p. 278; Pauler I, p. 123; Kliutschewskij I, p. 173).

Strigonium — V. caput (55.), sent. 254.

episcopos et principes — Quoniam, sicut iam memoratum est (v. caput (62.), sent. 270), una ex appellationibus procerum “principes” fuit, id, quod una cum episcopis memorantur, fortuito factum et proprium scribendi genus esse dici possit. Sed exeunte saeculo XI et ineunte saeculo XII ex decreto Colomani in sedibus episcopalibus iudicia regionalia “synodi” nominata munus incepérunt, in quibus episcopus et comites comitatuum in terra dioecesis sitorum ius dicebant, imprimis in discordiis posteriorum inter se ortis, aut in causis procerum (Decretum Colomani I, 2, 7—9, Závodszyk p. 184). Synodi, quae quotannis bis sessionem habebant, curiam regiam exoneraturi erant, compositione sua atque eo, quod earum actionis territoria ad episcopatus accommodata erant, demonstrant potestatem ecclesiasticam in statu regni magis magisque valere coepisse. Haec res coniuncta est partim cum evolutione magnorum et latorum praediorum ecclesiasticorum, partim cum eo, quod clerici successerunt in locum eorum, qui e monachis ineunte saeculo XI episcopi facti erant. Dum in textu, qui medio saeculo XI scriptus est, vocabulum “episcopi et principes” etsi non impossibile, sed magis nota stili sit, aetate Colomani rem veram significat.

356 *Ernei* — In diplomatibus fundamentalibus monasteriorum Tichoniensis anno 1055 et Sanctae Mariae de Zazty in comitatu Borsodiensi circa annum 1067 conditorum inter testes nomen comitis Ernye in formis “Ernei” et “Erney” adnotatur (Marczali, Enchiridion p. 85; Wenzel I, p. 27). Nomen personale Ernye probabiliter identificari potest cum nomine Turcico “Ärnik”, hoc autem e nomine communi Turcico “är, ir” ‘vir, mas’ syllaba paragogica deminutiva -nik, -nák addita derivatur (Etym. Szótár II, coll. 17 sq.).

episcopum Waradiensem — Cf. cum dictis apud caput (76.), sent. 340.

nequam Vatha — “Non est impossibile”, dicit Pauler (I, p. 435), quod idem est atque ille Vatha, qui ante annos 29 ductor seditionis paganorum fuit. Hóman eum filium nepotemve ducis caedis in Kelenfeld (hodie mons

de episcopo Sancto Gerardo nominatus) factae fuisse arbitratur (M. tört. I, p. 278).

Megyer — Sic in *V₄*; in variantibus ceteris forma “Meger” (SRH I, 378) legitur. Vocabulum loci Megyer idem est ac nomen unius ex septem tribubus Hungaricis patriam occupantibus, tribus Megyer. Secundum Kniezsa (op. cit., in Szent István Ekv II, pp. 371, 456 sq.) sicut cetera vocabula locorum e nominibus tribuum formata, hoc quoque statu tribuum dissoluto — post finem saeculi X —, tamen ante medium saeculum XI ortum est, cum homines adhuc non obliviscerentur, ex quanam tribu proavi fuissent. Ut Györffy (Tanulm. pp. 26 sq.) arbitratur, loca, quae nomine tribuum sunt nominata, testantur, quod summum imperium regni superstites tribuum in terris, quae a generibus sunt ademptae, consulto dislocavit. Ad summam 45 vocabula locorum “Megyer” nota sunt (Kristó—Makk—Szegfú I, 33 sq.), quorum complura in regione hodierni Budapestini inveniuntur, atque ita constitui non potest, quodnam a scriptore Gestorum memoratum sit (SRH I, 378 adnot. 5).

Rapcha — Sic in *V₃* legitur. *V₁*: Rabcha, *V₄*: Rapcza (SRH I, 378). V. caput (64.), sent. 277.

a festo ... sancti Georgii — A die 11 mensis Novembris 1073 usque ad diem 24 mensis Aprilis 1074, sed die constituta posteriore festum Sancti Georgii solum in Hungaria et in nonnullis aliis regionibus (H. Grotfend, Taschenbuch der Zeitrechnung des deutschen Mittelalters und der Neuzeit, Hannover und Leipzig 1905², p. 49) celebratum est, alibi die 23 mensis Aprilis. Dies amborum sanctorum in iurisdictione Hungarica per saecula usitati termini erant. Dies Martini in narratione Gestorum elata cultu sancti in Hungaria iam prius divulgato probatur, simul dies Georgii memorata primo aspectu ante aetatis opportunitatem dicta videtur, quoniam Sanctus Georgius in Europa Occidentali non prius, quam post bella pro Terra Sancta suscepta gratus apud populos factus est (Lex. f. Theol. IV², p. 691). Sed ex ea re, quod patronus episcopatus a Sancto Stephano conditi Chanadiensis Sanctus Georgius erat, coniectura capi potest cultum Sancti Georgii in Hungaria iam pridem divulgatum fuisse (Székely op. cit., in Annales 4 [1962] p. 59). Fieri potest, ut cultus Sancti Georgii non sine auctoritate Byzantina divulgatus sit, nam ipse ut megalomartyr ibi eximio honore affectus est (Sántha Gy. A harcos szentek bizánci legendái [= Legenda Byzantinae sanctorum militantium], Magyar-görög tanulmányok [= Studia Hungaro-Graeca], num. 22, Bp. 1943, pp. 40 sq.), tantopere, ut a saeculo X non esset ecclesia maior vel monasterium, ubi pictura aut statura eius inveniri non posset (Künstle II, pp. 265 sq.).

et episcopum Waradiensem — A vocabulis “Rex autem venit” usque ad haec verba textus — caput 113. Gestorum — tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti continetur, unde Th. quoque materiam transcripsit. Horváth (pp. 324 sq.) indicavit Gesta hic notas manifestas poesis popularis viva voce traditiae monstrare, cuius fundamento canticum historicum esset.

357 *natale* — Dies 25 mensis Decembris est.

Geminum Castellum — Geminum Castellum (hodie Ikervár) inter Castrum Ferreum (Vasvár) et Sárvár in comitatu Castri Ferrei (Vas) ad fluvium Rabam situm est. Una cum ceteris castris memoratis praesidio fluvio Rabae fuit. Secundum diplomata saeculi XIII Geminum Castellum notas castri cuiusdam non habuit, tunc oppidum fuit (Csánki II, p. 723), et id, quod olim castrum fuerat, tantum nomen suum ostendit. Ut locus munitus, pariter ac Sárvár, cuius nomen 'munitione terre' significat, membrum munitionum saeculis X—XI exstructarum est. Nomen Latinum in diplomatibus non est notum. Scriptor Gestorum nomen Hungaricum probabiliter in sermonem Latinum convertit, quod scriptorem linguam Hungaricam notam habuisse demonstrat.

Zalam — Incertum est, qualis originis sit nomen fluvii Zalae, qui in lacum Balaton se effundit, atque nomen comitatus circa hunc fluvium late porrecti. Fieri potest, ut nomen Celticum aut Illyricum sit; Germanicum esse minime veri simile videtur (Melich pp. 410 sq.).

Marcharth — In A S B D: Marchart, in V₁ V₃ V₄: Marchrat, in R: Marhart, in V₂ V₅: Marchiat est scriptum. Quis fuerit, certe constitui non potest. Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 91) Marquartum (II.) de Eppenstein (obiit anno 1076), potentissimum comitem Carinthiae fuisse arbitratur (Mon. Car. IV/2, Herzogs-Stammtafel; G. Meyer v. Knonau op. cit. I, p. 210, II, p. 195, III, p. 20). Hóman sine argumentis adhibitis illum ducem cohortis regiae Teutonicae Salomonis dicit (M. tört. I, p. 279).

Zegzard — Sic in V₄ (SRH I, 380) legitur. Hodie Szekszárd est. V. caput (73.), sent. 327.

super locum Kestelci — Villa medii aevi Kestelc (Kesztlc) in compluribus diplomatibus memorata hodie iam ignota est. A civitate Szekszárd ad meridiem sita erat (Csánki III, p. 435).

audire vesperas — Vesperae, e temporibus laudum in monasteriis quotidie septies cantatarum, quae horae sunt nominatae, Hungarice vecsernye, post meridiem hora sexta erant, quibus etiam seculares adesse solebant.

sancti Salvatoris — Patrocinium monasterii Benedictini de Szekszárd est. Cf. caput (73.), sent. 327.

Lampertus ... Geyse — Dux Lampertus filium avunculi, Boleslaum Audacem (Bolesław Śmiały, 1058–1079) adiit mandante Geysa auxilium petiturus, tamen frustra, quoniam inter regem Poloniae et Bohemos discordia orta est, rex Poloniae etiam impetum Teutonorum metuit, itaque auxilium ante decem annos latum repetere nequivit (Paurer I, p. 122).

358 *Ingwam* — Silva Igfon nominata in terra comitatus Bihoriensis a montibus Transylvaniam et Magnam Planitiem Hungaricam disiungentibus ad occasum, inter fluvios Samusium et Crisium extensa est (Jakó p. 128). Transylvania et nomen Hungaricum (Erdély < erdő elve 'ultra silvas') et nomen Latinum (Transylvania, Ultrasilvania) ad hanc silvam relatum

acepit. Nomen Igfon compositio est vocabulorum Hungaricorum igit (égy, ügy), id est 'sacer' et fon, id est 'ligamentum, textus densus, silva', significat autem: 'sacra silva' (Pais, Anonymus p. 120, SRH I, 103, adnot. 5). Dum in Gestis forma nominis Igfan scripta adhuc pura servatur (SRH I, 380), eadem apud Th. iam deformata appareat.

matutinas — Prima hora laudum luce prima, hora tertia cantatarum est.

Villermus Latinus — Nomen "Latinus", quod saeculis XII—XIII in Latinitate Hungarica plerumque nomen Vallonum intellegebatur, saeculo XI vulgo homines linguae Romanensis, proxime nimirum origine Italicos quoque significavit. (V. caput (49.).)

abscondito — Sic in *V₅* legitur. In ceteris variantibus codicum "absconso" (SRH I, 381) est.

Petrud ... Zounuk et Bykas — Nomen medii trium consiliariorum sine ³⁵⁹ dubio respondet nomini Szolnok, nomina duorum aliorum incerta sunt. Paurer ipse tamen incerte formam Germanicam Pertrud et Bikás (I, p. 123), Hóman autem formas Hungaricas nominum Petrőd, Bikács (M. tört. I, p. 278) coniectat.

in manus Salomonis — A vocabulis "Suggerebat enim Vid" (sent. 357) usque ad haec verba textum Gestorum tantum membra familiae Chronicorum Picti continent, inde Th. transcripsit.

Ingwam — In *V₁* *V₄* *V₅*: Igfan, in *V₂*: Igfam, in *V₃*: Igfau (SRH I, 381) legitur.

Othonem ducem Bohemorum — Dux Bohemorum, Otho I. (Pulcher) (obii anno 1087) affinis Geysae fuit, quia sororem natu maiorem huius, Euphemiam in matrimonium duxit. Ab anno 1061 civitate Olomucensi atque simul parte septentrionali Moraviae potitus est (Wertner pp. 167 sq.).

positis auxiliaretur — A vocabulis "Dux autem in illis" textum Gestorum in conscriptione ampliore familia Chronicorum Budensis, paulo brevius familia Chronicorum Picti conservavit. Th. hunc textum posteriorem transcripsit.

fundatoris ecclesie sue — Fundator monasterii Bela I., pater ducum fuit ³⁶⁰ (cf. caput (73.), sent. 327).

exercitum super ducem — Textus a vocabulis "In eodem mane" — caput ³⁶¹ 116 Gestorum (Th. sent. 360) — tantum in variantibus familiae Chronicorum Picti continetur, inde Th. transcripsit.

Kemey — Etiam Anonymus memorat regionem nominatam "partes Kemey" (SRH I, 116). Regio nominata est Kemey, quae a parte ripae sinistrae fluvii Tisciae inter villam Tiszafüred et ostium fluvii Zagyva sitae ad orientem usque ad Hortobágy porrecta est. Quoniam medio aevo unus ex archidiaconatibus dioecesis Agriensis nominatus est de Kemey (Ortvay I, p. 174), regiones autem archidiaconatum principio cum regionibus comitatuum congruentes fuerunt, valde veri simile est etiam comitatum Kemey exstitisse et existere desissem, cum Cumani domicilium et sedem assiduam sibi comparaverunt (Pesty I, pp. 119 sq.). Paurer ergo errat

opinionem Pesty rigide recusando et Kemey regionem eiusmodi fuisse putando, quales regiones Nyírség vel Szilágyság fuerunt (I, pp. 124, 435).

in dignitatibus — Sic in *V₅* invenitur. In ceteris variantibus codicum: “in dignitatibus suis” (SRH I, 383) legitur.

ecclesiam filii Nog — Nominatio in vera significatione verbi intellegenda est. De ea ecclesia privata agitur, cuius possessor filius Nog (Hungarice Nagy ‘Magnus’) erat. Secundum sententiam Pauler haec ecclesia cum praedio Kápolnás a civitate Karcag ad septemtriones porrecto identificari potest.

fecit super ducem — A vocabulis “Cumque appropinquassent” usque ad haec verba textum Gestorum tantum familia Chronicorum Picti servavit, Th. inde transcripsit.

362 *cum tribus agminibus castrorum* — Scilicet cum agminibus comitatum intellegendum est.

sicut sibi promiserant — A vocabulis “Principes autem Geyse” textum, qui cum textu Th. congruens est, familia Chronicorum Picti conservavit, textus autem familie Chronicorum Budensis huic aequa conscriptus — tamen copiosus, quam in Chronicorum Budensi legitur — et in familia Chronicorum Picti et apud Th. aliquot versibus inferius inveniri potest.

triginta Salomonis agmina — Haec relatio Gestorum rationem magni momenti de numero comitatum reddit, quam per vestigatores iterum ac saepius adhibebant. Numero comitatum regalium altero triente sicut comitatibus ducalibus ad numerato medio saeculo XI numerum comitatum 45 fuisse existimabatur.

sceleratissime tradiderunt — Textus Gestorum a vocabulis “Tradidores autem” usque ad haec verba tantum in familia Chronicorum Picti continetur largius narratus atque id repetens, quod in familia Chronicorum Budensis in paucissimis versibus praedictum est. Th. codice quodam familie Chronicorum Picti usus est.

363 *Chotoyd* — Pauler maxima cum diligentia et loca accuratissime investigando hunc locum cum rivo Kota identificat, ubi secundum Anonymum quoque traiectus magni momenti nomine portus Dorogma fuisse creditur. Sententia a Györffy (MNY 49 [1953] 110; Tanulm. p. 39) renovata, ex qua Cotoyd Tokaj esse arbitrandum est, praeterea quod ne libris quidem manuscriptis probatur (secundum SRH I, 384, 386 contra formas Cotoyd, Cothoyd etc. in A et S inventas in *V₁*, *V₃* et *V₄* forma Toroyd scripta est, tamen haud assidue consequenter), contradicit argumento Pauler diligenter perpenso, quod portus Tokajensis “iam valde longe ad septemtriones situs est” (I, p. 435). Secundum D. Pais (Cotoyd, MNY 56 [1960] 111) locus Cotoyd circa rivum Kota, in ripa sinistra Tisciae, in regione Tiszafüred (comitatus Hevesiensis) esse potuit.

clericum suum litteratum — Significatio vocabuli “litteratus” usque ad saeculum XII est: ‘qui Latine legere et scribere scit’, vocabulum autem

“clericus litteratus” a saeculo X in cultu humano Europae vulgo usitatum erat. Significatio vocabuli saeculo XII mutatur. Ut Iohannes Saresberiensis conscripsit, “litteratus” dici tantum vir quidam potest, qui operum gnarus est auctorum, ergo litteris eruditus est (H. Grundmann, *Litteratus — illiteratus*. Der Wandel einer Bildungsnorm vom Altertum zum Mittelalter, Archiv für Kulturgeschichte 40 [1958] 43 sq., 52; P. Riché, Recherches sur l’instruction des laïcs du IX^e au XII^e siècle, Cahiers de Civilisation Médiévale 5 [1962] 180 sq.). Scriptor Gestorum, quia sumi non potest eum significationem vocabuli mutaturam esse praesensisse, scientiam litterarum clericis expressurus fuit. Quamquam notio clericis scientiam Latine scribendi et legendi continet, attributum “litteratus”, praeterea quod congruit usui verbi Europaeo, res Hungaricas quoque describit. Pro certo haberi potest Hungaricos clericos non omnes saeculo XII peritos litterarum Latinarum fuisse. Praeterea clericus est vir ecclesiasticus eiusmodi, qui haud ordinatus est. Typum clericorum egregie illustrat Fulco, qui in Hungariam immigravit et duci Almo, mox archiepiscopo Strigoniensi, postea episcopis Vesprimiensibus — ad summam quinque — famulatus est (“studio servitutis clericalis”), uxorem duxit, unam filiam habuit et plures possessiones sibi comparavit, de quibus anno 1146 testamentum fecit (Pannonh. I, pp. 598 sq.; Mályusz, Egyházi társadalom pp. 41 sq.). Quoniam vocabulum in Gestis “clericum suum litteratum” adnotatum omnino rebus exeuensis saeculi XI et ineuntis saeculi XII aptum est, hoc modo opportunitas partis totius magis probabilis erit.

misiit ad Lampertum — Textus Gestorum a vocabulis “et Georgium Nigrum” usque ad haec verba tantum in familia Chronicorum continetur, inde etiam Th. transcripsit.

Vaciam — Hodierna civitas Vacia (Vác) in ripa sinistra fluminis Danubii, a Budapestino ad septentriones sita est. Episcopatum eius de Sancto Maria Virgine nominatum Sanctus Stephanus condidit. Nominatio civitatis origine nomen personae est in ea significatione, quod Slavicum nomen personae Vac in lingua Hungarica formam primam servans, in lingua autem Slovaca in forma Vacov, Vacovo suffixo possessivo addito vocabulum loci factum est. Sicut Melich (p. 200) iterum explicavit, nomina bina huiusc modi ita facta sunt, ut in eodem loco incolae duas inter se differentes linguas loquentes habitabant et utrique incolae locum domicilii ex uno eodemque nomine personae nominaverunt secundum leges linguae suae, id est et Slavicum vocabulum loci et Hungaricum vocabulum loci suo iure, tamen eodem tempore formata sunt (cf. Melich J., Két beszéd [= Duae orationes], BSz 251 [1938] 373 sq.). Civitas nomine Wazenburg una cum rebus anni 1074 in Annalibus Ybergensibus (Paurer I, pp. 130, 437) memoratur.

forma bellorum est — Textum Gestorum a vocabulis “Cunque dux Geysa vidisset” usque ad hunc locum solum familia Chronicorum servavit, inde Th. quoque transcripsit.

364 *Quadragesimam* — Anno 1074 tempus Quadragesimae die 5 mensis Martii incepturn est.

ante Quadragesimam ... cantatur Exsurge — Nonnulli dies dominicarum de verbis incipientibus partis missae nominati sunt, quae pars Introitus est dictus. Introitus dominicae secundae ante Quadragesimam: “Exsurge, quare obdormis Domine?” est (Knauz 173 sq.). Anno 1074 feria quarta post dominicam Exsurge dies 26 mensis Februarii fuit.

de genere Vecellini — Cf. caput (55.), sent. 254.

militem ducis nomine Petrum — Idem esse potest ac Petrus de genere Aba ortus, qui e bonis a duce acceptis monasterium Benedictinum de Zazty (Százsd), in comitatu Borsodiensi condidit circa annum 1067 (Wenzel I, pp. 24 sq.; Paurer I, p. 435; Györffy, Tanulm. p. 39; Idem, Tört. földr. I, p. 804). Et ministerium eximum, quo apud ducem fungitur, quod scriptor Gestorum profert et quod e verbis diplomaticis fundationalis interpretari possumus, pariter coniecturam hanc veram esse affirmant.

in lorica cucullata — Loricam cucullatam huiusmodi illo tempore milites Francogallici-Normanni gestabant (Paurer I, p. 124).

In hoc autem bello ... cor transfixit — Descriptio duelli nonnullis investigatoribus Homerum reduxit, qui in hac parte Gestorum “vestigia Homeri” cognoverunt (Sebestyén, Mondái I. p. 214; Négyesi L., Árpádkori compositio [= Compositio aetatis Arpadianae], BSz 154 [1913] 194).

365 *victoriam* — Sic in D V₃ V₄ legitur, in ceteris codicibus “victoria” est (SRH I, 386).

curia filii Petri — Paurer descriptionem loci in Gestis adnotatam ad villam Péteri nominatam refert, quae a Budapestino ad meridiem-orientem sita est. Res, ex qua hic possessores saeculo XIII “nobiles de genere Petri” erant, coniecturam Paurer affirmat, tamen ipse haud dissimulat se identificationem tantum “combinative” proferre (I, pp. 436 sq.). Nullo argumento affirmatur sententia Györffy pro certo prolata (Tanulm. p. 39), ex qua filius Petri, quem Opos Fortis occidit, possessor curiae hic memoratae fuerit. Petrus in pugna occisus, monasterium fundans in diplomate memor est filiae et cognatorum, filii autem non, dicit se partitione cum duobus fratribus facta possessionibus potitum esse, atque totam partem, quae sibi contigit, ecclesiae legavisse. Difficile est cogitare eum ne verbum quidem de filio suo fecisse, si filium haberet, et mirum quoque esset, quod rex apud eum quaereret hospitium, cuius pater a milite quodam regis paulo ante occisus est.

consodalibus in eis — Falso scriptum est “eis” pro “meis” (SRH I, 386).

366 *uteremur consilio* — Textum Gestorum a vocabulis “Erney autem semper” usque ad hunc locum tantum codices familiae Chronicorum Picti continent, inde etiam Th. transcripsit.

367 *quarta feria* — Paurer acute adnotat fugientes et insequentes a die proelii, quod die 26 mensis Februarii consertum est, die septima ad primam feriam quartam peracta sub Pestinum pervenire potuisse, tamen quia haec dies (5

mensis Martii) in diem cinerum incidit, quod scriptor Gestorum vix omitteret, veri similius est, quod tempus dies 12 mensis Martii fuit.

Rakus — Rivus Rakus (hodie Rákos) a Pestino mediis aevi ad septemtriones in Danubium influit. Etiam campus praeter rivum a Pestino ad septemtriones et ad orientem patescens Rakus est nominatus.

Vacz — In *B D V₃*: Vach est scriptum (SRH I, 388).

Fuit autem ... nomen imposuit — Enuntiatio ab interpolatore quodam posteriore inserta est, ut obscuretur id, quod episcopatus Vaciensis iam pridem a Sancto Stephano conditus est (cf. Gerics J., Krónikáink szerepe a középkori jogéleben [= Vis chronicorum Hungaricorum in vita iudiciali medii aevi], LK 33 [1962] 6, 9). Descriptio hactenus rem veram continet, quoad nomen civitatis Vaciae origine nomen personae est, id tamen, quod eremita quidam Vacz nominatus sit, iam fictum est. Affirmare circa civitatem Vaciam principio saltus late extentos fuisse quasi necessario cum imagine eremitae ficta coniunctum esse putatur et cum re vera mediis saeculis XI nil habet.

capella ... Petri apostoli — Capella Sancti Petri, ut traditum est, eo loco aedificari potuit, ubi aevo recentiore capella Beatae Virginis de fonte Vaciensi nominata aedificata est. Haec in parte meridiana civitatis Vaciae ad fontem molendini cuiusdam est et “clivius editior” prope assurgens monstrat locum aediculae pristinae. (Karcsu A. A., Vác város története [= Historia civitatis Vaciae], Vác 1880–1888, I, p. 25, VI, p. 160; Szarka Gy., Vác katolikus intézményei és épületei a török hódítás korában [= Instituta et aedificia catholica Vaciae aetate invasionis Turcicæ], in Vácegyházmegye múltjából [= E tempore praeterito dioecesis Vaciensis], num. V. Vác 1948, p. 36. Secundum Szarka quoque capella extra civitatem mediis aevi exstructa est.) Gerics (l. cit. 7) mentionem capellae Sancti Petri interpolatam esse arbitratur. Secundum coniecturam nostram mentio capellae in textu primo Gestorum inveniri potuit.

clara die vidit ... tradetur a domino — De tempore, quando visio Sancti Ladislai descripta sit, sententiae in diversum tendunt. Sunt, qui aetate Colomani, alii non prius, quam Ladislaus (anno 1192) in numerum sanctorum relatus est, ineunte saeculo XIII, iterum alii respectu elementorum summorum saeculo XIV visionem descriptam esse putent (litteraturam quaestionis v. Kristó 1974, 610). Secundum consensum historicorum descriptio in conceptione idoneitatis successionis regnandi sita est (Gericcs pp. 90, 99; Kristó l. cit.).

angelus domini descendit — Dan. 3, 49.

Dum staremus ... impressit capiti tuo — Visio in legenda Sancti Ladislai non est memorata. Secundum Moravcsik scriptor Gestorum id, quod imperator Michael Ducas coronam regi Hungariae misit, quam pulcherri-
mum animo sibi fingit, huic rei politicae vestem quandam religiosam induit (op. cit. EPhK 59 [1935] 157).

allodio — V. caput (73.), sent. 327.

367–368

368

Zingota — Sic in S (SRH I, 388) invenitur. Hodiernus locus Cinkota pars regionis XVI Budapestini est.

Mons ... nomine Moniorod — Hodierna villa Mogyoród a Budapestino ad septemtriones-orientem sita servat nomen clivi, qui mons nequaquam dici potest.

quinta feria — Scilicet die Iovis, die 13 mensis Martii.

369 *sexta ferie — Scilicet die Veneris, die 14 mensis Martii.*

Statim, ut ... viderint, fugient — Verba Vid tantum codices familiae Chronicorum Picti servant, inde transcripsit etiam Th.

beato Martino votum ... factum est — Ecclesia in Mogyoród abbatia ordinis Sancti Benedicti erat. Sola mentio eius in diplomate ex aetate Arpadiana — anno 1235 — edito superest. Quo modo ecclesia condita sit, praeter Gesta in nullis fontibus adnotatum remansit. Secundum argumenta saeculi XIV ecclesia in honorem Sancti Georgii fundata est, quod descriptio scriptoris Gestorum contrarium est. Contradictionem eo modo dissolvere, ut monachi, postquam monasterium tempore incursionis Tartarorum eversum de integro renovatum est, quasi “e reverentia archiabbatiae in Sacro Monte Pannoniae” patrocinium vetus renuntiaverint, contortum incertumque videtur (Pannoh. XII/B, pp. 398 sq.; Chobot F., A váci egyházmegye történeti névtára [= Index nominum historicus dioecesis Vaciensis], Vác 1915, pp. 68 sq.). Mentio de voto Sancti Ladislai facta, nec non commemoratio, quasi ipse fundator monasterii fuisse, in Gestis posterius, fortasse ineunte saeculo XIII insertae sunt. Interpolator causam et ius monasterii in Mogyoród stabiliturus, privilegia eiusdem prolaturus atque approbata facturus fuit. Gerics (op. cit., LK 33 [1962] 9 sq.) duplarem interpolationem factam esse arbitratur. In prima parte inserta, quae huiusmodi esse ea re affirmatur, ut haec pars ex A desit, vix memoratum est ecclesiam in Mogyoród e praeda aedificatam esse (SRH I, 391), in secunda autem parte, quae necessario posterius inserta est, iam Sanctus Ladislaus conditor nominatus est. Fieri potest, ut in villa Mogyoród principio non ecclesia monasterialis aedificata sit et patrocinium quidem mutatum sit, quia ordo Sancti Benedicti ecclesia potitus est. (K. Mesterházy [Adatok a bizánci keresztenység elterjedéséhez az Árpád-kori Magyarországon (= Argumenta ad religionem Christianam Byzantinam propagatam in Hungaria aetatis Arpadianae), Déri Múzeum Évkönyve (= Annales Musei Déri) 1968, pp. 154 sq.] fundatores ecclesiarum, quae in honorem Sancti Georgii aedificatae sunt, morem Byzantium secutos esse putavit et indicem harum ecclesiarum composuit.) Omnia argumenta desunt ad indicandum, cui interfuerit, ut haec ecclesia a Sancto Ladislao condita esse crederetur.

agmine Ladislao — Sic in V₄ legitur. In ceteris variantibus codicum “agmine Ladislaum” invenitur (SRH I, 389).

Et in medio ... collocaverunt — Ex eo, quod dux Ladislaus agmini Bihoriensi, dux Geysa agmini Nitriensi praefuit, Györffy interpretatur

partim heredem regni cum fratre ducatum communicavisse, partim ducatum tunc duas sedes habuisse: Nitria et Bihor (Tanulm. p. 38). Secundum Kristó (1972, Ethn. 62) ea capita Gestorum redactionem primam indicant, in quibus solus Geysa dux nominatus est, Ladislaus autem non. Aetate Salomonis quoque tantum unus ducatus in Hungaria fuit et Geysa fratri, Ladislaо hunc unum impertire potuit (Kristó, Hercegség pp. 62 sq.).

vincere sive mori — A vocabulis “Cunque Ladislaus se armaret” (sent. 369) huc usque textum Gestorum tantum codices familiae Chronici Picti continent, quorum unum transcripsit Th. quoque.

experiri — In variantibus Gestorum “expediri” legitur (SRH I, 390). 371

in morte concluserunt — Sic in B et D, in ceteris variantibus codicum “conclusit” scriptum est (SRH I, 390). Ps. 77, 50: in morte conclusit.

Cum autem commissum esset ... boves in macello — Pauler demonstratus, quomodo proelium gestum esset, partes singulas accurate componendo reconstruxit (I, pp. 126 sq.). 370—372

Zigetfeu — Villa Zigetfeu (Szigetfő ‘Caput insulae’) in ripa dextera Danubii inter Almás et Pentele sita erat. Portus fuit, quod narrationem scriptoris Gestorum affirmat (Csánki III, p. 351; Pauler I, p. 436).

Moson — In S: Musum, in V₄: Muson, in ceteris variantibus: Musun legitur (SRH I, 391).

matrem et uxorem — Mater Salomonis Anastasia, filia magni principis Kioviensis Jaroslai I., uxor autem Salomonis Iudith, filia imperatoris Henrici III. erat.

Rex ergo in verbis ... dicitur corruisse — Descriptionem proelii ad 367—372 Mogyoród conserti scriptor Gestorum — secundum Győry (pp. 61 sq.) chronographus Geysae II. — e carmine heroico composuit (Horváth p. 322).

commota sunt omnia viscera eius super ... et flevit — I. Mos. 43, 30: 373 commota fuerant viscera eius super ... et ... flevit.

planctu magno — I. Mos. 50, 10, I. Macch. 2, 70. 4, 39. 9, 20. 13, 26.

flevit eos ... in funere filiorum — Similis consuetudo luctus erat apud Scythas et Hunnos, sicut Herodotus et Priscus Rhetor tradunt, consuetudinem autem luctus aliorum populorum descriptiones ethnographicae saeculi XIX produnt (László pp. 457 sq., 480 sq.).

Sentepolug dux Bohemorum — Domanovszky personam Sentepolug cum filio ducis Moraviae Othonis (Pulchri) I., cum duce Olomucensi identificat, qui anno 1109 est mortuus. Identificatio errore introducta est. Partim Otho ipse adhuc iuvenis anno 1074 fuit, uxor autem eius — filia Belae I., Euphemia — eodem tempore circa viginti annos nata esse potuit (Wertner pp. 167 sq.), partim, si Otho partibus ducum Hungaricorum, sororiorum suorum favit, vix cogitari potest filium, etsi forte iam suae potestatis fuerit, Salomonem adiuvisse. Hóman Svatopluk ducem Russicae cohortis Salomonis fuisse dicit (M. tört. I, p. 279). Fons Hóman est vocabulum Gestorum “dux Bohemorum”, cuius significationem, quia argumenta de cohorte

Bohemorum desunt, de cohorte tamen Russicorum adsunt, logice, tamen simul ad suum arbitrium mutavit. Nomen Svatopluk in forma nasalii descriptum affirmat, quod nomen iam temporibus veteribus adnotatum est (Györffy p. 20; Idem, Die Erinnerung an das grossmährische Fürstentum in der mittelalterlichen Überlieferung Ungarns, Acta Archaeologica 17 [1965] 42. Cf. Melich J., Svatopluk, MNy 18 [1922] 112).

Vacie — Licet Th. in *b* et *a* hoc loco — consentiens cum *V* (SRH I, 392) — formam Bacie scripserit, tamen sine dubio varians forma nominis Wacie in *V₂* inventa est recta (Pauler I, pp. 127, 436). Mentio Vaciae ut iam civitatis existentis congruens est cum ceteris argumentis et affirmat sententiam priorem, ex qua regio incolis vacua erat, interpolatam esse (Gerics l. cit. 6, 4).

374 *de propagine regum* — Vocabulum “regum” tantum in *V₃* legi potest (SRH I, 392).

miror, quia ... gladio scissum est — Descriptio nullum dubium relinquit signum potestatis regiae secundum scriptorem coronam esse, id tamen, quod signum ducatus gladius fuerit, minime concludi potest. Si scriptor gladium ut signum ducatus ostentare magni momenti esse putavisset, descriptionem probabiliter aliter conscripsisset. Descriptio, quasi eam Ladislaus narravisset, vix fide digna dici potest, nam Vid a Salomone non coronam, sed tantum ducatum petivit. In hac cohaerentia textus corona ipsa certe non corona ducalis, sed signum potestatis regiae est (cf. Gerics pp. 65, 92; Kristó 1974, 613).

terra saciet — Textum Gestorum a vocabulis “Cunque Ladislaus perambularet” (sent. 373) usque ad haec verba tantum familia Chronicorum Picti continet, unde Th. transcripsit.

375 *uxor sua retinuit* — Textum Gestorum a vocabulis “Cunque Salomon venisset” usque ad haec verba tantum familia Chronicorum Picti continet, unde Th. transcripsit.

quod ... auxiliaretur ei dominus — II. Par. 26, 15.

ducum ibi se recepit — Quattuor vocabula ultima *b* desunt et ideo e Gestis (SRH I, 394) a nobis suppleta sunt; *a* tota enuntiatio deest (Mályusz 1967, 2).

⟨80.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est, et supplementa saeculo XIII addita sunt.

376 *Quomodo ... extitit coronatus* — Index ex indice capituli Chronicorum Budensis conscriptum est: “Devicto effugatoque Salomone Geysa dux in civitate Alba corona regia coronatur” (SRH I, 394).

Castrum Porte — Kapuvár in comitatu Sopronensi sedes partis orientalis comitatus est. Castrum regale permansit usque ad annum 1387. Vocabulum

loci in diplomatis medii aevi: "castrum Kapu" est (Csánki III, pp. 587, 612).

Bobuch — Locus Babót est (v. caput (64.), sent. 281).

Geysa dux Magnus — Nomen Christianum regis Geysae magis in Germania medii aevi, minus in Hungaria vulgatum nomen "Magnus" erat (v. caput (82.), sent. 385). In Annalibus Posoniensibus (SRH I, 126) nomine Geysa omissio rex tantum Magnus nominatur.

ecclesie ... fabricande — Episcopatus Vaciensis, postquam a Sancto Stephano conditus est, evidenter ecclesia cathedrali carere non potuit. Haec tamen, ut coniectari potest, aedes simplex erat, atque ideo quidem dux Geysa in locum huius maiorem et magis decoram aedificandi votum vovit (Chobot op. cit. I, p. 114; Balanyi op. cit., in Szent István Ekv I, pp. 349 sq.; Pest megye műemlékei [= Artis monumenta comitatus Pestensis], II, Bp. 1958, pp. 279, 273).

dum ibi starent — Haec vocabula, quibus scriptor Gestorum rem sequentem describere incipit, congruunt cum verbis primis narrationis, in qua visum mirandum in capite superiore a Th. enarratum (SRH I, 388) traditum est. Praeter identitatem vocabulorum mirum est utraque miracula eodem loco evenisse, ubi tempore scriptoris ecclesia Sancti Petri stetit. Et notis formaque descriptionis et proprietatibus structurae eius affirmatur digressio sequens posterius textui primo Gestorum inserta esse, qua interpolator demonstratus fuit capellam Sancti Petri vetustiorem, quam episcopatum Vaciensem esse atque ipse hoc modo statum proprium iudiciale capellae confirmatum esse putavit, quem statum capella regia sibi vindicare potuit. Inter privilegia ecclesiarum similium numerantur immunitas ab episcopatu et subiunctio sub ius et iurisdictionem ipsius archiepiscopi Strigoniensis, quod autem ad facultates pertinet, fructus integer decimae totius a fidelibus persolutae. Interpolatio, ostendendo ecclesiam cathedralem posterius, quam capellam Sancti Petri conditam esse, demonstrat privilegia capellae iuribus episcopatus non obstare. Secundum Gerics historia capellae conditae Vaciensis et fabulae cervi saeculis XII vel XIII litteris mandata esse sumi potest (Gerics op. cit., LK 33 [1962] 7 sq.), quod accuratius ad personam magistri Acus adiungere possumus (Mályusz 1971, pp. 109 sq.). Factum est, quod ineunte saeculo XII nemo ignorabat, episcopatum Vaciensem a Sancto Stephano conditum esse, ergo a nullo dici potuisse post obitum regis Geysae spatio quinque et viginti annorum a rege Geysa ordinatum esse, sed uno dimidiatoque saeculo peracto, tempore magistri Acus personae donatoris et conditoris iam identificari potuerunt (v. caput (58.), sent. 259). Coniectura eo affirmatur, quod nulla vestigia cultus Eustachii ante medium saeculum XIII in Hungaria extant. Ut Kristó (1974, 606 sq.) arbitratur, argumentum digressionis ineunte saeculo XIII adnotatum esse eo comprobari potest, ut scriptor textus Ladislaus electum dei fuisse putaverit, in qua re opinio post canonisationem anno 1192 factum divulgata redditur, atque ut digressio

ipsa eodem modo e sententia idoneitatis conscripta sit, sicut pars capitis superioris chronici Th. — caput 120 Gestorum — , atqui sententia idoneitatis exeunte saeculo XII et ineunte saeculo XIII contra conceptionem legitimam plus valere cooperat.

nunc est monasterium — Vocabulum “monasterium” in Latinitate Hungarica medii aevi et ecclesias monasteriales ordinum monachorum et ecclesias capitulorum — cathedralium atque collegiatorum — significabat (Mezey L., Csútmonostor alapítástörténete és első oklevelei [= Historia fundationis monasterii de Chut et prima diplomata eius], Tanulm. 15 [1963] pp. 27, 41). Scriptor Gestorum hic ecclesiam capituli cathedralis Vaciensis monasterium intellegit. Nomina identica ecclesiarum monachorum et clericorum ea aetate orta esse possunt, cum conventus monachorum et collegia clericorum in cathedralibus episcopalibus fungentium capitula eiusdem muneris erant. Haec aetas usque ad tertiam partem ultimam saeculi XII haberit potest. Ineunte saeculo XIII convictus canonicorum finitus est. Tunc iam in domibus separatis habitabant, rem domesticam liberam curabant neque una dormiebant neque una victum capiebant.

376—377

apparuit eis cervus ... hic edificari faceremus — Res legendam Sancti Eustachii in Hungaria acceptam divulgatamque esse affirmit et ipsa fabula fundationalis quaedam ex variantibus legendae dici potest. Legenda Sancti Eustachii saeculo VII p. Chr. n. Byzantii orta est, sed in Germania Occidentali quoque pervulgabatur et cultus eius frequens etiam Romae florebat. Secundum legendam venatori ipse Christus in figura cervi apparebat inter cornua crucem fulgentem gerentis. In fabula fundationali, quae et Byzantii et in Francogallia apparebat, cervus ostendit locum, quo ecclesia aedicanda sit. Duae particulae, quae in fabula Caroli Magni coniunctae apparent, in qua cervus cruce aurea decorus locum cathedralis Aquisgrannis aedicandae destinat, in Hungaria sive separatis, sive coniunctae cognosci potuerunt (Mályusz 1971, p. 110). Primum monumentum cultus Eustachii in Hungaria medio saeculo XIII apparebat, anno 1264 Bela IV. in villa Chut monasterium Praemonstratense in honorem Sancti Eustachii condit. Annis 1264—1265 magister Ladislaus archidiaconus Hontensis ut “archidiaconus sancti Leustachii” memoratur. In Chut veri similiter ex voluntate regis monachis officium proprium factum est memoriam Eustachii colere (Mályusz E., A “csúti főesperesség” [= “Archidiaconatus Chutensis”], LK 40 [1967] 271 sq.). At memoriam Eustachii in Hungaria cultam extra fines regni quoque divulgatam esse eo demonstratur, quod in Polonia monasterium quoddam ordinis Sancti Benedicti conditum coniungit legenda cum cervo, qui inter cornua crucem fulgentem portat, conditor autem monasterii dux Hungaricus Sanctus Emericus fuisse traditur (Dömötör T., Árpádházi Imre herceg és a csodaszarvas-monda [= Dux Emericus stirpis Arpadianae et legenda cervae mirabilis], FK 4 [1958] 317 sq.).

377

Rex igitur ... ornamenta preciosa — Haec enuntiatio sine dubio a magistro Acus addita est (Mályusz 1971, p. 20), quia non prius quam secunda parte

saeculi XIII orta esse potuit. Sic enim error illius explicatur, quod tributum portus de Pest Geysa I. capitulo Budensi donaverit. Re vera capitulum tributum portus de Pest a rege Geysa II. anno 1148 accepit teste textu diplomatis regii usque ad hunc diem conservati (Budapest okl. I, p. 3). Historia capituli non est explanata, itaque omnino certe constitui non potest, de quibus tribus villis in comitatu Simigiensi actum sit. Villae Merenyel Budaváridens vel Budavárimuszt esse potuerunt. Primam anno 1192 ecclesia Budensis possidebat (Györffy, Budapest I, p. 271), duae aliae tantum saeculo XV in possessione ecclesiae eiusdem inveniuntur (Csánki II, pp. 600, 630), quae tamen, si e nominibus concludimus, iam primum tunc in possessionem ecclesiae pervenerunt, cum Buda Vetus Budavár 'castrum Budense' est nominata. Tres villae nimirum nil cum illis quattuor possessionibus in comitatibus Simigiensi et Zaladiensi sitis communie habent, quas capitulum anno 1355 a rege Ludovico I. accepit (Fejér IX/2, p. 374; Bártfai Szabó L., Óbuda egyházi intézményei a középkorban [= Instituta ecclesiastica Budae Veteris medio aevo], Bp. 1935, pp. 77 sq.). Nisi forte id, quod posteriores capitulum ideo dono petere potuit, quoniam in parte inferiore regionis Transdanubiana iam possessore fuit.

Bisseni unanimiter rogaverunt — Pars Bissenorum, qui ab Uzis urgebantur, non imperium Byzantium rogavit, ut considere posset et domicilium haberet in paeninsula Balcanica, neque ab hoc imperio accepit, sed idem a Hungaris impetravit. Ut in paeninsula Balcanica imperatores Byzantii descensus novos designaverunt, atque ita Bisseni in regionem, quae cum terra, ubi Serbi habitabant, confinis erat, pervenerunt (Jireček I, p. 216), nec aliter etiam reges Hungariae Bissenos non in una caterva considere permiserunt, sed conformatioe tribuum neglecta eos passim locaverunt. Probabiliter unum genus erat unaquaeque pars, quae in eodem loco una considere potuit. Loca, ubi Bisseni habitabant, in tota terra regni inveniri possunt, ubi ex opportunitate locorum ipsi vitam agere potuerunt (Györffy, Besenyők, charta; Kristó—Makk—Szegfű I, pp. 18 sq. et charta). Coniectura e situ coloniarum eorum facta tantum quidam Bissenorum milites confiniarii erant et ad fines regni occidentales pervenerunt, ubi de coloniis, quae in comitatibus quidem Moson atque Soproniensi, in regione stagni Ferteu (h. Fertő) sitae erant, argumenta diplomatica servata sunt (Kniezsa op. cit., in Szent István Ekv II, pp. 436 sq.; Györffy op. cit. pp. 10 sq.).

eos libertate donaret — Vocabulum "libertas" significat privilegia, iura praecipua quaedam, ex quibus ad eos, qui hisce praediti sunt, emolumen-³⁷⁸tum venit prae ceteris membris eiusdem ordinis socialis. Palatinus statum iudiciale partis Bissenorum, qui in villa Árpás, quae in comitatu Lauriensi ad fluvium Rabam sita est, habitabant, "liberatem ab antiquo institutam" nominans anno 1222 litteris consignavit, atque ita propriae notae eius perspici possunt, tamen haud praetermittendum est res saeculi XIII cum rebus, quae ante centum et quinquaginta annos gestae sunt, non identificari posse, quoniam interdum tota societas Hungarorum quoque transformata

est. Proprium est in statu Bissenorum in villa Árpás saeculo XIII habitantium, quod quamquam generatim unusquisque eorum stipendia facere debebat, re vera tamen non omnes militabant. Tantum ii, qui e feudalismo evoluto membris pauperioribus generis expilatis ad bella gerenda se expedire potuerunt. Membra generis, quae omnem suam libertatem adhuc non amiserunt, pecunia persolvenda, quae per equos singillatim sex pensas denariorum explevit, militiam redimere potuerunt. Dissensiones inter se ortas ipsi solvere potuerunt, rectius: principes generum ius dixerunt et quidem secundum suos mores iudiciorum, quibus ipsis valentibus Bisseni ut beneficio praecipuo utebantur. Ceterum Bisseni inspectioni severae potestatis regiae subditi erant. Palatinus comitem eis praefecit, qui eis imperabat, vicarius autem comitis, qui quotannis colonias Bissenorum obiens inspiciebat, res — graviores — sibi allatas iudicavit et a “descensu” eius, id est, ut vicarius ad coloniam quandam Bissenorum deverteretur atque se a colonia ali et sustentari iuberet, dum ibi maneret, tantum Bisseni militantes liberati erant (Fejér III/1, 362 sq.; Mályusz op. cit., Száz. 73 [1939] 288 sq.). Status Bissenorum secunda parte saeculi XI in eo similis esse potuit, quod reges inspectione severa sua apud eos usi sunt, simul autem Bisseni pro moribus suis propriis vivere potuerunt.

Zultan nomine — Nomen origine Arabicum, quod significat ‘sultan, imperator’ (v. caput (28.)). ideo quoque apud Bissenos usitatum esse potuit, quoniam iam secundo decennio saeculi X religio Mahumeti apud eos valde divulgari cooperat (Németh p. 291). Nomen principis Bissenorum Zultan indicat non solum ipsos Bissenos in finibus extremis Soproniensibus—Mosoniensibus habitantes operam suam regi Geysae obtulisse et Bissenos, quamquam coloniae disperse locatae erant, tunc — saltem tempore bellorum — catervis maioribus et suo duce imperante prodire potuisse, id est conformationem eorum adhuc omnino non dissolutam esse. Hac re tamen demonstratur tempus longum, ex quo Bisseni in Hungariam migraverunt, vix transire potuisse.

marchionem Theutonicorum — Marchio Austriae, Ernestus e familia de Babenberg est ortus. Ut sectator imperatoris Henrici IV. in bello contra Saxones anno 1075 imperatori fidem suam etiam morte demonstravit (Huber I, pp. 203 sq.; Uhlirz I, p. 67). Lambertus Hersfeldensis eum sic describit: “vir in regno clarissimus et multis saepe adversum Ungarios victoriis insignis” (Gombos II, p. 1393).

in quadragesimali tempore — Anno 1074 tempus Quadragesimae usque ad diem 12 mensis Aprilis duravit. Tempus, quod a proelio ad villam Mogyoród die 14 mensis Martii conserto transiit, Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 106) breve esse putat, ut per id, inter duos dies res descriptae procedere potuerint, itaque tempus invasionis Bissenorum insequentis anno 1075 fuisse dicit.

379 *montem Bachy* — Pauler (I, p. 129) hunc montem cum dorso montis

Parndorfensis ad flumen Leitam prope Bruck assurgentis identificat.
(Mons hodie in Austria, in regione Burgenland est.)

conflictus prelianum — Textus Gestorum a vocabulis “Rex autem Salomon marchionem” (sent. 378) usque ad haec vocabula tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti invenitur, unde Th. quoque transcripsit.

sicut fluit cera a facie ignis — Ps. 67, 2.

Ferteu — In *b* et *a* hoc loco Fercen invenitur. Lectio varians proxima est in *V₄*: Ferten. Recta forma nominis est: Ferteu. Hic lacus paluster latae magnitudinis hodierno limite Austriaco-Hungarico in duas partes divisus est. Varians lectio nominis Hungarici lacus, quae primum adnotata est, in diplomate imperatoris Henrici IV. anno 1074 in forma Vertowe scripta servatur, quae affirms Teutonos quoque saeculo XI lacum nomine e lingua Hungarica accepto nominavisse. Hodierum nomen Germanicum: Neusiedler See lacui ab oppido Neusiedel datum posterioris originis est. Hungaricum nomen idem est ac nomen commune fertő ’palus, lacus’ (Etym. Szótár II, coll. 224 sq.).

vilissimis Bissenis — Attributum peiorativum, quod in Gestis saepius invenitur, non Bissenos ignavos fuisse significat, sed partim genus pugnandi eorum, quod simile est generi pugnandi nomadum equo utentium, ostendit, cuius ex notis propriis una est fuga simulata, partim autem levem armaturam ab armis mititum cataphractorum omnino differentem, quae sagitta, arcus, gladius unicus, forte tantum fustis, clava, baculum fuit. Testimonium armaturae rudimentariae vocabulum loci Bottalütőbesenyő ’Bissenus baculo feriens’ est, quod in diplomate quodam saeculi XVII memoratur (Jakubovich E., Bottal-ütő-besenyő, MNy 17 [1921] 119 sq.).

reversus est ad propria — Textus Gestorum a vocabulis “Victis itaque Bissenis” usque ad haec vocabula tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti invenitur, quorum uno Th. quoque usus est.

⟨81.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est interpolationibus posterius additis.

De adventu ... regis Salomonis — Index ex indice capituli variantis *V₄* 380 Chronici Picti conscriptus est: “De recessu Salomonis in Teutonium et de adventu imperatoris” (SRH I, 397).

Stiriam — Quia nominatio Stiria in significatione Steiermark in diplomatis ab anno 1088, in proximis fontibus narrativis Austriacis in fine saeculi XII apparet (cf. caput ⟨50.⟩, sent. 239), in opere quodam aetatis Colomani nullo modo inveniri potuit.

claustro Agmund — Villa hodie Admont nominata in Stiria, in valle fluvii

Anesi (Enns) est cum monasterio Benedictino, quod anno 1074 est conditum.

matre et uxore derelictis — Quoniam annus, quo monasterium monachorum conditum est, 1128 est, fama, secundum quam mater Salomonis et uxor eius in Admont commoratae essent, haudquaquam in parte Gestorum, quae aetate Colomani conscripta est, adnotata esse potuit. Enuntiatio sine dubio posterius inserta est.

ad cesarem — Scilicet ad imperatorem Henricum IV. (obiit anno 1106), cuius soror natu maior uxor Salomonis fuit.

381 *tibi vendices* — Textum Gestorum a vocabulis “Rex autem Salomon conquerebatur” usque ad hunc locum tantum membra familiae Chronicorum Picti continent, unde eum Th. transcripsit.

His igitur … intravit Hungariam — Henricus IV. secunda parte mensis Augusti anno 1074 Hungariam agressus est. Bellum, praesertim apparatus eius copiose Lambertus Hersfeldensis tractat, re vera affirmans et ab alia parte explicans res, quae in Gestis descriptae sunt. Ex ennarratione eius praecipue animadvertisendum est, quod Salomon imperatori pollicitus est se tributum ei pensurum esse, si ipse ab imperatore in regnum Hungariae restituitur, quorum autem in fidem se obligavit, ut obsides daret et sex civitates maxime munitas traderet (Gombos II, p. 1392). Res accurate explicat Pauler (I, pp. 129 sq.). Huber (I, pp. 177, 180) et Meyer v. Knonau (op. cit. II, pp. 404 sq.) Gesta ex fontibus, qui ad res accurate restituendas apti sunt, omittunt falso opinantes Hungaricos fontes, quoniam multo posterius conscripti sint et fontibus Germanicis contradicant, neglegendos esse.

382 *flumen Vag* — Vagus est fluvius, qui a latere sinistro influit in Danubium ad civitatem Comaronium (hodie Komárom, Komárno). Nomen origine Germanicum est et cum vocabulo *wâg* linguae veteris Germanorum superiorum identificari potest, quod significat ‘bewegtes Wasser, hochflutendes Wasser, Wasserstrom, Fluss’. Et nomen Hungaricum Vág, et nomen Slovacum Váh e forma Germanica est acceptum (Melich pp. 337 sq.).

Sempte — Locus Sempte, hodierna Šintava (ČSSR) in ripa sinistra fluvii Vagi est situs a civitate Nitria ad occasum. Vocabulum loci e Hungarico nomine personae ortum est, quod casus genitivus nominis personae Sümter, Sümte est (Melich pp. 322 sq.; aliter, cum nomine communis Hungarico szem ‘oculus’ identificat Pais, SRH I, 79).

super Nitram — V. caput (60.), sent. 265.

militibus — In cunctis variantibus Gestorum forma “milibus” legitur (SRH I, 399). Domanovszky cum vocabulis sequentibus Gestorum: “avunculus regis … gloriosus in milibus suis; electi milites regis” (SRH I, 399, 456) comparat.

383 *imperatorem pervenisse Vaciam* — Narrationem scriptoris Gestorum adnotatio ad annum 1074 in Annalibus Ybergensibus conscripta: “Rex

Heinricus Ungariam vastavit usque ad Wazenburg” affirmat (Gombos I, p. 215. Cf. Paurer I, p. 437).

patriarcham Aquilegiensem — In fontibus quidem Germanicis hoc negotium patriarchae Aquilegiensis Sieghardi, qui in familia comitum Bavanicorum Plain natus est, non commemoratur, tamen in Annalibus Bertholdi haud bene de eo existimabatur, quod in ea re quoque ostenditur, ut cum patriarcha obiit, ipse a scriptore Annalium, qui aviditatem pecuniae patriarchae vituperavit, “non modicis mammonae corruptus illecebris” sit nominatus atque accusatus sit, quod “cum litteris pseudographis quasi a domno apostolico in has partes per illum transmissis coram populo recitatis” homines in errorem induceret (Meyer v. Knonau op. cit. III, pp. 37, 66). Scriptor Gestorum, etiamsi res a se descripta haud accideret, odium homini eiusmodi reiecit, qui ingenio suo et vita tota id meruit. Nam cancellarius imperatoris Henrici IV. ab anno 1064 usque ad annum 1067 fuit, adeptus autem patriarchatus, papae Gregorio VII. se adiunxit, cuius legatus res gerebat, sed posterius in imperatoris partes reversus est, hanc transitionem eo modo remunerari postulans, ut iura summi imperii gubernandi in Foro Iulio (Friaul), Istria et Carniola sibi deferrentur (Giesebricht III/1⁵, pp. 442 sq.; H. Bresslau I², p. 476; J. Zahn, Friaulische Studien, AÖG 57 [1879] 293 sq.).

Theutoniam versus est — Bellum clade accepta finitum aliquot hebdomades duravit. Die 29 mensis Septembris Henricus IV. iam Wormatiae (Worms) fuit (Meyer v. Knonau op. cit. II, p. 404. Critica fontium Germanicorum apud Paurer I, p. 437 est).

(82.)

Caput a continuatore aetatis Colomani et a scriptore anonymo aetatis Stephani III. conscriptum est interpolatione saeculi XIII addita.

De fuga regis Salomonis — Index ex indice capitinis Chronici Picti 385 conscriptus est: “Fugit Salomon” (SRH I, 400).

Confortatumque est regnum in manu — III. Reg. 3, 1; recta forma “confirmatumque” esset, sed haec tantum in variantibus Chronici Budensis legi potest (SRH I, 400).

vocatus est Magnus rex — Textus quasi annominatio esset: regnum corroboratum est atque ideo Geysa nominatus est Magnus. In hac re nimirum scriptor intellexit significationem ‘magnus’ praenominis Magni — de Sancto Magno agitur, qui saeculo VII vixit (Wetzer—Welte VIII, pp. 471 sq.) — tantum forte oblatam esse. Mirum in modum Geysa in nummis ducalibus se Magnum nominavit, cum autem rex factus est, Geysam (Hóman, Pénztört. pp. 227, 194; CNH I, p. 13). Ita sententia scriptoris Gestorum, ex qua Geysa coronatus nomen mutaverit, probabilis dici non

potest. Quamquam difficile est putare scriptorem diploma fundationale monasterii Sancti Benedicti de Grana notum habuisse, cuius intitulatio (“Ego Magnus, qui et Geisa in primis Hungarorum dux, postea vero gratia dei rex consecratus”, Mon. Strig. I, p. 53) ita scripta est, ut occasionem daret opinionis inveterascendae, ex qua dux nomen Geysam rex coronatus deposuisset.

ducatumque dedit fratri suo Ladislao — Haec verba aliquot tantum in codicibus membrorum Chronicorum Picti inveniuntur, unde Th. ea transcripsit. Ladislaus — ut e narratione Gestorum intellegi potest — non statim, cum Geysa regnum obtinuit, ducatu potiri potuit, sed tantum bello imperatoris Germaniae prospere amoto, ergo anno 1075 (Kristó, Hercegség pp. 88 sq.).

signa sua cambientes — Arma, quibus galea et clipeus ornabantur, in numero armorum militarium referebantur et apud primores, membra aularum regum et ducum solita putari possunt. Milites immigrati arma familiarium secum tulerunt, proceres autem Hungarici animalibus totem ut insignibus generum utebantur (Csoma p. 9; Györffy, Tanulm. pp. 4 sq.).

velut milites — Vocabulum “miles” hoc loco significat ‘eques’.

mutatis armis — Significatio vocabuli “arma”, ut e sententia sequitur, non ‘arma’, sed ‘insigne’ est. (Monumenta vocabuli ex aetate antiqua ducta v. Du Cange I, p. 388.)

386 *servientem* — Saeculo XIII homo liber, qui famulatum suscepit, “serviens” est nominatus. Vocabulo scriptor Gestorum non in hac sententia, sed in significatione ‘armiger, scutifer’ hic utitur (cf. Du Cange VII, p. 443).

vidit duos ... eius minantes — In legendis medii aevi notum elementum est, quod angeli, qui clientes suos tuituri deterrent horum hostes, apparent. Praecipue notus est occursum Attilae et papae Leonis (v. caput (23.)), quem Paulus Diaconus primus adnotavit (Historia Miscella, Muratori, R.I.S. I, p. 98. Cf. Acta Sanctorum Jan. I, Antverpiae 1643, p. 728). Res miracula Sancti Ladislai in formam solitam redacta esse eo demonstratur, quod visus caelstis, sicut etiam in legenda Sancti Venceslai, ceteris spectatoribus invisibilis est (cf. Horváth C., Középkori László-legendáink eredetéről [= De origine legendarum medii aevi Hungaricarum de Ladislao], ItK 38 [1928] 55 sq.). Tempus, quo haec res fabulosa conscripta est, in qua fabulae populares et legendae ecclesiasticae contextae sunt, Kristó (1974, 612) ineunte saeculo XIII, Erdélyi (Ötven historicus p. 13) et Csóka (p. 613) aetate Ludovici I., medio saeculo XIV fuisse arbitrantur. Quoniam scriptores legendarum universe sanctos militantes ecclesiae dignos dicunt, quos angeli comitentur (Solymossy S., Monda [= Fabula], in A magyarság néprajza [= Ethnographia Hungarorum], III, p. 204), rem admirandam tempore, postquam Ladislaus in numerum sanctorum relatus est (anno 1192), factam esse arbitrari possumus. At Gerics (op. cit., in Horváth — Székely pp. 128 sq.) multa argumenta profert demonstratus famam revelationis divinae acceptae, facultatis divinationis, visarum specierum sive virtutum Christianarum maxime exultarum medio aevo haudquaquam privilegi-

um eorum fuisse, qui ut sancti culti sunt. Itaque et haec res admiranda et res similes in Gestis adnotatae etiam ante annum 1192 descriptae esse possunt.

timere ceperunt — A vocabulis “Milites vero Salomonis” (sent. 385) usque ad haec vocabula textus Gestorum tantum in codicibus familiae Chronici Picti continetur, unde etiam Th. transcripsit.

archiepiscopus Desiderius — V. caput (74.), sent. 330.

prelatis — In cunctis variantibus Gestorum forma “prelatis” (SRH I, 403) legitur. Notum non est, an vocabulum inveniatur in diplomatibus Hungaricis saeculorum XI—XII, atque ita id magis saeculo XIII ortum esse putari possit, cum nomen collectivum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et praepositorum est, ergo vulgo praelatum, qui latifundium possidet, significat, in Latinitate Europaea autem iam pridem inveteratum est (Du Cange VI, pp. 459 sq.; Cyprianus, De simplicitate praelatorum; in significazione ‘abbas, praepositus’ saeculo IX), et ita mentio eius in Gestis ad illud tempus apta est. In textu, quem Th. in manibus habuit, sine dubio forma “prelatis” erat, quamquam in *b* et *a* forma “preclaris” legitur, quae simplex erratum typographicum esse potest, quod ex *b* latenter in *a* translatum est; tamen haud impossibile videtur vocabulum a Th. consilio mutatum esse, quod si ita sit, demonstret scriptorem ordinem clericorum repressurum fuisse.

coronam iure teneret — Secundum Gerics (pp. 92 sq.) hoc loco tantum de corona regia agi potest, sed Kristó (1974, 601) possibile putat hic memoriam coronae ducalis servatam esse.

illustratum esse videbant — Pars, in qua res Szekszardiensis descripta est, 388 ut Gerics explicavit (pp. 88 sq., 109), ab anonymo aetatis Stephani III. conscripta est, quam inserendo scriptor Stephani III. causam defendens contra huius cognatos regni aemulos affirmare atque demonstrare voluit regnum et dominationem regi legitime coronato deberi. Kristó (1974, 600) sumens tempus, quo res adnotata est, aetatem Geysae II. fuisse, concludit e narratione sententiam legitimam eminere, dum secundum Csóka (p. 553) conscientia facinoris Geysae ineunte saeculo XIII affirmari debuit.

VII Kalendas May — Scilicet die 25 mensis Aprilis anno 1077. Secundum scriptorem Chronici Zagabiensis VIII Kal. Maii (SRH I, 209) esset dies obitus (Mátyás, Chronol. p. 17). Pauler tempus in Gestis adnotatum rectius putat (I, p. 438).

validissima fames ... afflxit — In chronicis medii aevi vocabula “valida”, “validissima” attributa solita famis sunt. In commentariis chronographorum de anno 1074 notis hiems valde atrox et sicca (“frigus validissimum”, “hiems dirissima”) descripta est (Curschmann p. 120). Enuntiatio ultima capitis tantum in codicibus familiae Chronici Picti servata est, unde eam Th. transcripsit.

⟨83.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est, quod ab anonymo aetatis Stephani III. transcriptum et saeculo XIV suppletum est.

389 *De coronatione ... exerciciis eiusdem* — Index cum indice capitinis Chronicis Budensis congruit (“De coronatione sancti regis Ladislai fratris Geyse filiique Bele primi et de vita et morte eius”, SRH I, 403), ultima quattuor vocabula a Th. addita sunt.

multitudo nobilium Hungarie — Significatio vocabuli “nobilis” (cf. caput (40.), sent. 227) hic quoque ‘praclarus’ est. Coniectura e significatione enuntiationis facta vocabulum non solum eos, quos rex circum se habebat, significat, sed generaliter dominos praclaros, qui congregati iam multitudinem effecerunt.

fere — Sic solum in A est. In codicibus ceteris forma “vere”, in R V₂ V₄ “vero” (SRH I, 404) legitur.

affectuosissimis — In cunctis variantibus formae “affectuosissimis et instantissimis” (SRH I, 404) inveniuntur.

Audita vero ... precibus compulerunt — Nec successiones regum, nec imperia dispertita tantum privatae res familiae regiae esse potuerunt, sed membris singulis familiae regiae nobiles assistebant, qui optata sibi adepturi eos stimulabant, adiuvabant, cognatis obverterunt (Molnár E., A magyar társadalom története az óskortól az Árpádkorig² [= Historia societatis Hungaricae a temporibus veterissimis usque ad aetatem Arpadianam²], Bp. 1949, pp. 306 sq.; Elekes pp. 73 sq.; Kristó, Hercegség p. 81). Non est dubium, quin nobiles Geysa mortuo quoque successioni regni pro Ladislao se immiscuerint. Quaeritur tamen, an tantopere, sicut e narratione Gestorum cogitari possit. Scriptoris Gestorum, quoniam modo aliquo excusandum fuit, cur rex legitimus, Salomon amotus sit, interfuit rem in maius vero extollere, id proferre, quasi rex Ladislaus invitus per conscientiam et voluntatem “nobilium” res recte gubernandas curantium regnum suscipere coactus esset. Ex intentione scriptoris intellegitur id, quod opinio consentiens hominum, id est “universae multitudinis” affirmata est.

quasi stella matutina in medio nebule — Eccli. 50, 6.

quasi luna ... in diebus suis — Eccli. 50, 7: quasi luna plena in diebus suis lucet.

sol refulgens sic effulsit — Eccli. 50, 7: sol refulgens sic ille effulsit.

quasi adeps separatus a carne — Eccli. 47, 2.

390 *cum leonibus ... agnis ovium* — Eccli. 47, 3: cum leonibus lusit quasi cum agnis et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium.

ursis — In cunctis variantibus, exceptis B et D, forma “ursibus” legitur (SRH I, 404).

Numquid non occidit gigantem — Eccli. 47, 4.

abstulit obprobrium — Eccli. 47, 4.

Convertit ... adversarios — Eccli. 47, 8: contrivit enim, inimicos undique et extirpavit.

si ethimologie ... per paragogen — Origo etymologiae non est nota.

vivi regis ... in eius animo — In varianti a Th. usitato codice Chronicorum Pictorum textus rectior servatus est, quam in codicibus Gestorum, qui supersunt. Horum textus est: “vivi regis coronam. Sed usque legittime coronari et coronam habere noluit in eius animo” (SRH I, 405) (Mályusz 1967, pp. 8 sq.).

vivi regis ... ipse ducatum haberet — Pauler (I, p. 138) verum sumit Ladislauum non concessisse, ut coronaretur, Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 122) descriptionem saeculo XIII ortam esse putat. Hóman (M. tört. I, p. 282) mediocritatem quandam tenens putat Ladislauum Salomone vivente diebus sollemnibus coronam capiti non imposuisse. Secundum interpretationem artis criticae a Gericis adhibitam scriptor anonymous aetatis Stephani III. causam regis, Stephani III. contra patruos eius, qui aemuli regni fuerunt, defensurus extollere voluit principium legitimitatis a Sancto Ladislao quoque observatum esse (pp. 89 sq.). Secundum explicationem Kristó (1974, p. 602), quae multum differt a supra dictis, duae partes narrationis discerni possunt. Pars prior aetate Geysae II. orta sententiae legitimae esse videtur, posterior autem, quae ineunte saeculo XIII exstitit et cum legenda cohaeret, conceptionem idoneitatis in se habet. Opinio Csóka (pp. 612 sq.) haud veri similis esse videtur, ex qua saeculo XIV descriptum est, quo modo Ladislaus in hac re se gessisset. — Textus Gestorum a vocabulis “Et quamvis ipsum Hungari” usque ad haec vocabula tantum in codicibus familiae Chronicorum Pictorum invenitur, unde Th. eum transcripsit.

Pius rex vocabatur — Attributo exemplum ad imitandum regi aetatis Karoling propositum significatur. Et specula regum et institutiones synodales et orationes in sollemnibus coronandi habitae notas naturae regum piorum — pacificorum, iustorum, protegentium ecclesiam et clerum, defendantium viduas et orbos — exposuerunt (Balogh J., Szent István politikai testamentuma [= Testamentum Sancti Stephani de rebus politi- cis], Minerva 10 [1931] 113 sq.; Idem, op. cit., in Szent István Ekv II, pp. 262 sq.). Textum Gestorum a vocabulis “a cunctis enim regnicolis” usque ad hunc locum familiae Chronicorum Pictorum continet, unde eum Th. transcripsit.

Dalmatiam atque Croatiae — Dalmatia, id est ora maritima a paeninsula Istria usque ad fluvium Narentam porrecta, est regio, propter cuius possessionem Venetiae et Croatiae saeculo XI assidue inter se contendebant. Petrus Cresimirus IV. (1058–1074) fuit primus princeps Croatiae, qui civitates Dalmaticas iterum dicioni suo subiciens sese regem Croatiae et Dalmatiae nominavit (Šišić p. 259; Hóman, M. tört. I, p. 340). Croatia a Dalmatia usque ad fluvium Savum porrecta est. Sedes regia erat civitas Alba in Dalmatia (hodie Biograd na moru). Petrus Cresimirus probabiliter etiam Serbos in valle Bosina (Bosna) habitantes, ad septentriones autem Slovenos inter Savum et Dravum incolentes regno suo subiecit. In historia

civili Hungarica et Iugoslavica territorium Croatiae modis diversis definitum est. Secundum Karácsonyi (Halavány vonások hazánk Szent István korabeli határáiról [= Descriptiones modicae confiniorum Hungariae aetate Sancti Stephani], Száz. 35 [1901] 1040, 1057) et Hóman (A zágrábi püspökség alapítási éve [= Annus fundationalis episcopatus Zagrabiensis], Turul 28 [1910] 112, Idem, M. tört. I, pp. 335 sq., 440 sq.) occidentalis pars regionis inter fluvios Dravum et Savum sitae terra cultoribus minime frequens, quasi deserta neque pars Croatiae erat, sed ut Šišić arbitratur, finis regni Croatiae ad septemtriones fluvius Dravus fuit (p. 258). Nec studia novissima ad eventum omnino certum pervenerunt. Notum quidem est fluvium Dravum tantum saeculo XIII exacto confinium politicum inter Hungariam et Slavoniam factum esse (Györffy Gy., Szlavónia kialakulásának oklevélkritikai vizsgálata [= Quaestio Slavoniae conformatae in critica diplomatum adhibita], LK 41 [1970] 234 sq.), sed ne in historiographia quidem hodierna Croatia imposibile putatur in regione inter Dravum et Savum sita saeculo XI dicionem modicam Croaticam valuisse (N. Klaić, op. cit. p. 333).

Ipse prius ... iure perpetuo subiugavit — Scriptor Gestorum veritatem egreditur adnotans regem Ladislauum etiam Dalmatiam occupavisse. Re vera Ladislaus Dalmatiam capturus fuit (Fraknói V., Szent László levele a montecassinói apáthoz [= Litterae Sancti Ladislai ad abbatem Montecassinem], Ért. tört. tud. XIX/8, Bp. 1901, pp. 4, 7; Marczali, Dalmácia pp. 29 sq.; Deér pp. 86 sq.; Šišić pp. 336 sq.), propositum tamen non assecutus est.

rex ... decessisset — Rex Zvoinimirus (cf. caput (74.)) secundum coniecturam Wertner (p. 166) et Šišić (p. 316) anno 1089 mortuus est. Pauler (I, p. 156) tempus obitus anno 1087, Hóman (M. tört. I, p. 344) anno 1088 fuisse arbitrantur.

soror regis Ladislai — Cf. caput (74.), sent. 332.

Ipse prius Dalmatiam ... heredem non habuit — Tempus, quo rex Ladislaus in Croatia bellum gessit, annus 1091 fuit. Cursum rerum et iter, quo exercitus Hungaricus progressus est, accurate per vestigans Pauler constituit (I, pp. 156 sq., Idem, Horvát-Dalmátország elfoglalásáról [= De occupatione Croatiae—Dalmatiae], Száz. 22 [1888] 197 sq.). Descriptio in Gestis servata tantum in eo recta haberi potest, quod post mortem Zvoinimiri circum reginam origine Hungaricam factio Hungaris amica probabiliter congregabatur, quae optavit, ut Ladislaus sibi adiumento esset, rex autem Hungariae occasione utens Croatiam occupavit. Sed falsum est dicere Ladislaum Croatia capta eam in potestate sororis suae reliquisse, quoniam vero Ladislaus territorium occupatum gubernandum duci Almo, filio minori Geysae I. mandavit (Pauler I, p. 157; Hóman, M. tört. I, p. 348). Praeterea ad illud tempus non apta videtur argumentatio regis Hungariae, cur ipse Croatia sibi comparare voluerit. Omnino quaesitum et dictum est titulum regni occupandi iure affinitatis confirmari et Croatiam “hereditatem” nominare, item eam quasi possessionem ipsius regis propri-

am, quae regi “iure perpetuo” debetur, dicere. Iam Paurer (op. cit., Száz. 22 [1888] 207) indicavit descriptionem ad fontem ante saeculum XIV ortum referri non posse, Deér autem (p. 87) e genere scribendi anachronistico agnovit in descriptione memoriam rationis rerum externarum dynasticae Caroli Roberti renovatam esse. E descriptione, quia aetate posteriore orta est, intellegi potest, cur Dalmatia memorata sit (Györffy op. cit. LK 41 [1970] 234). Quantum ad iura pertinet, haud dubium erat, quin Carolus Robertus Croatianam possideret, sed Dalmatia tunc sub dizione Venetiarum erat, atque ita ius Hungaricum argumentis historicis probandum fuit. Sentiri potest descriptionem post canonisationem Ladislai, id est post annum 1192 ortam esse. Paurer (op. cit. Száz. 22 [1888] 207) vidit scriptorem studuisse, ut Ladislaus, qui vir ingenii militaris et natus ad regnandum erat, sanctus verus fieret, qualis sancti memoria in legenda conservata est. Secundum Karácsonyi (op. cit. Száz. 49 [1915] 134) haec pars evidenter ex legenda Sancti Ladislai et ex monumentis ecclesiasticis (hymnis) in honorem eius scriptis composita est. Alio loco Karácsonyi (Száz. 52 [1918] 346) hanc partem secundo dimidio saeculi XIII interpolatam esse putat, in qua Ladislaus, qui iam in numero sanctorum relatus erat, excusatur. Postremo scribendi genus quoque descriptionem posterius scriptam esse ostendit. Exemplum descriptionis caput (74.), sent. 332 (SRH I, 363) fuit, unde nomen Zolomerus atque id, quod uxor eius soror natu maior Sancti Ladislai fuit, transcriptum est. Item transcriptum est vocabulum in alia coniunctione memoratum quoque, sicut id iam Domanovszky — nulla conjectura facta — animadvertisendum fecit (SRH I, 406, adnot. 6): “iverunt in Dalmaciam et ablatam sibi restituerunt integre”. Narrationem notas interpolationis habere eo quoque demonstratur, quod cursus rerum chronologicus mutatus est. In ordine enim rerum post initium regni Ladislai res annis 1081—1086 gestae tractari debebant.

ius legitimum ... non de iure — Ut Gerics (pp. 89 sq.) constituit, scriptor 393 Gestorum in hac re ex sententia legitima Salomonem iure regem fuisse assensus est. (Similiter disseruit Kristó 1974, 602.) Contra quod Csóka (p. 555) hanc sententiam scriptori saeculi XIII attribuit.

quarto anno regni sui — Scilicet anno 1081.

Optimates ... regni — Vocabulum quanto magis proprium saeculorum XI—XII fuerit, v. caput (71.), sent. 316.

ne novissima fierent peiora prioribus — Matth. 12, 45. Luc. 11, 26: fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.

incidit in foveam, quam fecit — Ps. 7, 16.

Albe — Scilicet Albae Regiae.

crux ... a fulgere — Res in Annalibus Posoniensibus quoque servata est, quorum scriptor cum scriptore Gestorum eisdem fontibus usus est (SRH I, 126; Paurer II, 611). Quod ad annum (1081) pertinet, v. Hóman p. 77; Idem, M. tört. I, p. 283. Textus Gestorum a vocabulis “Eodem etiam anno” usque

ad haec vocabula tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti servatus est, unde eum etiam Th. transcripsit.

Rex autem ... retrusit in carcerem — Castrum hodie Visegrád nominatum in ripa dextera Danubii a Budapestino ad septentriones situm est. Reliquiae castri Romanorum, quae in loco Visegrád remanserunt, pro sede comitis erant, cum comitatus a Sancto Stephano ordinati sunt. Vocabulum loci ab incolis Slavicis datum est, qui prope castrum sibi domicilium collocaverunt. Vocabulum loci Hungaricum Visegrád e hac forma Slavica Vyšehrad formatum est. Prope castrum rex Andreas I. monachis Russicis ordinis Sancti Basili monasterium fundavit. Post incursionem Tartarorum (annis 1241—1242) in ipsa ripa Danubii ad viam celebrem inspiciendam magna turris portae, in summo autem monte castrum suadente uxore Belae IV. aedificatum est. Ambo aedificia munimentum continuum effecerunt. Rex Ladislaus Salomonem sine dubio in castro comitis custodiebat, sed Turcis expulsis opinione vulgari turris portae in ripa Danubii aedificata cum carcere Salomonis identificari putabatur. Haec turris restaurata hodie quoque falso turris Salomonis nominatur (Dercsényi, Visegrád 9 sq.; Pest megye műemlékei [= Monumenta artis in comitatu Pestensi] II. Magyarország műemléki topográfiája [= Topographia monumentorum artis in Hungaria] V, Bp. 1958, pp. 397 sq.; Kniezsa op. cit., in Szent István Ekv II, p. 424). Salomon secundum Pauler (I, p. 147) eodem anno — 1083 — comprehenderetur, quo e carcere liberatus est. Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 130) non sine causa de hac re dubitat.

Bodus filius Bokon — Vocabulum Bokon (Bakony) in diplomatibus Hungaricis medii aevi nomen personae saepe usitatum est. V. caput (71.), sent. 321. Vocabulum Bodus (Bodos) in diplomatibus saeculi XIII iterum ac saepius nomen personae usitatum est (Kovács, Index p. 93); Pais (MNY 26 [1930] 309) nomen syllaba paragogica blandienti formatum interpretatur.

peiora prioribus — Matth. 12, 45. Luc. 11, 26.

ducatum sibi elegisset — Narratio, in qua regnum Salomonis legitimum fuisse graviter affirmatur, secundum Gerics ab anonymo aetatis Stephani III. orta est. Scriptor hic quoque, sicut initio capit is, ubi statum Salomonis et Ladislai descripsit, contra principium idoneitatis affirmavit legitimatem priorem esse. Propositum suum assecuturus etiam opinionem continuatoris aetatis Colomani de Salomone conceptam lenivit dicens tamen Salomonem ferocem ingenio et implacabilem fuisse (Gerics pp. 89 sq.).

ei condolebat — A vocabulis “Erat autem apud Salomonem” usque ad haec vocabula textus Gestorum tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti invenitur, quorum uno usus est Th.

Salomon rex ... regi paucis diebus — Canonisatio regis Stephani concessu papae Gregorii VII., sed interrogatione testium omissa, quae actio posterius usitata erat, die 20 mensis Augusti anno 1083 synodo generali habito facta est eo modo, ut sepulcrum regis apertum est et residua cadaveris sicut reliquiae in altari posita sunt (“elevatio”) (Mátyás F., Szent István király

kanonizációja [= Canonisatio regis Sancti Stephani], Száz. 29 [1895] 220 sq.; Karácsonyi J., Kik voltak az első érsekek? [= Quinam primi archiepiscopi fuerint?] Száz. 26 [1892] 131 sq.; Paurer Gy., A Hartvik legendáról [= De legenda Hartvici], Száz. 26 [1892] 292 sq.; Idem, Szent István király kanonizációja [= Canonisatio regis Sancti Stephani], Száz. 29 [1895] 354 sq.). Secundum narrationem legendae Hartvici involucrum grave lapideum sepulcro amoveri non potuit, quoad rex Ladislaus a monacha quadam de Bucan Sumliu (hodie Somlóvásárhely), Caritate admonitus Salomonem e custodia emitteret (SRH II, 434; de fide huius rei in legenda Hartvici atque de sententia scriptoris, ex qua rem totam conscripturus fuit, v. Kristó 1974, 592 sq.). Probabiliter dux Emericus item anno 1083, tamen non una cum Sancto Stephano, ut Hóman arbitratur (M. tört. I, p. 296), in numerum sanctorum est relatus (Erdélyi L., I. István magyar király, Imre herceg és Gellért püspök szenttéavatása [= Canonisatio regis Hungariae Stephani I., ducis Emerici et episcopi Gerardi], in Szent István Ekv I, pp. 562 sq., 570). Gregorius VII. prudentia peropportuna ductus ad auctoritatem familiae regiae amplificandam concessit, ut primus rex in sanctorum numerum referretur, atque sic secundum voluntatem consiliaque papatus in Hungaria quoque elementa cultus religiosi regionalis "nationalis" cum elementis cultus regum eiusdem familiae coniunxit. Simul prudentia Ladislai in rebus politicis habita laudatur, nam ille oblitus, quam severe rex Stephanus erga Vazul se gessisset, omnia ad cultum sancti novi propagandum impendit, tantopere, ut novum episcopatum Zagabiensem quoque in honorem Sancti Stephani sacrari iuberet, et ita multum attulit, ut Stephanus a posteritate proavus domus regiae haberetur.

astitit regi paucis diebus, et tandem — Haec vocabula Gestorum tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti inveniuntur, quorum uno usus est etiam Th.

Cunorum — Paurer (I, p. 151) Cunos saeculi XI in Gestis memoratos hic quoque cum Bissenis identificat, A. P. Každan (Из истории византино-венгерских связей во второй половине XI в. [= Ex historia coniunctio-num Byzantino-Hungaricarum secunda parte saeculi XI] Acta Antiqua Acad. Scient. Hung. 10 [1962] 165 sq.) cum Comanis, sed hi intellegendi sunt Uzi (Kossányi op. cit., Száz. 57—58 [1923—1924] 532 sq.), secundum Györffy (op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] 170) Bisseni et Uzi.

Kutesk — Interpretatio nominis haud nota est (cf. Györffy l. cit. 170).

Dux autem ... invadens Hungariam — Tempus rei actae: annus 1085, iter autem Uzorum idem esse potuit, quod anno 1068 fuit (Paurer I, pp. 151, 445; Hóman, M. tört. I, p. 283).

Vng — Hodierna civitas Užgorod (SSSR), Hungarico nomine Ungvár (Csánki I, 386 sq.), sedes comitatus Ung a Sancto Stephano ordinati est. Vocabulum Ung est nomen personae origine Turcicum, probabiliter comes primus comitatus sic erat nominatus (Melich pp. 125 sq.; Holub op. cit., in Szent István Ekv II, p. 106).

Borsua — Hodiernus locus Boržava (SSSR) in comitatu medii aevi Beregensi, inter Wary (hodie Vary) et Beregzaz (hodie Beregovo, Hungarice Beregszász) ad rivum nomine Borsova, prope locum, ubi hic rivus in Tisciam se effundit, situs est (Csánki I, p. 414). Borsua sedes erat unius ex comitatibus a Sancto Stephano ordinatis, sed ipse hic comitatus post incursionem Tartarorum omnem potestatem amisit et cum comitatibus Zabolensi atque Beregensi in unum confusus per se existere desiit. Comitatum quondam suae potestatis fuisse conformatio ecclesiastica affirmatur, nam erat archidiaconatus Borsua sui iuris, qui diutius exstitit quam ipse comitatus, territorium archidiaconatus idem erat ac terra comitatus (Pesty I, pp. 190 sq.; Györffy, Tört. földr. I, pp. 520 sq.; Németh P., Borsova határvármegye természeti földrajza [= *Geographia physica comitatus confinii Borsova*], A Nyíregyházi Jósa András Múzeum Évkönyve [= *Annales Musei de Jósa András nominati in Nyíregyháza*] 12–14 [1969–1971] pp. 45 sq.; Idem, Borsova határvármegye kialakulása [= *Quo modo comitatus confinii Borsua ordinata sit*], A Kisvárdai Vármúzeum Kiadványai [= *Editiones Musei Castri in Kisvárdal*], 5, 1975). Nomen e Hungarico nomine personae Bors formatum est suffixo Slavico addito. Significatio vocabuli est 'Borsensis; quod Bors habet' (Melich p. 129; Holub l. cit. p. 102).

contriti sunt — Vocabulum memoriam vocabulorum IV. Reg. 21, 9: "quas contrivit dominus" et Is. 14, 5: "contrivit dominus" excitat.

in ore gladii — II. Mos. 17, 13.

in hymnis et confessionibus benedicebant — II. Macch. 10, 38.

Fecit autem ... dei omnipotentis — Templum cum ecclesia Sancti Petri in Kisvárda in comitatu Zabolensi aedificata identificari potest, quae secundum sermonem popularem a rege Ladislao condita fuisse creditur (Kandra K., Adatok a kisvárdai Szt. László-építette egyház történetéhez [= *Argumenta ad historiam ecclesiae in Kisvárda a Sancto Ladislao aedificatae*], Adatok az egri egyházmegye történelméhez [= *Argumenta ad historiam dioecesis Agriensis*], I, Eger 1885. 276 sq.). Patrocinia quidem ecclesiarum inter se non congruunt, tamen discrepantia explicari potest. Ipse Deus in Hungaria, ut nobis compertum est, non erat patronus cuiusvis ecclesiae nominatus, immo ne id quidem cognitum est, an omnino in ecclesia occidentali exemplum huius rei fuerit. (Cf. Künstle I, pp. 233 sq.; ex quo propria formatio ipsius Dei usque ad saeculum XIII neutiquam usitata erat, tantopere, ut figura Christi in locum Dei substitui solita esset.) Sed in ecclesia orientali cultus Pantocratoris vulgatus dici potest, sicut Byzantii magnum et decorum templum monasterii Pantocratoris, quod etiam hodie exstat, testatur. Hanc quidem ipsam ecclesiam saeculo XII filia Sancti Ladislai, uxor imperatoris Iohannis Comneni condidit, ut posterius locus sepulturae familie imperatoriae fieret (Moravcsik Gy., Szent László leánya és a bizánci Pantokrator-monostor [= *Filia Sancti Ladislai et*

monasterium Pantocratoris Byzantii], in A Konstantinápolyi Magyar Tudományos Intézet közleményei [= *Communicationes Instituti Scientiarum Hungarici Byzantii*], 7—8, Bp.—Konstantinápoly 1923). Ex his templum, quod ultimis decenniis saeculi XI in Hungaria de Deo Omnipotenti nominatum est, omnino maiore probabilitate Graecum, quam Latinum putari potest. Nominatio templi mutata eo explicari possit, quod ecclesia Graeca repressa patrocinium insolitum cum nomine principis apostolorum, Sancti Petri permutatum est. Mutatio iam ante saeculum XIII fieri debuit, quoniam cultus Sancti Petri temporibus primis religionis in Hungaria vulgatae proprie usitatus erat.

dei obtainuerunt — Pars brevis a vocabulis “ob memoriam victorie” usque ad hunc locum tantum in codicibus familiae Chronici Picti continetur, unde Th. eam sumpsit.

qui eos interficiebant — Narratio scriptoris Gestorum ab Anna Comnene 397 affirmatur. Ex opere huius constitui potest tempus: annus 1087, cum imperator Alexius Comnenus I. regnavit (1081—1118), et partes aliquot accuratiores: duce Bisseno Tzelgu (Τζέλγού) Sauromatae, Scythae atque haud pauci Daci duce Salomone quodam (ἀπὸ τοῦ Δασικοῦ στρατεύματος οὐκ ὀλίγους, ὃν δὲ οὕτω καλούμενος Σολομῶν δημαγωγὸς ἦν. Alexias VII, 1. Gombos I, p. 82) transientes Histrum imperium vastaverunt, ad Chariapolim tamen ab exercitu Byzantino in pugna atroci cladem acceperunt et ipse Tzelgu quoque cecidit (cf. Pauler I, p. 152). Quod nomen Salomonis memoratum est, nullum dubium facit, quin ab auctrice Daci nominati intelligantur Hungari, nominibus autem “Sauromatae” et “Scythaе”, quae item formae archaicae sunt, ut Moravcsik (I, p. 221; Idem, Forrásai pp. 183 sq.) constituit, Bisseni, Uzi et Cumani sint significati, quamquam horum etiam nomina Turcica ei nota erant. Itaque si omnino certe affirmari non potest, quaenam nationes secundum auctricem participes latrocini anno 1087 fuerint, narratio eius descriptioni scriptoris Gestorum, in qua Cuni memorantur, non contradicit. Postremo ad illud tempus opportunum videtur scriptorem Gestorum discrimen armaturam barbarorum foederorum et comitum Salomonis distinguere. Proprium temporis quidem est, nam scriptor quidam posterior, qui exercitum Hungarorum iam ut equitatum gravis armaturae notum habuit, differentiam affirmare non necesse putavisset et armaturam thoracatam comitivae regiae non adiunxisset. — Textus Gestorum — eius caput 135 — a vocabulis “Cum enim vidissent Cuni” (sent. 396 Th.) usque ad haec vocabula addita tantum in codicibus membrorum familiae Chronici Picti continetur, unde eum etiam Th. transcripsit.

abiit in opacas ... in civitate Istri — Sermonem de Salomone ortum et 398—399 conformatum Gericus (pp. 110 sq.) subtiliter describit. Dum continuator aetatis Colomani veritati congruenter putavit Salomonem inimicum stirpis

Belae fuisse, expulsionem eius iure factam dixit, et contra eum Geysam et Ladislau ratione idoneitatis regnum obtinuisse vidit, anonymous aetatis Stephani III. principium legitimitatis ante omnia valere demonstraturus Salomoni, qui legitimitate fruebatur, qualitates gratas iucundasque tribuit, sicut ille in textu Gestorum quoque, quem nunc ante oculos habemus, descriptus est. Sed figura Salomonis hoc modo repraesentata nimium quidem benevole depicta erat, atque idonea, ut amplitudo Sancti Ladislai in discrimen vocaretur, et quoniam principium legitimatis divulgandae, propter quod figura Salomonis benevole descripta est, iam saeculo XIII opportunitatem amisit, placuit descriptionem decolorari. Mutatio eo demonstratur, quod, dum in fama a Henrico de Mügeln adnotata iam miracula Salomonis memorantur, in Gestis Simonis de Kéza rumor de sanctitate Salomonis omissus et ad viduam huius delatus est atque Ladislaus iterum regi depulso anteponebatur (SRH I, 181). Re vera famam de Salomone formatam similiter descripsit Kristó (1974, 591 sq.), quamquam figuram Salomonis aetate Colomani descriptam leniorem fuisse existimavit, nam Salomoni profuerunt principia et legitimatis et primogeniturae, quae exeunte saeculo XI et ineunte saeculo XII exstiterunt. Enuntiatio de morte Salomonis et de sepultura eius in civitate Pola a magistro Acus inserta est (Mályusz 1971, pp. 38 sq.).

399 *diligatur a deo* — Textus Gestorum a vocabulis “nam revera” usque ad hunc locum tantum in codicibus familiae Chronic Picti invenitur, unde eum etiam Th. transcripsit.

Pole in civitate Istri — Civitas Pola (hodierna Pula in Jugoslavia) in extrema parte meridionali paeninsulae Istriae sita est.

uxor ... requiescunt — Mater Salomonis, Anastasia probabiliter in Hungaria remansit, sicut etiam filius eius natu minor, dux David (Wertner p. 121. V. caput (75.), sent. 333). Omnino fictum est, quod in Gestis de vidua Salomonis legitur, quoniam regina Judith iam anno 1088, ergo uno anno post mortem Salomonis principi Poloniae, Vladislao I. (1081–1102), filio avunculi Sancti Ladislai nupsit, cui tres filias peperit (Wertner p. 133; Pauler I, pp. 153 sq., 445). Scriptor Gestorum memoria filiae regis Belae II. (1131–1141), Sophiae adductus dixit Judith Admontii mortuam esse. Nam Sophia monacha facta vere Admontii obiit (Erdélyi L., Ötven historicus p. 11) atque ibi sepulta est (Wertner pp. 302 sq.). Haec reminiscientia quoque ostendit hanc partem capit is post medium saeculum XII — cum Geysa II. et Stephanus III. regnabant — conscriptam esse (Gericz p. 112; Kristó 1966, 12 sq.). Csóka (pp. 555 sq.) hanc partem Gestorum ineunte saeculo XIII conscriptam esse arbitratur.

⟨84.⟩

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

De secunda ... cum eisdem — Index capitinis a Th. conscriptus est.

400

Post hec — Tempus rei: annus 1091 est.

Cunis — Cuni intellegendi sunt Comani, ut a Pauler constitutum est (I, p. 157). Secundum Györfy Cuni erant “Cuni Bissenive” (*Antiquitas Hungarica* 2 [1948] 168 sq.).

Krul — Pauler nomen personae Krul cum nomine Karoly identificavit (I, p. 158), hoc autem cum vocabulo karuly congruit, quod e vocabulo communi karvaly ‘accipiter’ (Chagatajico-Turcico vocabulo kírgaj) secundum leges linguae Hungaricae derivatum est (Thury J., A turul madár [= Avis “turul” ‘astur’ nominata], *Turul* 4 [1886] 125). Quamquam Pauler non affirmit, tamen e comparatione eius coniectari potest e sententia sua nomen personae in Hungaria usitatum a scriptore Gestorum duci hostium additum esse.

quidam de Cunis ... venit ad Bihor — Res, quae ante incursionem Comanorum acciderunt, Anna Comnene nos edocet (*Alexias*, VIII, 4–6, CSHB, I, pp. 396 sq.). Secundum narrationem eius Comani (vere anni 1091) cum ducibus exercitus magni fortissimis Histrum transierunt et prope Propontida foederati cum imperatore Byzantii et una cum eo die 29 mensis Aprilis stragem ingentem Bissenis attulerunt. Imperator, supra quam inter eos conventum erat, praedam totam et non solum dimidium eius Comanis concessit, qui tamen timentes, ne a Byzantinis invaderentur, terram imperii festinantes reliquerunt. Pars Comanorum, qui victores erant, addit Pauler argumentis fontis Byzantini, per saltum ad castrum Terchum (Hungarice Törcsvár, hodie Bran in RSR) in Hungariam invaserunt, ad septemtriones progredientes Transylvaniam pervastaverunt, deinde per portam Mezesinam nominatam ad Magnam Planitiem Hungaricam se verterunt (I, pp. 158, 447 sq.).

ad Bihor — Sic in *V₂* *V₃* legitur (SRH I, 412). De nomine v. caput ⟨76.⟩, sent. 335. Nomen non solum castrum, sed etiam ipsum comitatum Bihor (Bihar) quoque significat, qui superest usque in hodiernum diem atque castrum sedes huius comitatus erat.

flumen Vnoer — Nomen sic in *V₃* (SRH I, 412) invenitur. Omsóér — in formis Umusouer ~ Humusouer — est scriptum etiam apud Anonymum. Idem est ac rivulus — rectius quam alveus — Ér ‘rivulus’ nominatus, cuius aqua altitudine valde mutabilis est et in parte septemtrionali comitatus Bihor fluxu lento regionem paludosam alit atque huic regioni toti nomen Érmellék (‘regio circum rivulum sita’) dedit (Jakó pp. 2 sq., 15 sq.). Pars secunda nominis Omsóér est vocabulum Hungaricum ‘ér’ ‘rivulus’, prima pars cohaeret cum verbo Hungarico ‘omlik’ ‘effunditur, collabitur’ (Pais, Anonymus p. 130: SRH I, 63).

Tysciam — V. caput (64.), sent. 282.

Chocoyd — Formae in V: Thocoyd et in V₂ V₃: Tocoyd scriptae adducunt nos putare hunc locum eundem esse ac traiectum, qui in capite (79.) apparet et cum rivo Kota (Kotaér) est identificatus (Pais op. cit. MNy 56 [1960] 111). Cursus rerum comparatus cum locis geographicis haud dubium facit, quin hic traiectus nullo modo cum portu Tokajensi identificari possit.

sabulum — Hoc est regio sabulosa inter Danubium et Tisciam a Pestino ad meridiem-orientem ad Tisciam versus porrecta. Nomen regionis probabiliiter Homok 'sabulum' erat. Nominatione haud semel etiam Anonymus usus est (SRH I, 54, 57, 71, 81, 101; Pais, Anonymus p. 119). Res accurate enarratas describit Pauler (I, pp. 158 sq.).

Bechey — Locus Beche (Hungarice Becse) in comitatu Bachiensi traiectus magnus ad fluvium Tisciam est (Györffy, Tört. földr. I, p. 214), qui posterius Óbecse (Beche Vetus) (Csánki II, p. 143), hodie Stari Bečej (Iugoslavia) est nominatus. Vocabulum loci e nomine personae Hungarico Bech (Becs), Beche (Becse) derivatum est, forma vetus nominis Bechei (Becsei), significatio autem 'cuius possessor Beche' est (Hungarice Becséé) (Melich pp. 322 sq.).

401 *nobilium* — Significatio vocabuli "nobilis" est 'generosus'.

Sclauonia — Saeculis VII—X nomen regionis inter Iaderam (hodie Zadar) et Thessalonicam et montem Rhodopem sitae Sclavenia, Sclavonia erat, et etiam saeculis XIII—XV in fontibus occidentalibus generaliter sic est nominata terra a paeninsula Istria ad ostium fluvii Voiussae (h. Viasa) ad terram a mari Hadriatico ad Dravum et Histrum porrecta (Jireček I, pp. 113 sq.), si fines regnum respiciendi non erant. Quia Comani incursionem facientes regem Ladislauum bellum in Croatiam ductum intermittere coegerunt, cum iam ipsae civitates Dalmaticae capienda fuerunt (Deér p. 85), non est dubium, quin scriptor Gestorum hoc loco nominatione "Slavonia" in latiore sententia vocabuli usus sit.

flumen Temes — Temes (Rumanice Timiș) est flumen, qui influit in Danubium a latere sinistro. Nomen in forma: Tibis ~ Tibhis origine Thraco-Dacicum est, primum in linguam Latinam mutuatum est, hinc in linguas Germanicas orientales, mox translatione Bulgaro-Turcica in forma Timis in linguam Hungaricam. Nomen igitur Temes iam in lingua Hungarica conformatum est (Melich pp. 22 sq., 53 sq.).

402 *contrivitque dominus* — IV. Reg. 21, 9; Is. 14, 5.

Pagani — In Gestis forma Paganti (SRH I, 413) legitur. Hodie nus rivus Pogonis (Pogáncs) est, qui in montibus Severiensibus oritur et a Temesvariano (hodie Timișoara) ad meridiem-orientem in flumen Temes influit a latere sinistro. Nomen rivi in diplomatisbus medii aevi est Paganch, Pogancz (Milleker B., Délmagyaráország középkori földrajza [= Geographia Hungariae meridionalis medio aevo], Temesvár 1914, p. 145; in charta Görög ineuntis saeculi XIX Pogonis adnotatum est).

403 *Akus* — Acus (Akos) est aetate Arpadiana nomen generis et personae,

sed cui par forma apud complures populos Turcicos inveniri potest. In serie propaginum chanorum Tartarorum Siberiensium invenitur quidam Akus, apud Nestorem nomen principis cuiusdam Polovci Jakus est et quidam Mameluchorum Akuš sunt nominati. Significatio nominis compositi (akuš) est 'avis alba, falco albus' (Gombocz Z., Árpád-kori török személyneveink [= Hungarica nomina personarum origine Turcica in aetate Arpadia-
na], MNy 10 [1914] 246 sq.).

Eusem — Forma Ensem in V_4 legitur, in ceteris variantibus Chronici Picti forma Cusem scripta est. In *b* et *a* forma Ensem invenitur. Ut Pauler (I, p. 448) adnotavit, scriptor Gestorum eum personam omnibus notam memorat, nobis tamen nil notum de eo superest. Secundum coniecturam rectam Marczali (op. cit., in Szilágyi, II., p. 168) identificari potest "cum comite Euzem de genere Almasi", qui in capite (87.), sent. 415 est memoratus et aderat in bello Russico regis Colomani, hanc quidem identificationem non neglegendam esse iam in editione Th. a Schwandtner facta quoque (I, p. 132) admonitum est (Mályusz 1967, 6 sq.).

feliciter — In variantibus Gestorum sententiae aptius "fideliter" (SRH I, 414) legitur.

Contrivitque dominus — IV. Reg. 21, 9; Is. 14, 5.

prope Danubium ... rediit — Vocabula "et triumpho in Hungariam" a Th. suppleta sunt. Locus proelii, ut Pauler arbitratur, coniectura e textu Gestorum facta ultra locum Orsova, tamen haud longe a finibus regni ad Histrum reperiri potest (I, p. 160). Etiam extollere redditum in Hungariam factum res in maius aucta videtur. Th. certe redditum regis Mathiae victoris reminiscens textum Gestorum supplevit, atque vocabulo "trumphus", quod proprium generis scribendi saeculo XV erat, affirmavit, bellum quam grave fuisse. — Caput tantum in codicibus familiae Chronici Picti invenitur, unde id etiam Th. transcripsit.

(85.)

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est.

De expeditione ... contra Rutenos — Index ex indice capitis Chronici Picti 404 conscriptum est: "Rex vadit contra Rutenos" (SRH I, 414).

piissimus — Attributum ad illud tempus opportunum est. Sanctus Ladislaus in decreto, quod edidit, cum ipse regnare cooperat (Hóman, M. tört. I, 293), a primoribus regni hoc attributo ("temporibus piissimi regis Ladislai") est ornatus (Závodszyk p. 166), Stephanus IV. se ipsum in diplomate anni 1163 commemorat ut "Stephanus rex piissimus" (Fejér II, p. 166, Reg. Arpad. I, num. 102).

gratanter — Sic in V_3 et V_4 legitur, in variantibus ceteris forma "graviter" (SRH I, 415) invenitur.

Post hec ... suscepit — Res, quae probabiliter anno 1092 gestae sunt, solum in Gestis memorantur. Pauler (I, pp. 160, 448) recte eam coniecturam facit, ex qua dissensiones exstiterunt inter Sanctum Ladislauum et proles Rostislai, id est inter regem et prognatos principis magni Jaroslai Sapientis, quorum Vladimirus in principatu Przemyśl, Vasilij in principatu Terebovlj regnavit (История СССР. Первая серия [= Historia Civitatum Foederatarum Sovieticarum. Series prima], I, pp. 690 sq.), possessiones autem eorum a Hungaria ad orientem — in Moldavia et Bessarabia — usque ad Histrum porrectae erant. Eo magis quoque credi potest Vasilij Comanos ad Hungaros invadendos adduxisse, quia, ut Nestor ad annum 1092 adnotat, ipse cum his iisdem contra Polonos pugnavit.

Krokow — In *V*: forma Korokou, in *V₂* *V₄*: Korokon, in *V₃*: Korakon, in *V₅*: Karakon legitur (SRH I, 415). Cracovia saeculo XI quanti momenti fuerit, eo demonstratur, quod Boleslaus Audax (Bolesław Śmiały) anno 1076 probabiliter ibi coronatus est. Anno 1210 publice nomen “civitas principalis” habuit, medio saeculo XIII “urbs et sedes regia” est nominata (J. Dąbrowski, Die Krone des polnischen Königiums, in Corona pp. 453, 457).

Exinde Hungari ... mensibus obsederunt — Res ad annum 1093 adnotata in Chronico Polonorum a Martino Gallo scripto quoque memorata est (Gombos I, p. 489), atque ita etiam partes singulae accuratius cognosci possunt. Rex Ladislaus discordiae principis Vladislai Hermani (Władysław Herman) — mariti secundi viduae Salomonis — et nothi eius, Zbigniew, rectius: duarum factionum circum eos congregantium se interposuit. Ladislauum et una cum eo ducem Bohemiae Vratislauum (Břetislav) II. princeps Poloniae in auxilium vocavit contra primores partim peregre confugientes, quibus, per speciem invisus fuit consuasor potens principis, palatinus Cracoviensis Sieciech, re vera tamen prohibituri erant, ne potestas principis corroboraretur. In Polonia Ladislaus repente se aliter gessit, principi Cracoviae oppugnationem intulit, mox eum coegit, ut in gratiam rediret cum Zbigniew et rebellantibus (Pauler I, p. 173; Deér p. 83, falsa interpretatione addita). Pauler (I, pp. 453 sq.) expeditionem anno 1094 factam esse arbitratur.

405 *cum farina cooperuerunt* — Quod agger farina cooperitus est, elementum fabularum collectarum mundanarum esse videtur (Sebestyén, Mondái I. p. 217).

At inde transivit ... impune in Hungariam — Secundum interpretationem acutam Pauler (I, p. 454) incursionem in Bohemiam non bellum, sed praedationem eius modi fuisse intellegendum est, qualem tunc foederati quoque alter alteri commiserunt, sicut post septuaginta annos Bohemi in Hungaria, cum Stephanum III. adiuturi contra imperatorem Byzantii, Manuelem advenerunt.

rex victoriosissimus — Inter titulos regum Hungariae usque ad medium saeculum XII plerumque attributum “gloriosissimus” invenitur. Sic inter

titulos Sancti Ladislai, Colomani, Belae II., Stephani II., Geysae II. (Mon. Strig. I, p. 85; Marczali, Enchiridion p. 100; Fejérpataky, Kálmán p. 55; Idem, II. István p. 17; Mon. Strig. I, p. 107). Sed Colomanus, Bela II. et Geysa II. etiam “victoriosissimus” a se nominantur (Fejérpataky, Kálmán p. 42; Mon. Strig. I, p. 88; Reg. Arpad. I, num. 81). In opere scriptoris saeculi XII attributum “victoriosissimus” omnino ad illud tempus opportunum videtur. — Caput solum in codicibus familiae Chronicorum Picti invenitur, unde etiam Th. id transcripsit.

(86.)

Caput a continuatore aetatis Colomani conscriptum est insertis saeculorum XII et XIII additis.

De constructione ... passagii transmarini — Pars prima indicis eadem est 406 atque prima pars indicis capitinis Chronicorum Picti (“De constructione Waradiensis ecclesie et de morte regis Ladizlai”, SRH I, 416), secunda pars ad arbitrium ipsius Th. conscripta est.

parochia castri — Institutum, quod Hungarice “megye”, Germanice “Gespanschaft”, Latine praesertim “comitatus” vocatur, saeculis XI—XII praeter nominationes “civitas”, “provincia”, “comitatus” etiam “parochia” nominatus erat. Haec nominatio a vocabulo ecclesiastico “parochia” ducitur et cohaeret cum eo, quod unusquisque comitatus regius cum archidiaconatu congruebat (Tagányi K., Vármegyéink eredetének kérdése [= Tractatus de origine comitatuum in Hungaria], Tört. Sz. 2 [1913] 514 sq.; Hóman, M. tört. I, p. 220). In sermone Hungarico nominatio “parochialis plebanus” etiam saeculo XV ut “megyes plebanos” (‘plebanus comitatus’) est dictus (Legenda Beatae Margaritae, Gombos II, p. 1528).

flumen Kewres — Fluvius Crisius (Hungarice Körös, Rumanice Criș) est, qui a sinistro latere in Tisciam influit. Nomen in forma Gris origine Thracico-Dacicum est, quod primum in linguam Latinam, inde in linguas Germanicas orientales, mox translatione Bulgaro-Turcica in forma Kris in linguam Hungaricam delatum est. Forma ergo hodierna nominis Körös iam in lingua Hungarica evoluta est (Melich pp. 24 sq., 52 sq.).

construere — In omnibus variantibus Gestorum forma “constituere” (SRH I, 416) legitur.

invenit locum ... Warad nominavit — Hodierna civitas Oradea (Hungarice Nagyvárad ‘Varadinum Magnum’ in RSR) medio aevo maximum forum nundinarium regionis Transtibiscinae erat, ubi mercatores e Transylvania, e regione septentrionali Hungariae et Pestino advenientes merces suas mutabant. Nomen est deminutivum vocabuli Hungarici “vár” ‘castrum’ suffixo deminutivo -d addito (Pais, Anonymus p. 147). Civitas inter possessiones regias inclusa et finibus angustis complexa etiam situ demon-

stratur a rege Hungariae condita esse, incolae autem arte operosa et mercatura incrementum civitati attulerunt. Colonia inter fluvios posita a scriptore Gestorum ideo dici potuit, quoniam prope eam Crisius Rapidus affluens Magnae Planitie Hungaricae in plures ramos diffliuit et regionem quasi insulam reddit (Jakó pp. 379 sq.; Mályusz op. cit., in Székely, Tanulm. pp. 168 sq.). “Monasterium”, quod in Gestis memoratum est, idem est atque capitulum collegiatum ad ecclesiam Virginis Mariae aedificatum. Hoc posterius, cum Sanctus Ladislaus sedem episcopalem e Bihor translocavit, capitulum cathedrale factum est (Pawler I, p. 170). — Textus Gestorum a vocabulis primis capitinis usque ad haec vocabula tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti continetur, unde etiam Th. transcripsit.

sed in omnia — Th. textum familiae Chronicorum Picti secutus est et verba pauca familiae Chronicorum Budensis addita, quae plerumque e Sacra Scriptura (Cant. 3, 6) citata sunt, omisit.

suavitate odorem — I. Mos. 8, 21.; III. Mos. 2, 9. etc.

mortuo Romanorum imperatore — Imperator Henricus IV. regi Ladislao superstes erat (obiit anno 1106), itaque eo minus intellegi potest, cuius rei memoria fuerit causa narrandi facti, quod omnino fictum esse potuit.

duces et tetrarche ... susciperet imperium — Vocabulum rarius usitatum “tetrarcha” in parte, in qua historia Hunnorum tractatur, invenitur et e Sacra Scriptura mutuata esse videtur, nomen autem “baro” in diplomatis Hungaricis ante saeculum XIII haud notum est. Scriptor aetatis Colomani nullo modo, scriptor aetatis Stephani III. fortasse iam putare potuit imperium Ladislao oblatum esse (Horváth pp. 274 sq.). Secundum Pawler (II, p. 611) pars haud prius medio saeculo XIII scripta est. Veri similiter scriptor historiae Hunnorum saeculi XIII excogitavit imperium proavo homonymo regis sui, Ladislai IV. — qui consilia nimis magna moliebatur — donatum esse. Pugna in campo iuxta fluvium Moravam (anno 1278) commissa, in qua exercitus Hungaricus roburem regis Bohemiae, Ottocari fudit fugavitque, et imperatorem Rudolphum Habsburg adiuvit, iam occasionem dedit ad indicandum quo modo principes grati merita erga se magna remunerari possent.

407 *Non transgrediaris terminos* — Prov. 22, 28.

Pasca domini — Anno 1095 Pascha die 25 mensis Martii erat.

Bodrog — Locus Bodrog ut sedes comitatus eiusdem nominis ad Danubium, ad occasum a civitate Zombor (hodie Sombor in Jugoslavia) situs est. Medio aevo locus urbanus erat, tempore obsessionis Turcicae deletus est (Györffy, Tört. földr. I, pp. 711 sq.; Csánki II, p. 190). Nomen e vocabulo Hungarico Bodor suffixo Hungarico addito formatum est (Melich pp. 149 sq.). Domanovszky locum cum villa Bodrog in comitatu Simigieni sita falso identificat (SRH I, 417, adnot. 1).

Villermo fratre regis Francorum — Rex Francogalliae tunc Philippus I. (1059—1108) erat. Frater eius, qui partem primi belli sacri cruciferorum cepit, Hugo est nominatus. Hic igitur scriptori in animo esse non potuit.

Erat tamen inter cognatos Philippi I. miles quidam nomine Villermus, qui in lingua Latina medii aevi “frater” regis quidem nominari potuit. Hic erat comes Tolosanus Villermus IV. (cf. W. Holtzmann, Studien zur Orientpolitik des Reformpapsttums und zur Entstehung des ersten Kreuzzuges, Historische Vierteljahrschrift 22 [1924/25] 196), avunculus regis. Quoniam hic Villermus anno 1093 in Terram Sanctam peregrinatus est, immo quidem ibi mortem obiit, fama eius — sic arbitramur — in Hungariam perferri potuit. (Hoc membrum familiae regiae Francogallicae, Villermum Paurer [I, pp. 172, 452 sq.] agnovit, et idem coniunctiones affinitatis eius descripsit.)

sanctam civitatem — Scilicet civitatem Hierosolymam.

Cumque celebrasset ... Iesu Christi existeret — Primum bellum rei Christianae causa susceptum papa Urbanus II. in synodo Claremontensi mense Novembri anno 1095, post mortem regis Ladislai edixit, itaque verba scriptoris Gestorum, quae Ladislaum ad ducem belli invitatum esse memorant, nullo modo probabilia esse possunt. Haec invitatio etiam in legenda Sancti Ladislai ineunte saeculo XIII orta (SRH II, 521) continetur, at in Chronico Dubnicensi simplicius redditia est eo modo, ut rex in Terram Sanctam peregrinaturus sit (Font. dom. III, pp. 96 sq.; SRH I, 417). Ut Paurer constituit (I, p. 453), plus nullo modo, tantum tamen probabile videtur, quod Sanctus Ladislaus re vera se paraverat ad peregrinandum, et postea hoc consilium regis scriptor Gestorum in maius extollit. Mentionem huius rei Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 184) generaliter tempore posteriore factam esse putat. Aliter arbitratus est Horváth (pp. 274 sq.). Secundum sententiam eius continuator aetatis Colomani iam mentionem eius rei fecit, ex qua Ladislaus ad bellum ducendum invitatus est. Hoc e ratione conscriptionis conici potest. Nam scriptor Gestorum in capite sequenti repetit, quo modo sacrum bellum cruciferorum gestum sit, repetens etiam invitationem. Articulus inter duas partes insertus aperte contra Colomanum conscriptus est et sine dubio ab anonymo aetatis Stephani III. compositus est. Idem auctor simul et partem, in qua de annis extremis regni Sancti Ladislai agitur, rescripsit, quo magis ipse Colomanum contra cruciferos infenso animo se gessisse affirmare posset.

gavissus est gaudio magno — Matth. 2, 10: gavisi sunt gaudio magno.

Conrardum — Sic solum in V₄ (SRH I, 418) legitur.

Conrardum ... filium Otthonis — Scriptor Gestorum ducem Brunensem, 408 Conradum, qui anno 1092 regnum Bohemiae ad breve tempus post fratrem natu maiorem, regem Vratislaum II. obtinuit, filium Othonis fuisse falso dicit. Ipse Conradus et dux Olomucensis, Otho I., filii ducis Bohemiae, Bretislai I., fratres erant (cf. Huber I, pp. 212 sq.; Krones p. 240; Z. Fiala, op. cit. additamentum). Item in Gestis falso attribuitur Conrado consilium, ut intersit sacro bello cruciferorum, quoniam ipse iam die 6 mensis Septembris anno 1092 mortem obiit.

Sentapolug — Svatopluk, qui dux Olomucensis, mox — ab anno 1107 —

dux Bohemiae (obiit anno 1109) fuit, filius erat ducis Moraviae Othonis I. (obiit anno 1087) et filiae regis Hungariae, Belae I., Euphemiae (obiit anno 1111) (cf. SRH I, 381; Wertner p. 168). Secundum Györffy (p. 20; Idem, op. cit. TSz 9 [1966] 29) forma nominis Sentapolug, quae nasalem consonantem habet, e chronicō vetere ducitur.

honorifice susceptus est — Res memoriam Bořivoj II. anno 1107 a fratre patruei expulsi renovat (Pauler I, p. 454).

408—409

Interim cognatus Conradi ... persona eum adiuturum — Scriptor Gestorum omnino conturbavit et coniunctiones affinitatis stirpis Arpadianae cum stirpe Premyslidarum, et res, quae causae fuerunt, ut rex Ladislaus controversiis componendis se immiseret. Discordiam dissensio inter rationem senioratus et rationem primogeniturae excitavit. Bretislaus II. — filius regis Bohemiae, Vratislai II. — regnum stirpi suae, fratri natu minori Bořivoj conservaturus, atque ideo filium ducis Brunensis, Conradi, Oldricum, quamquam natu maiorem, quam Bořivoj, hereditate excludere voluit. Filii ducum Conradi et Othonis I. tunc Sanctum Ladislaum adierunt. Ex adversariis propinqui regis Hungariae erant: Bretislaus II. (obiit anno 1100) ut filius filiae regis Andreae I., quae Adelheida est nominata, ergo sororis amitinae Sancti Ladislai: filii autem Othonis I. ut filii sororis Sancti Ladislai. Praeterea Bretislaus II. anno 1091, cum patrem suum fugere coactus est, se in fidem et tutelam Sancti Ladislai contulit. Hic auxilium nunc ne adversarii quidem denegavit, hoc modo auctoritatem exercere voluit. Argumenta propiora institutorum Ladislai haud nota sunt (Pauler I, pp. 173 sq., 454).

409

contra Salomonem venerat — Scilicet dux Otho I. (cf. SRH I, 381, Th. caput (79.), sent. 359).

Colomanum et Almum — Colomanus, qui posterius rex est factus (1095—1116) et dux Almus filii regis Geysae I. sunt. Wertner Colomanum circa annum 1074, Almum autem ad annum 1075 natum esse arbitratur (pp. 216, 243), secundum sententiam Pauler Colomanus circa annum 1070 natus est (I, p. 174). Causa successionis regni ideo ordinanda erat, quoniam Sanctus Ladislaus filium non reliquit.

prronosticatusque ... sanguinis fieret — Enuntiatio ab interpolatore contra Colomanum sententi (Hóman op. cit. Turul 28 [1910] 105), ergo — secundum Horváth (p. 274) — ab anonymo Stephani III. insertum esse potest.

Agriensem episcopum — Hodierna civitas Agria (Eger) in comitatu Hevesensi, in confinio montis Bükk nominati et Magnae Planitiei Hungariae sita est. Agria sedes est unius ex decem episcopatibus a Sancto Stephano conditis. Nomen Eger idem est ac vocabulum Hungaricum éger 'alnus', quod prius vocabulum silvae, mox vocabulum aquae, hoc autem vocabulum loci factum est (Etym. Szótár I, coll. 1484 sq.).

secessit in Poloniam — In Polonia tunc Vladislaus Hermanus (Władisław Herman) regnavit (1081—1102), cuius gratiam post res anno 1094 gestas (v. caput superius) adversarii Ladislai consequi speraverunt.

Marcus et Vgra — Non est dubium, quin hi viri inter sectatores fidelissimos Colomani relati sint. Ea ipsa de causa identificari possunt cum comitibus Marco et Ugurano, qui anno 1111 una cum rege iuraverunt, cum ille spopondit se libertatem Dalmatiae tuiturum esse (Wenzel I, 44, Reg. Arpad. I, num. 45). Secundum Hóman comes Ugra e genere Chak (Csák) oriri potest, in quo genere nomen Ugrin etiam saeculo XIII usitatum erat (M. tört. I, pp. 360, 362).

Marcellum prepositum — Probabiliter idem est atque episcopus Vaciensis Marcellus, qui in diplomatis annorum 1111 et 1113 regis Colomani inter confirmatores invenitur, anno 1111 autem una cum rege ac primoribus iure 410 iurando spopondit se quoque libertatem Dalmatiae conservare (Fejérváty, Kálmán pp. 44, 62; Wenzel I, p. 44).

Petrum comitem — Identificari potest cum palatino Petro, qui in diplomate fundationali anni 1091 monasterii de Simigio (h. Somogyvár) memoratus est (Fejér I, p. 469; Baumgarten F., A saint-gillesi apátság összeköttetései Magyarországgal [= Coniunctiones abbatiae Sancti Egidii (hodie Saint Gilles) cum Hungaria], Száz. 40 [1906] 405; Hóman op. cit. Turul 28 [1910] 106 sq.).

Beatus autem ... Almus regnaret — Non est dubium, quin rex Ladislaus successorem fratrem patruelem natu minorem, Almum designaverit. Hoc eo demonstratur, quod anno 1091 illum Croatiae praefecit. Colomanum autem sepositurus munus sacerdotale capessere maluit. Almus paratus fuit consilia Ladislai de arte regnandi post annum 1091 renovata, id est orientationem erga imperatorem sequi, sed Colomanus et assectatores eius in partes adversariorum, id est in partes papatus transituri fuerunt. Possibile est, quod Ladislaus ante finem vitae suae attamen Colomanum ad successiōnem regni confirmaturus erat, fortasse quoniam tunc in locum orientationis erga imperatorem rursus inclinatio ad papatum, quae in primis annis regni valuit, successit, tamen haud impossibile videtur Colomanum liberum a consiliis Ladislai, ex praevalentibus viribus factionis suae et ex pacto regnum obtinuisse atque ita Almum ducatum nactum esse (Hóman, M. tört. I, p. 351; Kristó, Hercegség pp. 108 sq.).

Beatus autem ... videbatur competere — Certamen obstinatum, quod Almus pro corona obtinenda certavit, cum narratione scriptoris Gestorum discrepat, ex qua Almus regnum fratri quasi sponte concederit. Enuntiatio una cum superiore interpretatione ab interpolatore, qui de Colomano adversarie cogitavit, pro stirpe Almi inserta est (Hóman op. cit. Turul 28 [1910] 105). Hic interpolator secundum Horváth (pp. 274, 330 sq.) cum anonymo aetatis Stephani III. identificari potest.

Si quem autem ... habere noticiam — Iam Hóman (pp. 70 sq.) ostendit vocabulum “Gestis eiusdem opus quoddam Gesta Ladislai indicari”, quod Gesta Ungarorum aetate Sancti Ladislai conscripta, id est Gesta vetera Hungarica intellegendum est. Secundum Horváth (p. 331) in indicatione fontis continuator aetatis Stephani III. indicem quoque describens chronica

aetate Colomani conscripta memorat, quae ergo etiam indicem “Gesta Ladislai regis” habere potuerunt. Secundum Gerics (p. 69) incertum est, utrum opus hic memoratum Gestा Ladislai regis, an — etiam secundum opinionem Hóman — Gestа Ungarorum sit, tamen certe gesta, et quidem continuationem Gestorum — ac non Gestа vetera — significat. Ex alia opinione vocabulo “gesta” hic significatio ‘legenda’ tribuitur, atque ex hac constitutum est continuatorem quendam Gestorum memoravisse se legenda Sancti Ladislai usum esse (Erdélyi, Ötven historicus p. 7; Győry J., ItK 59 [1955] 343; Csóka p. 669. De sententia Csóka disputat Gerics op. cit., in Horváth—Székely pp. 114 sq.). Csóka (p. 670) protulit vocabulum “gesta” tertio modo quoque explicari posse, ex quo vocabulum “gesta” hic non ipsum opus conscriptum sed ‘res gestas’ significaret. — Textus Gestorum a vocabulis “patrum tuorum” (sent. 407) usque ad hunc locum tantum in codicibus familiae Chronicī Picti continetur, unde ipse Th. transtulit.

sepultus Waradini in monasterio suo — Vocabulum “monasterium” hic quoque ecclesiam cathedralē significat. (V. caput (80.), sent. 376. Sepulcrum Varadiense Sancti Ladislai toto medio aevo locus a peregrinatōribus frequentatus erat. Reges corona accepta primum iter solito more hoc fecerunt (Bunyitay I, p. 84; Anjou IV, p. 292), homines privati apud sepulcrū vel reliquias capitis sancti ius sollempne iuraverunt, sic etiam primores regni anno 1403, cum regi Sigismundo adversati sunt (Bunyitay I, pp. 107, 220 sq.), exeunte autem saeculo XV capitulum novum conformatum est, quod cultum sepulcri foveret (Bunyitay II, pp. 208 sq.).

transiit ... feria I — Textus variantes familiae Chronicī Budensis certiores sunt, quam textus Th. atque textus Chronicī Picti, qui a Th. transcriptus est. In illis variantibus accurate adnotatum est tempus regnandi regis Ladislai (18 anni — ex mendo scripturae falso: 19 anni — 3 menses 3 dies), cui congruit dies 29 mensis Iulii anno 1095, pro “III Kalendas” scriptum est “IV Kal.”, quod quidem ideo rectum est, quia anno 1095 in diem dominicam dies 29 mensis Iulii, non autem dies 30 incidit, et postremo dies tempus obitus, non autem — e textu evidenter corrupto — tempus sepulturae dicitur. (Computationes accurate explicatas profert Mátyás, Végnapjai pp. 7 sq., item sepulturam quoque describit. Sanctus Ladislaus primum in monasterio ordinis Sancti Benedicti, quod ipse Simigii condidit, sepultus est, ut in diplomate anni 1106 papae Paschalis II. affirmatur, et corpus sepultum tantum post annum 1106 Varadinum translatum est. Cf. Baumgarten F., Kritikai jegyzetek az Árpád-kor története köréből [= Adnotationes criticae ex historia aetatis Arpadianae]. Száz. 38 [1904] 868 sq.)

⟨87.⟩

Caput partim a continuatore aetatis Colomani conscriptum est, quod anonymus aetatis Stephani III. retractavit.

De coronatione ... similiter primi — Index paene identificari potest cum 411 indice capitinis Chronicis Budensis: “De coronatione regis Colomanni filii regis Geyse primi, qui fuit filius regis Bele primi” (SRH I, 420).

Colomanus ... plenarie concessit — Sancto Ladislao mortuo postremum forma vetus ducatus diurne valere cooperat et tertia pars regni duci ad gubernandum tradita est. Principium, ex quo frater regis mortui regnare coepit, haud quidem statim in oblivionem adductum est et saeculo XII id retineri saepius temptatum est, immo quidem semel etiam tertia pars regni ut ducatus renovata est (SRH II, 200), conatus tamen minus prospere evenerunt (cf. Györffy, Tanulm. p. 41). In Annalibus Posoniensibus diurnitas “ducatus” magis praedicatur, quam in Gestis et institutum re vera quasi hereditarium dicitur: “Ladislaus rex obiit et frater eius Lampertus dux, quibus Colomannus et frater eius Almus succedunt in regnum. Colomannus rex coronatur et frater eius diadema induitur” (SRH I, 126).

inferius patebit — Th. vice textus paralleli copiosius conscripti familiae Chronicis Budensis — in quo dux Almus a duce Lamperto ortus falso describitur, atque ita coniunctio fraterna inter Colomanum et Almum negatur — hoc loco breviloquentiam familiae Chronicis Picti transcrit.

Erat namque ... claudus et blesus — Colomanus rex egregius, ingenio praeditus fuit, quod inter omnes historicos Hungaricos constat (Pawler I, pp. 174 sq.; Marczali op. cit., in Szilágyi, II, pp. 250 sq.; Hóman, M. tört. I, pp. 316 sq.; Elekes—Lederer—Székely pp. 94 sq.). Descriptio iniqua, quam scriptor Gestorum de statura et regno Colomani dat, ex opinione haud incorrupta rerum scriptorum familiae Almi faventium facta est, inaequalitates autem, scilicet quod sententia scriptoris non omnino improbans est, eo explicari possunt, quod opus quoddam veterius factionis Colomani transcriptum sit et huius non cuncta momenta e descriptione exclusa sunt. Ut Marczali (p. 60) adnotavit, figura regis memoriam Thersitiae renovat, qui describitur in epitome Iliadis, quod opus vulgo Homerus Latinus nominabatur, scriptor autem eius saeculis XII—XIII errore inductus Pindarus Thebanus est dictus (Pauly—Wissowa XVII, 1057 sq.).

Temes — Id est fluvius Temes. (V. caput ⟨84.⟩, sent. 401.)

Zemlin — Zemlin (Zimony) hodie Zemun (in Jugoslavia) ad os fluvii Savi, qui influit in Danubium contra Belgradum, medio aevo magna civitas et castrum erat (Csánki II, pp. 233, 244). Nomen Hungaricum (Zemlin) origine Bulgaro-Slavicum est: adiectivum derivatum vocabuli *zemla* ‘terra’ est et significat: ‘terrenus, terreus’. Nomen primum “zemlin grad” ‘castrum terreum’ esse potuit, ex quo vocabulum zemlin derivatum Hungaricum vocabulum loci factum est (Melich pp. 86 sq.).

peiora prioribus — Matth. 12, 45.; Luc. 11, 26.

Marchiam illam totam — Vocabulum marchia in Latinitate Hungarica quoque, ut generaliter, comitatum confiniorum significavit. Organisatione marchiarum saeculo XII mutata officium genuinum ipsarum marchiarum finitum est, una tamen ex memoriis earum in conformatione ecclesiastica cum marchia coniuncta servata est. In dioecesi Quinqueecclesiensi archidiaconatus Marchiensis est nominatus, cuius regio, dum ipse occupatione Turcica sublatus est, cum territorio comitatus Sirmiensis medii aevi congruens erat. Nominatio Marchia in Gestis sine dubio eandem regionem significat, quae inter Danubium, Dravum et Savum sita est, id est regionem Sirmensem. Haec Marchia in confinio imperii Byzantii unum ex locis militaribus maximi momenti in finibus meridionalibus regni praemunitura fuit. Nam per regionem huius Marchiae ferebat via a Romanis exstructa ad occasum, ad regiones Slavonicas Croaticasque versus cum pluribus deverticulis (Györffy op. cit. II. Oszt. Közl. 2 [1952] 338 sq.; Idem, Tanulm. pp. 94 sq.).

413 *in Temes* — Dum in vocabulo “circa Temes”, quod in versibus superioribus scriptum est, nomen fluvii Temes coniectari potest, vocabulum autem “*in Temes*” aut generaliter comitatum Temes, aut sedem comitatus significat, quae sedes ut castrum posterius constanter Temesvár nominatur.

411—413 *Cumque predicti ... pace ire dimisit* — Transitus per Hungariam exercitum cruciferorum accurate cognosci possunt e descriptionibus complurium fontium occidentalium, quorum in corpore Alberti Aquensis, in Historia Hierosolymitana (Migne, PL 166, pp. 392 sq.; Gombos I, pp. 35 sq.) res, quae anno 1096 gestae sunt, copiosissime tractantur, res autem complures minores in his fontibus memorantur: Ordericus Vitalis, Historia ecclesiastica (Migne, PL 188, pp. 657 sq., Gombos III, p. 1751), Robertus Remensis monachus, Historia Hierosolymitana (Migne, PL 155, pp. 674, 680, Gombos III, p. 2060), Ekkehardus, Chronicon universale (M.G. H., SS VI, p. 208, Gombos II, pp. 870 sq.), Fulco, Historia gestorum et viae sui temporis Hierosolymitanae (Duchesne, Hist. Franc. script., IV, pp. 890 sq., Gombos II, pp. 963 sq.), Guibertus, Historia Hierosolymitana (Migne, PL 156, pp. 705 sq., Gombos II, pp. 1096 sq.). Documenta horum omnium fontium arte critica accurate adhibita comparavit Pauler (I, pp. 192 sq.), atque series rerum gestarum secundum coniecturam eius et secundum coniecturam Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, pp. 192 sq.) explanata dici potest (cf. S. Runciman, A History of the Crusades, Cambridge 1954, I, pp. 122 sq., 140 sq., 147 sq.). Ita id quoque, quod complures exercitus cruciferorum unus post alterum deinceps sequentes per Hungariam transierunt, Colomanus autem illis confisus est, et mentem benevolam non nisi experientia doctus in inimicitiam mutavit. Prima caterva cruciferorum medio mense Maio anno 1096 Walter Poissy (Sansavoir) duce a fine regni occidentali praeter flumen Danubii sine ullo incommodo per regnum transivit et tantum ad castrum Zemlin altercatio orta est, cum Hungari

sedecim cruciferos comprehendenterunt, arma eis adimerunt, et quamquam eos ipsos dimiserunt, arma tamen ut insignia victoriae in moenibus castri suspenderunt. Caterva secunda cruciferorum — Petro Amiensi duce — mense Iunio eodem itinere procedebat ad Zemlin item tranquille, sed ibi cruciferi arma spoliata consipientes castrum oppugnaverunt ceperuntque, et non abierunt prius, quam nuntius afferebatur Colomanum appropinquare. Rex interim duas catervas minores cruciferorum iam in fine occidentali Hungariae detinere et disicere coactus est, unam, quae — Volkmaro duce — e Bohemia per Trenchinum procedebat ad Nitriam, alteram autem, quam clericus Gottschalk duxit, in terra Transdanubiana. Tertiae catervae, cuius duces vicecomes (vicomte) Melunensis, Vilhelmus Charpentier et comes Emich Leiningen erant, rex Colomanus transire fines regni abnegavit, tum illi transitum vi obtinere decreverunt. Haec caterva igitur castrum Moson oppugnavit, sed repulsa est. Posthac Colomanus etiam robur cruciferorum suspiciose cum animo accepit, qui duce Godofredo Bouillon ad fines regni occidentales mense Septembri pervenerunt. Pacto in antecedens sum constituto et obsidibus datis milites electi cruciferorum tranquille per regnum processerunt. Rex cum exercitu suo agmen cruciferorum observabat, apud transitum quoque ad Zemlin in ripa sinistri Danubii prope fluvium Temes paratus erat, traiectu autem cruciferorum tranquille finito obsides eorum donis donavit atque libere dimisit. Scriptor Gestorum nonnulla ex momentis enumeratis eligens ea “singulariter confundit” (Paurer I, p. 459). E casu primae catervae orta est — secundum scriptorem — devastatio Marchiae, e casu autem secundae catervae occupatio castri Zemlin, e gestis tertiae facta est causa, cur regnum transire non permissum esset atque cum armis concursum esset, historia autem roboris cruciferorum causa eius rei fuit, ex qua descriptio inserta est, in qua narratur, quo modo rex regionem prope fluvium Temes extensam inspexerit et quantopere amicitia donationeque usus sit.

Illi autem ... ceperunt Anthochiam — Hodierna Antakya est in Turcia. 413 Anno 1098 participes occidentales primi belli cruciferorum novem menses oppugnabant, mox ceperunt, qui ibidem sub dictione Byzantii regnum vasallum condiderunt.

Hierusalem abierunt — Anno 1099 contigit, ut exercitus Godofredi Bouillon hanc civitatem caperet.

audientes — Sic tantum in *V*, scriptum est; in variantibus ceteris forma “audiente” (SRH I, 423) invenitur.

congregaverunt exercitum — Conici potest tempus rei anno 1098 fuisse (Paurer I, 203).

Rex autem cum ... prope Warkun — V. caput (71.), sent. 316. Praeter identitatem vocabulorum locorum etiam verba generis scribendi concinnitia indicant scriptorem bellum fraternum ad exemplum discordiae inter Andream I. et Belam descripsisse (Hóman B., A II. Géza korabeli Névtelen [= De Anonymo aetatis Geysae II.], Száz. 65 [1931] 229).

Horváth (p. 278) id quoque dubium esse putat, utrum hic “actus Varkunensis” vere factus sit, an scriptor tantum illum “actum Varkunensem” (v. caput (71.)) imitatus sit, quae inter Andream I. et Belam acta erat.

414 *Grack* — Diploma Sancti Ladislai anno 1093 datum, quod quidem falsum est, tamen e diplomate quodam vero circa annum 1091 dato confectum est, inter testes memorat comitem Grab (Reg. Arpad. I, num. 27), qui in diplomate fundationali episcopatus Zagrabiensis exeunte saeculo XI comes Simigiensis est nominatus (Hóman op. cit. Turul 28 [1910] 102). In Gestis probabiliter hic Grab est memoratus, sed e neglegentia transcriptoris in falsa forma nominis.

Ilia — Similiter est nominatus gener comitis Vid, ut in capita (77.), sent. 351 legi potest.

rex invasit Rusciam — Rex Colomanus ad bellum inferendum a magno principe Kioviae Svatopolk II. adductus est. Magnus princeps quidem anno 1099 aggressor erat, cum in consanguineos suos invasit et Davyd Igorevič e civitate Vladimir Volhiniensi expulit (die 9 Aprilis), a Vasilij Rostislavič civitatem Tjerebovlj, a Vladimiro Rostislavič autem civitatem Przemyśl adimere conatus est, at proelio superatus ipse auxilium petere coactus est (in Annalibus Russicis Vasilij nominatur Vasilko, Vladimirus autem Volodar, Hodinka pp. 54 sq.). Colomanus occasione libenter est usus et iam exeunte mense Aprili anno 1099 exercitum — equidem modicum — ad Przemyśl duxit. Exercitum magnum ad arma convocare ne spatium quidem temporis ei fuisse (Pauler I, pp. 203 sq.). Colomanus igitur contra principem Przemysliensem-Tjerebovlensem, qui e potestate centrali se liberatus erat, magno principi Kioviae adiumento esse maluit (B. T. Пашто, Внешняя политика древней Руси [= Ratio rerum externarum Russiae veteris], Москва 1968, pp. 53 sq.).

ducissa ... Lanca — Secundum conjecturam acute expressam Pauler (I, p. 461) de uxore Davyd Igorevič agi potest, quam maritus, dum ipse auxilium petiturus ad Cumanos adiit, in civitate Przemyśl apud Volodar Rostislavič collocavit, nomen autem eius magis Janka esse potuit, sicut hoc nomine etiam soror Monomachi Vladimiri, quae monacha fuit, nominata est. In manuscripto Gustinensi Annalium Russicorum (Pověsti) illa mater Volodar fuisse dicitur (Hodinka pp. 63 sq.), at haec opinio ut conclusio e textu Gestorum Hungaricorum — et quidem e textu ipsius Th. — facta in manuscriptum saeculi XVII translata est.

414—415 *ducissa ... muliebri deturpari* — Enarratio manuscripti Gustinensis, quae copiosius, quam in textibus Laurentii et Niconis adnotata est, e textu Gestorum Hungaricorum amplificata est. Hoc non solum textibus inter se comparatis manifestum fit, sed etiam indicatione ipsa manuscripti ad “Hungaricos chronographos” (Hodinka p. 65).

415 *Kuni ... Rutenorum* — Cumani auxilium Russis ferentes in Annalibus Russicis Polovci sunt nominati, ex quo haud dubium est, quin de populo Kipchak nominato agatur (Györfy op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] 171).

cum Mircode — Nomen ducis Cumanorum secundum Annales Russicos Bonjak fuit (Hodinka pp. 59 sq.). Nomen Mirco in Gestis adnotatum, ut Pauler (I, p. 461) probabiliter recte constituit, dignitatem ducis continet. Nam significatio vocabuli Cumanici “mir” est ‘princeps’.

Euzem de genere Almasi — Formae nominis Euzen, Euzin, Euze, Euzia in diplomatis saeculorum XII—XIII ut nomina personarum inveniuntur (Kovács, Index p. 231). Cum comite hic memorato Euzem identificari potest Eusem, cuius nomen in capite 137 Gestorum falso Cusem scriptum est (v. caput (84.), sent. 403, Mályusz 1967, pp. 6 sq.). De genere Almási argumentum in diplomate quodam adnotatum non est notum, hoc genus solum in Gestis commemoratur (Karácsonyi I, p. 122; Kristó—Makk—Szegfű II, p. 4). In controversia de nomine “Almási” orta secundum Gerics (op. cit. TSz 9 [1966] 5) vocabulum “de genere Almasi” saeculo XII ortum esse eo demonstratur, quod nomen populi “Cuni” una cum illo memoratum ineunte saeculo XIII e Latinitate Hungarica extinguitur; secundum Györfy (op. cit. TSz 9 [1966] 29) vocabulum “de genere Almasi” haud multum valet, quoniam textus non semel est descriptus, retractatus et correctus, atque forma “Almasi” cum nominibus familiarum, quae e vocabulis locorum orta sunt, eodem ordine collocari potest. Gerics ei respondens (ItK 71 [1967] 596 sq.) permansit in sententia sua — imprimis nisus deliberationibus linguisticis —, vocabulum “de genere Almasi” e chronico quodam saeculi XII ortum esse. Controversia re vera de quaestione — quae tamen ne in hodiernum quidem diem omnino soluta est — orta est, utrum vocabulum “de genere” — significans originem alicuius — ante saeculum XII exiens et saeculum XIII iniens in Hungaria notum esset, an tantum post saeculum XIII iniens usitatum fuisset. Ut Karácsonyi arbitratur, nomen Eusem cum nomine Óze identificari possit, secundum Pauler (I, p. 461) autem Eszény. Hac identificatione probata vocabula locorum Eszény et Almás coniungi possint, si medio aevo in comitatu Albensi (Fejér) ab Alba Regia ad occasum villae Eszény et Almás altera prope alteram sitae erant (Csánki III, pp. 316, 327. Formam nominis Eszény alio modo constitutam v. Etym. Szótár II, coll. 62 sq.).

episcopos Cupan — Capellanus quidam regius nomine Cupan in diplomatice fundationali anni 1091 abbatiae ordinis Sancti Benedicti de Simigio (Reg. Arpad. I, num. 24) atque in diplomatice fundationali circa exitum saeculi XI scripto episcopatus Zagrabiensis (Fejér I, p. 484) memoratur. Probabiliter hic capellanus regius idem est atque episcopus, de quo in Gestis agitur (Hóman op. cit. Turul 28 [1910] 103; Šišić I, p. 364).

episcopos Cupan ... ceciderunt — In diplomatice anni 1093 Sancti Ladislai, in quo fines episcopatus Quinqueecclesiensis constituuntur, et quod quidem falsum est, tamen sine dubio e diplomatice vero circa annum 1091 dato confectum est, capellanus quidam regius Laurentius memoratus est (Reg. Arpad. I, num. 27), qui — ut arbitrari possumus — anno 1099 iam episcopus fuit, tamen hoc nomen tam vulgatum est, ut identificatio valde incerta sit.

Sed fide digna est adnotatio scriptoris Gestorum de obitu episcopi Cupani, quia interitus huius in manuscripto Laurentiano Annalium Russicorum quoque memoratur, immo quidem etiam nomen episcopi huius in forma Купан accurate est descriptum (“Ibi occisus est episcopus Cupan et multi e principibus.” Hodinka p. 61. In manuscripto Niconis nomen Cupan falso Tupan est scriptum, similiter in variante medio chronici veteris quoque. Hodinka pp. 61, 65). Ceterum fieri potest, ut adnotationes Annalium rem accuratius servent, cum tantum unum episcopum occisum esse referant, et commemoratio in Annalibus Posoniensibus non solum genere scribendi, sed etiam re vera discrepat a descriptione Gestorum: “Cupanus episcopus interficitur a Chunis et Laurentius episcopus obiit” (SRH I, 126. V. Mátyás, Chronol. p. 9).

416 *Monoch* — Hoc nomen identificari potest cum nomine ducis populi Polovci, Bonjak (Бонякъ, Hodinka pp. 58 sq.), qui in Annalibus Russicis memoratur. Anna Comnene hoc nomen ut nomen ducis Cumanici cuiusdam una cum re circa annum 1090 eventa in forma Maniak (Манякъ, CSHB p. 379) adnotavit (Györffy op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] 171).

captum — Sic in V_4 et V_5 scriptum est. In variantibus ceteris forma “captivum” invenitur (SRH I, 425).

Iula comes — Circa annum 1090 “comes palatinus” Sancti Ladislai Gula (Gyula) fuit (Reg. Arpad. I, num. 23) et “comes curialis” eiusdem regis anno certo non constituto Iula (Fejér II, p. 85). Cogitari potest horum alterum cum comite hic memorato identicum fuisse.

417 *Tanta strages ... strage fuerunt* — Id, quod strages exitialis fuit, aliis verbis etiam in Annalibus Russicis affirmatur. Narrationes amborum fontium inter se non discrepant, e duobus autem reconstruere possumus, quo modo proeliatum sit. Scriptor enim Gestorum ne mentionem quidem loci facit, ubi proelium editum est, nec acies instructas neque discriminem pugnae describit, dum alter dimicantium alterum superaret, sed eo magis verbose tractat cladem, fugam insectationemque, at in Annalibus pro rebus minoribus summa rerum gestarum accurate est descripta (de adnotationibus Annalium Russicorum v. Э. Иглои, Повесть временных лет о Венграх [= Annales Russici de Hungaris], Slavica. Annales Instituti Philologiae Slavicae Universitatis Debreceniensis de Ludovico Kossuth nominatae 3 [1963] pp. 97 sq.). Secundum haec Cumani exercitum Hungaricum sagittas e longinquo emitentes fugamque simulantes insidiis circumvenerunt eo modo, ut Cumani insidiantes e latere et a tergo Hungaros invaderent, antefugientes autem repente retro versi sunt atque ita exercitum Hungaricum circumvenientes victoriam totam consecuti sunt (В. Т. Пашуто op. cit. p. 53). Ordine accurate reconstructo, quo modo pugnatum esset, certe constitui potest Cumanos eadem ratione pugnandi exercitum Colomani fudisse fugavisseque, qua olim Hungari patriam occupantes victorias assecuti sunt. Pro certo haberri potest exercitum Hungaricum ad civitatem Przemyśl iam aliis armis et alia ratione pugnandi pugnavisse, quam medio

saeculo X in pugna apud fluvium Lichum. Anno 1099 Hungari arma equestria habebant, milites autem singuli comminus alter cum altero dimicabant. Pars exercitus Hungariani, quam rex ipse in potestate habebat et quam tunc statim secum ducere potuit, sine dubio haud secundum rationem pugnandi populorum nomadum pugnavit (cf. Hodinka A., Kálmán királyunk 1099-iki peremyšli csatája [= De pugna regis Hungariae Colomani anno 1099 ad Przemyśl], HK 14 [1913] 334 sq., 344, 539 sq.). Quamquam exercitus Hungarianus in statu commutandi fuit, veri simile est non totum adhuc transmutatum esse. At scriptores Gestorum ut aulici admiratione novae rationis pugnandi capti erant, atque ita opinio sua ad naturam rerum narrandarum multum contulit. Ipsi scriptores iterum ac saepius Bissenos et Siculos, qui ratione pugnandi populorum nomadum pugnabant “vilissimos” nominando sententiam suam expresserunt, hoc autem loco scriptor saeculi XII se eo prodidit, quod non intellegens, quae acciderint, nequivit constituere — contra scriptores Annalium Russicorum —, quae causa stragis fuisset. *scripta non sunt* — Vocabulum, quo gradatio intellegendi affirmatur, a Th. est insertum.

Rex autem ... MC primo — Quis uxor regis Colomani fuerit, e fonte Italico notum est. In opere Gaufredi Malaterrae “De rebus gestis Rogerii Calabriae et Siciliae comitis et Roberti Guiscardi ducis fratris eius” adnotatum est, quo modo rex Hungariae filiam comitis Normanni, Rogerii (obit anno 1101), qui Siciliam a dictione Arabica liberavit et frater Guiscardi Roberti fuit, in matrimonium duxisset, atque ita affinis filii imperatoris Henrici IV. nomine Conradi factus esset (Muratori, R. I. S. V/1, ed. E. Pontieri, Bologna 1928, pp. 102 sq.). E translatione Italica haud recte intellecta operis Malaterrae (Wenzel XI, p. 35) ea sententia conformata est et per totum saeculum valuit, quod regina Busilla nominata esset (Wertner pp. 219 sq.; Pauler I, pp. 201 sq.). Erratum W. Holtzmann argumentatione certa rectificavit (Maximilla regina, soror Rogerii regis, Deutsches Archiv für Erforschung des Mittelalters 19 [1963] 156 sq. Tractatum huius v. Mályusz, LK 35 [1964] 253 sq.). Matrimonium anno 1097 confectum est, atque stirps Arpadiana, cuius membra usque ad hoc tempus ex aulis principum vicinorum uxorem sibi duxerunt, hoc matrimonio primum cum domo procul regnanti coniunctionem affinitatis init. Colomanus possibilitatem sibi comparaturus fuit, ut civitates Dalmaticas occuparet, atque vim maritimam Venetiarum auxilio Normannorum compensaturus fuit. Causam actionis id quoque explicat, quod Colomanus papatu se amicum gerebat. Dum Sanctus Ladislaus ultimis annis dominationis suae a papatu magis magisque voluntate abalienatus amicitiam imperatoris petebat, immo vero societatem cum illo init, Colomanus autem fortasse etiam educatione sua clerica inductus Sedi Apostolicae se adiunxit. Matrimonium eius vincula artiora cum papatu contrahere aptum fuit, quia Rogerius in numero sectatorum constantium Sedis Apostolicae relatus est (Hóman, M. tört. I, pp. 353 sq.). Alter e duabus filiis, qui in Gestis memorantur, Ladislaus in

pueritia mortuus est, alter autem posterius rex Stephanus II. factus est. Textus Gestorum generaliter ita explicatur, ut fratres gemini fuerint (Wertner pp. 226 sq.).

in Dalmacia ... Žadur — Zara Latine Iadra est, hodie Zadar (Iugoslavia) nominatur, aetate Byzantina locus primus Dalmatiae erat, sedes proconsulis imperatoris orientalis Romani vel strategi (Šišić pp. 164 sq., 246 sq.). Civitatem Colomanus anno 1105 cepit, cum Dalmatiā occupavit (Pauler I, p. 207). Ad hoc enarrandum scriptor Gestorum inferius adhuc redit.

418 *sanctus N. Zaduriensis episcopus* — Locus nominis in cunctis variantibus Chronici Picti vacuus relinquitur (SRH I, 426), apud Th. autem locum sigla N. explent. Ab D. Farlati est constitutum, quod nomen episcopi ineunte saeculo IX Iaderae, qui Donatus est nominatus, e textu omissum est. Ille et apud Carolum Magnum et Byzantii mandatu civium suorum in legatione aderat, reliquias Sanctae Anastasiae iis conquisivit, favorem magnum sibi apud cives conciliavit, post mortem autem ut sanctus venerabatur et patronus civitatis acceptus est (Illyricum Sacrum, V, Venetiis 1775, pp. 30 sq., 38).

excitatus — Forma “exercitatus” in editione critica Gestorum a Domanovszky redacta falso scripta est (Horváth p. 284), in codice Chronici Picti — congruenter cum textu Th. — forma “excitatus” sententiae conveniens invenitur (Képes Krónika, Hasonmás kiadás [= Chronicon Pictum, Editio “facsimile”], Bp. 1964, p. 104).

pacienter cessavit — Res fabulosa thecae cuidam reliquiarum votivae annexa oriri potuit. Saeculo adhuc XVIII in ecclesia cathedrali Iaderae inter reliquias erat bracchium quoddam, quod bracchium Sancti Donati fuisse putabatur, et in theca puro auro facta, margaritis ornata gemmataque inclusum servabatur, cui inscriptum erat: “Rex Colomane Rector Amandeviae hoc bene fecisti, retribui tibi, quod voluisti”. Inscriptionem Farlati sic explicat: Colomanus probabiliter ira Sancti Donati territus, ut dolor ictibus virgarum factus desineret, votum vovit et postquam voti compos factus est, thecam reliquiarum votivam obtulit (op. cit. V, pp. 38, 9, 13). Veri similius est, quod e contrario donum votivum et inscriptio explicanda fuit, atque propter hoc orta est tota opinio, quae postea a scriptore saeculi XII adnotata est. Narratio, sicut Marczali intellexit, consilium primordiale regis profert, quod in fine expeditionis mutatum est. Rex primum civitates Dalmatiae plane subicere et opprimere in animo habet, quasi eas in numero ceterarum sibi subiectarum civitatum habere volens, posterius in meliorem cogitationem inductus autonomiam earum confirmat et privilegia, quae e statu sociali magis progresso orta sunt, stabilis (Marczali, Dalmácia p. 42). Secundum Domanovszky (op. cit. Száz. 36 [1902] 817) res Iaderae exacta non nisi fabula est, quae tamen tendentiae scriptoris respondet, at tota historia rationi regnandi in Dalmatia Colomani contraria est. Horváth (p. 284) anonymum Stephani III. hanc visionem adnotavisse putat, cuius aculei in regem Colomanum emittuntur.

Deinde rex ... in Rusciam — Memoria clavis a Cumani acceptae, ut Pauler acute dicit, animum Colomani usque ad mortem cruciavit. “Consilium hanc olim ulciscendi nunquam depositum” (Pauler I, p. 206). Occasio tamen non oblata est, ut propositum assequeretur.

Pataua — Civitas Passavia (hodie Passau) ad Danubium in Bavaria sita est.

fugerat — Sic in *V₃* et *V₄* scriptum est. In ceteris variantibus forma “fugierat” legitur (SRH I, 426).

Anno domini ... suscepit ad pacem — De conatu ducis Almi, ut ille regnum auxilio Teutonico anno 1106 obtineat, solum scriptor Gestorum mentionem facit. Pauler, Marczali, Hóman et Kristó re ipsa consentientes narrationem Gestorum veram probant et eam sic interpretantur: Almus tum quoque consilia imperatori faventia probavit, quae Sanctus Ladislaus ultimis annis habuit, cum praestantiam fratris natu maioris pacto Varkunensi facto concedere coactus est. Cum igitur circa annum 1105 in animo habuit contra Colomanum agere, auxilium petiturus patronum et amicum imperatorem Henricum IV. adiit. Sed tempus haud sane opportunum elegit. Contra imperatorem post Conradum etiam filius minor, posterior imperator Henricus V. seditionem fecit, illum insecurus est, comprehendit et imperio abdicare coegit, ita, ut ille (obiit Leodii die 7 Augusti anno 1106) nullo modo Almum adiuvare posset. Itaque dux anno 1106 in Hungariam reverti coactus est. Colomanus praeterita ei ignovit, tamen potestatem ducatus non reddidit (Pauler I, p. 210; Marczali op. cit. in Szilágyi, II, p. 245; Hóman, M. tört. I, p. 366 annis additis, quibus interpretatio auctoris affirmari posset, cf. Mon. Strig. I, pp. 71 sq.; Kristó, Hercegség p. 114). Secundum Meyer v. Knonau in Gestis res anni 1108 prius tractatur, de qua fontes Germanici copiose mentionem faciunt (op. cit., VI, p. 85), imperator igitur, quem Almus adiit, Henricus V. fuit, atque ita conversa sunt omnia. Quamquam res explicari non potest, in descriptione Gestorum haud dubie repetitio quaedam invenitur: Almus Passaviam bis it, bis redit, Colomanus ambabus occasionibus fratri minori veniam dat, quod in Gestis vocabulis similibus ita descriptum est: “quem rex suscepit ad pacem” — “rex reduxit Almum ad pacem” (SRH I, 430. Inferius v. in capite (89.), sent. 423). Re vera difficile est credere ducem rebus summae potestatis haud notis in imperio Teutonico socium sibi comparare voluisse. Haec omnia affirmant capita Gestorum valde confusa esse, itaque series rerum, in qua ipsae adnotatae sunt, ad verbum recta et certa haberi non potest.

Deinde fugit ... et intravit illud — Dux Almus apud vicinos septemtrionales regni Hungariae matrimonio favorem sibi conciliaturus fuit. Die 21 Augusti anno 1104 filiam magni principis Svatopluk II. (1093—1113), Predslavam uxorem duxit et quia altera filia, Zbislava ab anno 1102 duci Poloniae Boleslao III. — filio Vladislai Hermanni — nupta erat (Wertner pp. 251 sq.; Pauler I, pp. 210, 462 sq.; Hodinka p. 67), auxilium Polonorum non solum expectare potuit, sed etiam assecutus est, cum adhuc anno 1106 ad

affinem suum confugit. Ope Polonorum Novo Castro (Újvár, posterius Abaújvár) potitus est.

419 *fraterna motus pietate* — His tribus verbis Th. vocabula Gestorum “nichil tale scientibus” (SRH I, 427) commutavit, quia haec intellegere non potuit, in locum horum alia reposuit, quae textui magis convenerunt. Mirum in modum, quod etiam aliis locis observari potest et rationem scribendi Th. decet, sponte sua elementa sensus mollia protulit.

intercessionem ducis amovit — Repulsam Almi ea praestantia effecit, qua Colomanus voluntatem studiumque ducis Boleslai ab Almo abalienavit et Boleslaum in suas partes traxit, atque ita fratrem coegit, ut se potestati regis ipsius subiceret.

Deinde dux ... suscepit ad pacem — Dux Almus ut peregrinator simplex, non autem dux exercitus anno 1107 in Terram Sanctam proficisci potuit occasione oblata, cum ineunte saeculo XII cruciferi unus post alterum sequentes per Hungariam transgressi sunt (Pawler I, pp. 212, 463 sq.). Tempus itineris Hóman (M. tört. I, p. 367) anno 1108, Madzsar (Szent Imre herceg legendája [= Legenda ducis Sancti Emerici], Száz. 65 [1931] 53) omni confirmatione neglecta anno 1109, Bartoniek — duas opiniones componens — aut anno 1108, aut anno 1109 fuisse arbitratur.

venandum necessaria — Textus Gestorum a vocabulis “Erat namque habitu” (sent. 411) usque ad finem capitinis tantum in codicibus membrorum familiae Chronicorum Picti adnotatus est, unde etiam Th. eum transcripsit.

⟨88.⟩

Caput ab anonymo aetatis Stephani III. conscriptum est, in quo vestigia quaedam textus continuatoris aetatis Colomani agnoscendi possunt.

420 *De constructione ... Demesienſis* — Index capitinis idem est atque index capitinis Chronicorum Picti: “De constructione ecclesie Demes” (SRH I, 427).

Dux ... de Demes — De loco Demes (hodie Dömös) v. caput ⟨73.⟩, sent. 327. Dux Almus hic, in possessione regia, ubi avus paternus, Bela I. mortuus est, patruus autem, rex Ladislaus ex argumento diplomatis cuiusdam anno 1087 scripti commoratus est (“in curia Dimisiensi”, Fejérpatkay, II. István p. 8), capitulum collegiatum condidit, cui possessiones large donavit (Nedeczky G., Dömös története és újabb leírása [= Historia Dömös et descriptio recentior eius], Esztergom 1880, pp. 26 sq.; Gerevich p. 75). Eo, quod non monasterium monachale, sed ecclesiam capituli elegit, quo Almus et prognati sui sepelirentur, demonstratur ipsum meminisse, quid sibi ex origine debitum sit. Tempus fundationis Pawler anno 1108 fuisse putat (I, p. 213). Dux patronam ecclesiae Sanctam Margaritam elegit. Almus in Sanctam Margaritam origine Antiochiensem in primis propenso pioque animo esse debuit, nam etiam fundationem alteram, monasterium

ordinis Sancti Benedicti in Mezes, in honorem Sanctae Margaritae sacravit (Pannonh. XII/B, p. 449; Zichy I, p. 2, Reg. Arpad. I, num. 107). Quamquam memoria Sanctae Margaritae a saeculo VII in ecclesia occidentali, imprimis in Britannia eximio cultu servata est, atque ita hic cultus inde quoque in Hungariam propagatus esse potuit, tamen quoniam cultus Sanctae Margaritae in ecclesia orientali multo vetustior et magis divulgatus erat (Lex. f. Theol. VII, p. 19), conici potest hunc cultum duci Almo translatione Byzantina — fortasse tunc, cum ipse iter in Terram Sanctam fecit — notum factum esse. Donationes possessionum rex Bela II. pie colens institutionem patris anno 1138 renovavit et amplificavit bona capituli accurate conscribens. Hoc diploma, quod anno 1329 datum et a rege roboratum servatur, fons maximi aestimatur, quia ad societatem Hungariae saeculi XII conformandam attinet, propter nomina autem personarum Hungarica circa 1300 et centum vocabula locorum atque nominationes aquarum adnotatarum prima magna collectio nominum Hungaricorum est (Mon. Strig. I, pp. 88 sq., Reg. Arpad. I, num. 63; Szabó D., A dömösi prépostság adománylevele [= Diploma donationale praepositurae Demesiensis], MNy 32 [1936] 54 sq., 130 sq., 203 sq.; Idem, A dömösi adománylevél hely- és vízrajza [= Topographia et hydrographia in diplomate donationali Demesiensi], MNyTK num. 85, Bp. 1954). Notitia de loco Dömös nimium accurate particulariterque adnotatae Marczali (p. 62) adduxerunt, ut auctorem huius partis Gestorum in Chronico Picto servatae unum ex membris capituli fuisse putaret.

palatini — Vocabulum “palatinus”, quod saeculo XIII dignitarium primum aulae regiae significavit (Hungarice: “nádor”), scriptor Gestorum hic in ea sententia describit, quae in Latinitate Europaea a medio aevo ut synonymon vocabulorum “proceres”, “optimates palatii” vulgata erat (Du Cange VI, p. 107).

Quod et ... custodissent — Haec adnotatio adhuc in primo textu scriptoris cuiusdam, qui assecator Colomani fuit, servata est, quoniam haec vocabula ceteris quidem partibus textus res Colomani adversarie tractantibus discrepant (Domanovszky, SRH I, 428).

principes — Hoc vocabulum repetit, quod in capite 〈79.〉, sent. 355 est memoratum.

iobagiones — Vocabulum Latinum compar est cum nomine Hungarico “jobbágy”, quod ex adiectivo Hungarico “jó, jobb” (‘bonus, melior’) dicitur. Fictio vocabuli Hungarici non est clara (Bárczi p. 143). Vocabulum “iobagio” vulgo praefectum quendam significavit. Saeculo XI in monumentis Hungaricis non invenitur, tunc vocabulum “minister” in loco eius usitatum erat. Saeculo XII iam frequentatum est, et praefectos hominum in latifundiis ecclesiasticis servientium aequre significavit ac praefectos castrensis in comitatibus regiis habitantium (Erdélyi pp. 65 sq.; Idem, Legkritikusabb pp. 26 sq.). Györffy non nisi cum membris comitivae armatae iobagiones identificat (Tanulm. pp. 28 sq.). Decenniis ultimis saeculi XII in

usum venit, atque hic usus etiam saeculo sequenti permansit, quod rex viros ad summas dignitates aulae perductos suos iobagiones nominabat. Duo prima documenta — annis 1171 et 1172 — aetate Stephani III. nota sunt, quo regnante continuator Gestorum (Horváth pp. 283, 285; Csóka pp. 522 sq.) vocabula “duos iobagiones” adnotavit. Vocabulum, ut e sententia constitui potest, duo membra “comitatus” regii, id est comitivae regiae igitur “proceres” significat (Jakubovich E., P. mester [Adalékok az Anonymus-kérdéshez] [= Magister P. Additamenta ad quaestionem Anonymi], in Klebelsberg Ekv p. 199).

Chour — Hodie nuns locus Csór est, qui in comitatu Albensi ad occasionem ab Alba Regia situs est. In diplomatibus medii aevi quoque memoratur (Csánki III, p. 323).

422 *fugit iterum ... auxilium imploraturus* — Henricus V. (1106—1125; imperator ab anno 1111) libenter usus est occasione, ut rebus Hungaricis se interponendo potentiam avi, Henrici III. renovaret. Et eo magis, quia nec papam, nec domi principes aggrediendi tempus adhuc adesse arbitratus est. Res in Hungaria gerendae quasi experimentum virium ei fuerunt. Bellum eius in Hungariam ductum, quod in capite sequenti Gestorum memoratum est, at item fuga Almi in civitatem Passaviam anno 1108 facta est (Paurer I, 213 sq.).

Anno domini ... mortuus est — Filius defunctus — fieri potest — Ladislaus est, cuius de natu scriptor Gestorum in capite 146 (SRH I, 426, Th. caput (87.), sent. 417) commemoravit (sic Paurer I, p. 223; Domanovszky, SRH I, 429). Identificatio vituperabilis est, quia partim intellegi non potest, cur nōmen defuncti in Gestis abbreviatione N. adnotatum sit, quamquam superius accurate descriptum est, partim in diplomate anni 1108 pro civitate Traguria (Trau, hodie Trogir) rex Colomanus cur tantum nomine unius filii — posterioris Stephani II. — iure iurando officium subiit (Fejér II, p. 46), si Ladislaus anno 1101 natus tunc adhuc in vita esset. Necesse nobis non est sigla N. — sicut Antonius de Bonfinis (Dec. II, lib. 5; II, p. 108) fecit — Nicolaum explicare, tamen secundum Wertner (pp. 226 sq.) conici potest Ladislaum ante annum 1108 mortuum esse, Colomanum ex uxore Normanna post annum 1108 filiolo auctum esse et hunc ipsum anno 1112 mortuum esse.

rex secundam ... de Ruscia — Matrimonium novum Colomani anno 1112 coniunctum necessitudines Russico—Polonicas ducis Almi compensaturum fuit. Uxor Colomani, ducissa Euphemia filia erat principis magni Kioviae Vladimiri Monomachi (1113—1125), qui prius princeps Smolensk fuit (Hodinka p. 95; Wertner pp. 222 sq.; С. П. Розанов, Евфимия Владимировна и Борис Коломанович. Из истории европейской политики XII в., Известия Академии Наук, Ленинград [= S. P. Rosanov, Euphemia Vladimirovna et Boris Kolomanovich. Ex historia rerum politicarum Europae saeculi XII, Communicationes Academiae Scientiarum, Lenin-grad] 1930, pp. 585 sq., 649 sq.).

Deus quos ... non separaret — Matth. 19, 6; Mc. 10, 9: quod ergo Deus coniunxit, homo non separat.

Que ex ... nomine Borich — Pauler (I, pp. 223 sq., 469) Boris anno 1114 natum esse conjectat.

Borich autem genuit Calamanum — Adnotatio in Gestis certa esse eo probatur, quod sicut fontes Byzantini saeculi XII, Iohannes Cinnamus, Nicetas Choniates tradunt, Boris feminam Byzantinam uxorem duxit, filius eius autem, cui nomen erat Constantinus Calamanus, praefectus Ciliciae factus est (Moravcsik, Forrásai pp. 193, 198; Idem, Megjegyzések a magyar–bizánci kapcsolatok művészeti emlékeihez [= Adnotationes ad monumenta artis coniunctionum Hungarico–Byzantinarum] Antik Tanulmányok [= Studia Antiqua] 11 [1964] p. 89. Cf. Wertner pp. 280 sq.). Secundum Domanovszky (op. cit. Száz. 36 [1902] 818) scriptor Colomano favet describens repudium Euphemiae. In hac igitur parte textus residua primae conscriptionis Colomano faventis inveniri possunt. Horváth (pp. 285 sq.) etiam hanc partem ab anonymo Stephani III. scriptam esse dicit, quamquam agnoscit scriptorem Gestorum hic astuta argumentatione iudicionali regem Colomanum defendere, quem alio loco libere vituperat. — Caput totum tantum in codicibus membrorum Chronicorum Picti legi potest, unde Th. id transcripsit.

⟨89.⟩

Caput ab anonymo aetatis Stephani III. conscriptum est mutationibus saeculi XII adhibitis.

Quomodo ... exoculati — Index congruens est cum indice capitinis Chronicorum 423 Picti nonnullis mutatis: “Dux Almus et filius eius exoculantur” (SRH I, 429).

Anno domini M C XIII — Tempus belli, sicut e chronicis Othonis Frisingensis, Ekkehardi et Cosmae (Gombos III, p. 1764, II, p. 872, I, pp. 805 sq.), atque e diplomatis Henrici V. (Fejér II, pp. 50 sq.) sine dubio constitui potest, annus 1108 fuit. Annus 1113 in Gestis adnotatus, ut Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 246) animadvertisit, error per scripturam factus esse potest (MCXIII in loco MCVIII).

movit exercitum ... in confinium Hungarie — In capite 74 Gestorum (Th. caput ⟨63.⟩, sent. 276) eadem vocabula leguntur: “Movit itaque expeditiōnem ingentem, et ... venit ad confinium Hungarie.”

Anno domini ... honorifice repatriavit — Bellum Henrici V. in Hungariam anno 1108 ductum praeter fontes commemoratos etiam multi alii annales Teutonici (Annales Patherbrunnenses, Mellicenses, Scheftlarienses, Rosenfeldenses, Gradenses, Colonienses etc.) memorant. Per fontes et tractatus horum argumentis usos (Giesebrrecht III/2, pp. 792 sq.; Meyer v.

Knonau op. cit. VI, pp. 81 sq.) singulae res bene notae sunt. Ut constitui potest, scriptor Almo favens omisit, quod exercitus ingens Teutonicus ab Almo, proavo regis sui, Stephani III. in Hungariam vocatus regnum subigere aptus fuisset, itemque omisit id, quod Colomanus impetum Teutonicum forti praesentique animo excipiens contra Henricum Posonium defendit, atque ducem Bohemiae, Svatopluk (1107—1109), socium Teutonorum Polonus magna cum sollertia in aciem educendo libertatem regni servavit. Quanta fuerit vis exercitus Teutonici aggredientis e magno numero procerum, qui participes belli erant, concludi potest. Imperatori inter ceteros proceres se adiunxerunt: archiepiscopus Coloniensis, episcopi Ratisbonensis, Passaviensis, Freisingiensis, Eichstatiensis, Augustanus, Munsterburgensis, Halberstadiensis, Naumburgensis, Hildesheimensis, duces Bavariae Welf, Sueviae Fridericus Hohenstaufen, Carinthiae Henricus, marchio Austriae Leopoldus, marchiones Nordgewiensis et Istriensis, inter multos comites praeter Bavarios et Thuringienses Otho Habsburgensis. Statum belli in Hungaria peractum aperiunt documenta itineraria, ex quibus Henricus V. die 6 Septembris adhuc in civitate Tullina (Tulln), in confinio Austriaco moratus est, die 4 Novembris iam Passaviae aderat, mense autem Octobri Posonium oppugnavit.

rex cepit ... obcecavit eos — Paurer tempus — omnibus rebus perpensis — anno 1115 fuisse arbitratur (I, p. 224). Secundum eum filius Almi, qui posterius rex Bela II. factus est, tunc puer novem annorum erat. Idem Paurer casus analogos enumerat, qui praeceptum Colomani “non excusant, sed interpretantur” (I, p. 470).

et Belam ... tulit regi — Praeceptum castrationis etiam Cosmas Pragensis memorat (Gombos I, p. 807), atque ita narratio scriptoris Gestorum probabilis esse videtur. Scriptor Almo favens nomina Almi et Belae consulto commutavit, nam praeceptum imprimis in coniunctione cum Almo vere valere potuit, id est, ne hic prognatos regnandi aptos generare posset (Makk F., Megjegyzések II. Béla történetéhez [= Adnotationes ad historiam Belae II.], in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 32 sq., adnot. 15). Secundum Cosmam Pragensem Colomanus Almum “et filium eius mentula privavit et lumine” (Gombos I. cit.).

nobilibus regni — Vocabulum in diplomatibus regiis saeculi XII saepe usitatum est (1138: Mon. Strig I, p. 88; 1148: Budapest okl. I, p. 3; etiam constructione attributiva compositum, 1146: Pannonh. I, p. 598) et testes praceptorum descriptorum nominatim indicatos, igitur eos significat, quos reges circum se habuerunt. Vocabulum Anonymi persaepe usitatum “dux et sui nobiles” hanc eandem necessitudinem personalem exprimit. De mutata expressione vocabuli lege capita ⟨106.⟩ et ⟨109.⟩.

Uros, Uacha et Paul — Documenta accuratiora eorum nota non sunt. In Gestis nomen Uacha in forma Vatha servatum est (SRH I, 430), quae sine dubio rectior est, quam ea, quae apud Th. legi potest. Ex identitate

nominum Hóman hoc nomine prognatum quendam Vathae, qui particeps seditionis Hungarorum paganorum erat, nominatum fuisse arbitratur (M. tört. I, p. 366).

proficit — In cunctis variantibus Gestorum forma: “profuit” (SRH I, 430) 424 legitur.

Non sic impii — Ps. 1, 4.

habebat quendam ... nomine Draconem — Gratum nomen medicorum erat, hoc nomine sunt nominati prognati Hippocratis, quorum Draco III. medicus aulicus uxoris Alexandri Magni, Roxanes erat. Medicus Italicus Colomani cum comitiva reginae in Hungariam pervenire potuit (Wertner M., Középkori magyar orvosok és gyógyszerészek [= Medici et apothecarii Hungarici medii aevi], Száz 27 [1893] 599 sq.; Magary-Kossa I, pp. 81 sq., III, p. 28).

per concavitates ... partem cerebri eius — Adnotatio perspicue illustrat, quantum medici illius aetatis periti scientiarum medendi fuerint. Rex certe otide acuta laborabat, atque sanies, quae tali occasione oriri solet, particulae cerebri putata est (Wertner p. 217).

Othmaro comiti — Identificari potest cum comite Barsiensi Othomaro, qui in diplomate Stephani II. anno 1124 scripto memoratur (Mon. Strig. I, p. 81, Reg. Arpad. I, num. 54). Hoc quidem diploma non est certae fidei, tamen monumentum quoddam eiusdem aetatis scriptori ad imitandum propositum fuit, quoniam “nomina pontificum et optimatum in eo memoratorum aetati respondent” (Fejérpataky, II. István p. 43. SRH I, 431, in adnot. 1 conjectura ex editione Fejér capta errore inducta est. V. adhuc Makk op. cit. p. 43).

Mark filio Syma — Quoniam — sicut e textu intellegi potest — unus ex 425 intimis fidelibus regis memoratur, identificari potest cum illo Marco, qui in Gestis iam nominatus est, ut qui Colomano in Polonię fugienti se comitem adiunxit (caput (86.), sent. 409, SRH I, 419). Idem comes Marcus esse potest, qui in comitiva Colomani iter in Dalmatia facientis fuit (Wenzel I, p. 44). Nomen huius Syma in nominatione villae medii aevi in comitatu Bekes — quae hodie Simapusza nominatur — servatum esse potest (Györffy, Tört. földr. I, p. 512).

Achille filio Jaco — Comes Borsodiensis Jacobus unus erat ex illis primoribus, cum quibus rex Colomanus anno 1108 iure iurando vovit se privilegia civitatis Traguriae conservaturum esse (Fejér II, p. 46; Marczali, Enchiridion p. 127). Ut Pauler arbitratur, Achilles filius huius Jacobi fuit (I, p. 225).

Benedictum filium Both — Pauler eum pristaldum at itidem intimum fidelem regis fuisse dicit (I, p. 225). Nomen Both idem est atque Hungaricum nomen commune “bot” ‘baculus’ (Pais D., Régi személyneveink jelentéstana [= Semasiologia veterum nominum personarum Hungaricorum], MNy 18 [1922] 33), atque ita nomen coniunctum est cum officio eius, qui ipsum nomen habet.

426 *per antifrasim dictus* — Scriptor significationem nominis “Benedictus” indicat.

per silvam Peliis — Mons a Budapestino ad septemtriones in anfractu Danubii situs hodie quoque sic nominatur. Nomen origine Slavicum est (Kniezsa op. cit., in Szent István Ekv II, p. 468).

carnes eius et ossa — Textus Gestorum a primo capite usque ad haec vocabula tantum in codicibus familiae Chronicorum Picti continetur, unde Th. eum transcripsit.

Colomanus ... episcopus Waradiensis — Argumentum rectum, ut etiam e capite 140 Gestorum (Th. (86.), sent. 409) coniectari potest, de episcopatu Agriensi Colomani scriptum erat (cf. Pauler I, p. 176). Mentio episcopatus Varadiensis mentem et voluntatem scriptoris aetatis Stephani III. reddit.

Colomanus ... regnare compellitur — Indicatio scriptoris Gestorum sola commemoratio filiorum regis Geysae I. est, qui Colomano natu maiores erant (Wertner p. 178). Iure dubitari potest, an indicatio recta sit, id est fratresne natu maiores fuerint, quia id, utrum Colomanus regnum adipisceretur an sacerdotium haberet, et coniunctio eius cum duce Almo tempore regis Ladislai ita formata est, ut vita fratrum natu maiorum seriei rerum ne inseri quidem potest. Iure admirationem movet, quod in hac relatione — in capite 152 Gestorum — mentio de fratre superstite Colomani, de Almo non facta est (igitur Almus filius Geysae itaque frater Colomani fuisse negatur, Gerics p. 100), atque ita hoc momento scriptor admonet id, quod Colomanus, qui unicus — superstes sine germanis — haud spernendus candidatus heres regni fuit, ad conservandam domum regnaticem regnum suscipere debuit. In parte quadam — in capite 142 Gestorum servata et in chronicis Th. ut index capitinis (91.) transcripta — familiae Chronicorum Budensis (SRH I, 421) Almus filius ducis Lamperti fuisse dicitur, igitur coniunctio fraterna inter Colomanum et Almum vere abnegatur. Quod hae relationes in textu hodierno Gestorum tam procul disiunctae et ex quibus una ne in ambabus quidem familiis chronicorum servata est, primum coniunctae fuerunt, id in reliquiis textus codicis A demonstrari potest (SRH I, 420). Nam codex A in initio capitinis 142 Gestorum prodit fratres Colomani iam prius defunctos esse, atque ita Colomanum concessu papae regnare coactum esse, simul haec relatio eo continuatur, quod dux Almus filius ducis Lamperti fuit. Genealogia — secundum Kristó (1974, 598 sq.) — a continuatore Gestorum aetate Stephani II. mutata est. Absolutionem a papa acceptam scriptor Gestorum narrationi ideo inseruit, quia magni momenti esse creditit adnotare episcopum quendam sponte sua in vitam saecularem reverti non posse. Historiam ita exornandam esse scriptor non pro auctoritate regis, sed pro gravitate ecclesiae necesse habuit, et quoniam idem ea re offensus est, quam homines medio saeculo XI adhuc non repudiavissent, ipse probabiliter clericus sententiae Gregorianae fuit. In narratione multum valet, quod potestas in vitam saecularem reverti a papa est petita et concessa, mentio de fratribus tantum ideo facta est, ut intellegi posset neutiquam causam

regnandi, sed conservationem domus regnaticis momentum supremum in deliberatione Colomani fuisse. Enuntiatio una cum sequenti magis a scriptore Colomano faventi, quam a continuatore quodam Almo faventi scripta esse videtur. Hanc conscriptionem Kristó (1974, p. 599) aetate Stephani II. ortam esse arbitratur et cum ratione et sententia Gregoriana progressa coniungit.

Cunues Calman appellatur — Hungaricum vocabulum “Könyves” adiectivum e substantivo “könyv” ‘liber’ derivatum est. Non solum e Gestis, sed etiam in Chronico Polonorum a Gallo scripto propensus animus Colomani in cultum et humanitatem extollitur, qui “super reges universos suo tempore degentes litterali scientia eruditus” est nominatus (Gombos I, p. 490). Papa Urbanus II. anno 1096 in epistola ad regem Colomanum missa haec scripsit: “Retulit enim nobis venerabilis filius noster Odilo, S. Egidii abbas, strenuitatem tuam praeter secularem, qua praecellis industriam, scripturis etiam ecclesiasticis eruditam” (Fejér II, p. 13).

libros habebat ... episcopus persolvebat — Ad illud tempus aptum est, quod rex secundum scriptorem ad horas canonicas libris diversis usus est. Scriptor quidem posterioris temporis unum librum memoravisset, breviarium. Usque ad tempus papae Gregorii VII. omnino, in Hungaria autem saeculo adhuc XII id proprium erat, ut tunc textus horarum canonicarum in unico volumine collecti non essent, sed voluminibus variis versatis ii conquirendi erant. Libri huius modi fuerunt: psalterium, lectionarium, antiphonarium, martyrologium (Wetzer—Welte II, p. 1261). Haec volumina versanda postulaverunt, ut lecturi magis eruditi essent, quam ii, qui breviario posterius conscripto utebantur, horum librum autem imperiti ad peritos laudandos iure adducti sunt.

Iste Dalmacie ... Hungarie adiunxit — Scriptor Gestorum hic res duas coniungit: occupationem Croatiae anno 1097 factam et occupationem Dalmatiae, quae anno 1105 erat. Petrus bello Sancti Ladislai anno 1091 perfecto regionem a montibus Gvozd ad meridiem porrectam suaे dicioni subiecit et in castro Kninia (Knin) ut rex regnavit (1091—1097). Non est notum, unde ipse ortus sit, tamen pro certo haberi potest eum non inter membra domus principalis Croatiae, Trpimirović relatum fuisse (de dominatione Petri v. N. Klaić op. cit. pp. 507 sq.). De sede eius in Kninia tantum Simon de Kéza mentionem facit (SRH I, 182). Historici Croatici hanc relationem fide dignam habent (Klaić op. cit. pp. 510 sq.), at Szűcs (Száz. 107 [1973] 859) existimat Simonem de Kéza ex experientia sui itineris civitatem Kniniam sedem Petri facere potuisse, quae haud secus statio viae principalis (et viae militaris) Hungariam cum ora maritima Dalmatica coniungentis erat, atque ibidem memorati “montes qui Gozd dicuntur”. Petrus, rex ultimus Croatiae liberae praefeudalis Colomano, qui regiones ad Croaticam oram maritimam sitas occupatus apparuit, restitit, sed sub montibus, qui Gvozd nominantur, stragem accepit et ipse quoque cecidit. Montes, qui inter fluvios Glinam et Unam, a fluvio Kupa ad meridiem

porriguntur et per quos via militaris ex Hungaria ad oras maritimas tulit, in nomine hodierno "Petrova Gora" quoque memoriam Petergozdia servant (Pauler op. cit. Száz. 22 [1888] p. 212). Occupationem civitatum Dalmaticarum in ora maritima sitarum Croatia libera deleta Colomanus sapientia ingeniosa diplomatica praeparavit. Venetos fefellit ita, ut cum hi animadverterent, Colomanum non nisi foederis rupti accusare potuissent, idem matrimonio consensionem Normannorum nactus est, filiam autem regis Ladislai, Priscam heredi imperii Byzantii, Iohanni despondens foedus cum Byzantio ictum confirmavit; postremo ecclesiae ritus Latini favens neutralitatem benignam papae et adiumentum pontificum Dalmaticorum sibi conciliavit. In bello civitates Dalmaticae una post alteram regi se dederunt, qui iura et autonomiam civitatum stabilivit et quamquam se tantum in diplomatibus Dalmaticis regem praeter Hungariam Croatiae et Dalmatiae nominavit, titulus autem regis amplificatus tantum a tempore Belae II. in diplomatibus Hungaricis generaliter usitatus est, re vera iam Colomanus regno suo Dalmatiam annexuit (Pauler I, pp. 202, 207 sq.; Hóman, M. tört. I, pp. 355 sq.; Marczali, Dalmácia pp. 32 sq.; Kretschmayr I, p. 219; Šišić pp. 354 sq.; Deér J., A magyar—horvát államközösségg kezdetei [= Primordia coniunctionis regnorum Hungariae et Croatiae], in Jancsó Benedek Ekv pp. 121 sq.; Klaić op. cit. pp. 513 sq.; Fejérvataky, Kálmán 75 sq.).

Apuliam — De Apulia v. caput (19.), sent. 164.

Monopolim — Civitas Monopolis (hodie Monopoli) in ora maris Hadriatici, in regione meridionali-orientali paeninsulae Appenninorum sita est.

Brundusium — Hodierna civitas Brindisi est a Monopoli longius ad meridiem-orientem.

soldatos Parisanorum — Th. sequens Chronicon Pictum describit textum corruptum. Scriptor variantis alterius Gestorum, Chronicus Budensis, in quo quamvis argumenta historica fide digna non prolata sunt, certe rem gestam logice cum rebus, quae ante actae sunt, coniungit, "galiotas Pisanorum" scribit (SRH I, 433).

Iste Dalmacie regnum ... Venetis sunt rehabite — Unicus fons expeditionis Hungarorum in Apulia ductae est textus Gestorum, de qua nulli fontes Italici aut Byzantini eiusdem temporis mentionem faciunt. Sententiam textus et tempus expeditionis in eo descriptae Pauler explanavit. Ex his filius Roberti Guiscardi, Boemundus, dux Tarenti vel Hydrunti, qui in primo bello cruciferorum ducatum Antiochiae sibi comparavit, e Terra Sancta reversus, postquam anno 1107 ad Valonam, in hodierna Albania in terram egressus est, imperio Byzantino bellum induxit, sed expeditio eius anno 1108 detrimentum accepit. In hoc bello Venetiae cum Byzantio erant. Fieri potest — hoc iam Pauler interpretatur —, ut catervae Hungarorum, dum inter Normannos et Byzantinos circa Dyrrachium pugnatum est, societatem ineuntes cum imperatore Alexio Comneno naves Venetiarum ascenderint et in Apuliam vecti sint, atque eam, rectius ducatum Boemundi devastaverint, mox duas civitates in manu ac potestate Venetorum relique-

rint, deinde in Hungariam reversae sint (anno 1108). Quoniam Hungari participes belli fuerunt, explicari potest, cur in diplomate pacis inter Alexium et Boemundum factae, quod Anna Comnene in opere suo profert, nomina comitum in textu Graeco Peres et Simon nominatorum, duorum "supanorum" regis Hungariae adnotata sint (Pawler I, pp. 209 sq.; Idem, op. cit. Száz. 22 [1888] 323 sq.; Moravcsik, Forrásai p. 184; Anna Komnene XIII, 12). Haec omnia accipi possunt, sicut ea Andreas Dandulus quoque probabilia habuit, qui in chronico suo — intercedente chronico mundiali Paulini de Venetiis (Puteolani) (Eckhardt pp. 467 sq., 476) — rem in sequenti forma transcripsit: "Hoc tempore Colomanus rex Ungarie misit exercitum in Dalmacia et occidi fecit regem Petrum et per legatos suos cum Venetorum duce fedus iniit contra Normannos et pariter exercitum in Apuleam ad eorum dampna mitere statuit; parata autem classe per Venetos, regius apparatus in Apuliam navigans, Brundisium et Monopolim optinent et tribus mensibus Apuliam vastant et redeunt" (Muratori XII/1, ed. E. Pastorello, Bologna [1938], p. 224). Dandulus erravit, cum nuntium scriptoris Gestorum temporis et rei priori annexens causam belli descripti consuetudine inter regem Colomanum et ducem Vitalem Michaelem (1096—1102) iunctam haberet. Error Danduli magnam vim habuit ad sententias formandas rerum scriptorum novissimorum temporum, sic etiam ad sententiam Kretschmayr, qui (I, p. 220) interpretationem Pawler haud cognoscens non intellegit, quid sibi velint, quae apud chronographum Venetum et in Gestis adnotata sunt. Kretschmayr solito more relationem scriptoris Gestorum famam posterius allatam dicit, quamquam minime ambigitur eam saeculo XII et quidem non temere ortam esse. Sed scriptor Gestorum fidem veritatis non observat affirmans Venetos civitates captas usque ad id tempus obtinuisse, quoad Pisanis adiuvantibus inde expellerentur, cui relationi in gestis Simonis de Kéza solito modo diligentia cum inani adnotatum est haec omnia tempore regis Siciliae Guilelmi II. (1166—1189) facta esse (SRH I, 183). Dandulus certe notum habuit duas civitates in manu ac potestate Venetorum non remansisse, ideo hanc partem Gestorum transcribere noluit. Secundum Horváth (p. 338) de excursione in Apulia ducta probabiliter adhuc in Gestis Ladislai regis, quae aetate Colomani sunt scripta, mentio facta est. Descriptionem invasionis a rege Colomano in Italiam ductae, ut Mályusz (1971, pp. 39 sq.) arbitratur, etsi non magister Acus excogitavit, tamen ipse sua sponte Gestis inseruit. Szűcs (838 sq., 860 sq.) iterum adnotans Simonem de Kéza plura de invasione regis Colomani, quae in Apulia facta est, comperta aut excogitata habuisse, quam magistrum Acus, nonnulla elementa descriptionis ex legationibus Hungaricis Neapolim (in Italiam Meridionalem) annis 1269—1270 missis manari videt, simulque affirmit "rem aetate Colomani factam ... vim historiae fide dignam habere posse". Secundum Kristó (1974, p. 599) descriptio expeditionis in Italia factae in Gestis aetate Stephani II. orta esse potest, sed ea et in Gestis et apud Simonem de Kéza comparata ad autographum in forma mutilata servata est.

Regnavit ... seculo — Th. textum Chronicus Picti sequens et annum, quo Colomanus regnare cooperat, et annum, quo obiit, falso adnotat. Annus obitus, ut secundum Cosmam Pragensem et Annalistam Saxonem constitui potest, 1116 est, qui annus in diplomate Stephani II. anno 1124 scripto (Reg. Arpad. I, num. 51) quoque profertur. Nam in hoc diplomate Stephanus II. dicit annum nonum sui regni mense Iunio anni 1124 peractum fuisse, ex quo constitui potest Stephanum II. anno 1116 regnum obtinuisse atque Colomanum eodem anno mortuum esse, congruenter cum diplomate foundationali monasterii de Almad, secundum quod annus 1121 fuit quintus annus regni Stephani II. (Szentpétery I., Az almádi monostor alapító oklevele II. István korából [= Diploma foundationale monasterii de Almad ex aetate Stephani II.], MNy 23 [1927] 362). Nullus quidem ex auctoribus variantium Gestorum compertum habuit annum obitus 1116 esse, sed unusquisque eorum annum 1114 tempus obitus Colomani fuisse putavit. Dies 3 mensis Februarii nota erat, sed haec quota dierum hebdomadis esset, tantum posterius est constitutum, et quidem relatum ad annum 1114. (Anno 1116 dies 3 mensis Februarii feria quinta erat.) Spatium regnandi in Chronicus Budensi 18 annos, in Chronicus Picti 25 annos fuisse adnotatum est, cui adhuc in ambobus chronicis aequaliter sex menses et quinque dies adduntur. Diurnitati 18 annorum sex mensium et quinque dierum respondet annus 1097, qui etiam in Annalibus Posoniensibus adnotatus est (SRH I, 126), et qui annus sic tempus probatum obitus Sancti Ladislai et tempus initii regni Colomani esse acceptus est. Dum hoc tempus falsum in Chronicus Budensi logice inscriptum est, omnino haud recta est diurnitas 25 annorum a Th. transcripta. Hoc ita explicari possit, ut scriptor codicis veteris Chronicus Picti numerum 20 annorum 1095—1116 recte constituit, mox ad hunc numerum — mensibus omissis — addidit numerum (5) dierum atque ita accepit numerum 25, qui omnino falsus est (Mátyás, Chronol. pp. 20 sq.; Idem, Hadjárat 27 sq.).

⟨90.⟩

Caput ab anonymo aetatis Stephani III. conscriptum est.

428 *Mortuo ... coronatus* — Index haud sine digressione idem est atque index capitis Chronicus Budensis: “*Mortuo rege Colomanno Stephanus secundus filius eius in regem consecratur*” (SRH I, 434).

Potentiores ... coronaverunt — In enuntiatione, quae illustrat, quo modo rex rerum potitus sit, natura atque vis saeculi XII veritati convenienter exprimitur. In regno potentiores proceres sunt, qui active civilibus artibus praestantes sunt, sed non ipsi sunt, qui consilium sua voluntate capiunt. Rex adhuc vivus decrevit, quis successor regni fieret, et ii, quos ipse circum se habuit, consiliarii, quibus adiuvantibus regnum gubernabat, tam potentes

obligatique ei erant, ut etiam post mortem voluntas regis valeret. Initium capitis in conscriptione prima adhuc aetate Stephani II. compositum in codice *A* servatum est, cuius in textu vocabula "potentiores proceres" in prima parte saeculi XII adhuc ad illud tempus apta scripta sunt, dum in variante posteriore textu Gestorum, quem familia Chronicorum Picti servavit, vocabulum "proceres" iam omissum est et tantum forma "potentiores" remansit (Gericus pp. 25 sq., 101).

adhuc impubes — Stephanus II. regnum obtinens 15 annorum fuit. (Cf. caput (87.), sent. 417.)

spiritus eius in manibus eius — Haec vocabula secundum versum Ps. 118, 109: "anima mea in manibus meis" scripta esse videntur.

Anno ... Dalmaciam — Nono anno regni Stephani II. annus 1124 respondet. Rex mirum in modum diploma ex ipso anno 1124 servatum, quod res in Dalmatia actas tractat, nono anno regni sui edidit ("nono anno regni mei". Fejér II, p. 80, Reg. Arpad. I, num. 51).

intravit ... est susceptus — Quod scriptor Gestorum simplicem visitationem fuisse simulat, id series bellorum pro Dalmatia amissa, mox recuperanda gestorum fuit. Partem orae maritimae Dalmaticae una cum civitatibus adhuc Colomanus aestate anni 1115 amisit, post mortem autem eius, anno 1116 Venetiae assentientibus et imperatore Byzantii et imperatore Romano potestatem totius Dalmatiae bello feliciter gesto sibi comparaverunt. Anno insequenti Hungari Iaderam (hodie Zadar) recuperare conati sunt. Exercitum Venetum in acie dimicantes devicerunt, sed quamvis dux Venetiarum, Ordelaphus Falieri loco proelii cecidit, civitates sub regno Hungarorum non redactae sunt. Indutiae quinque annorum — ab anno 1118 usque ad annum 1123 — pactae dicionem Venetiis tutam reddiderunt. Anno 1124, igitur eo anno, qui in Gestis memoratus est, Stephanus II. utens occasione, cum classis Venetiarum in bello cruciferorum occuparetur, exercitum in Dalmatiam duxit et civitates subegit. Sed haec occupatio non erat diurna, quoniam anno sequenti (1125) classis Venetiarum reversa sine ulla resistentia maiore omnes civitates sub dictione sua redegit, civitatem autem Albam (hodie Biograd na moru), munimentum ultimum Hungarorum destruxit. Inde Veneti per decennium a Hungaris non vexati Dalmatiam sub potestate sua tenebant (Pauler I, pp. 225 sq., 229 sq., 232 sq.; Deér pp. 106 sq.; Kretschmayr I, pp. 222 sq., 229 sq.).

missis ... devastavit — In redactione Annalium Polonorum III. ad annum 1123 conflictus cum armis inter Polonos et Hungaros factus memoratur (Gombos I, p. 179). Pauler (I, p. 233) et Domanovszky (SRH I, 434, adnot. 4) pariter huic coniungunt relationem scriptoris Gestorum, tamen Pauler ex eo, quod relatio inferius ad annum 1126 adjuncta vocabulis similibus repetita invenitur ("fines Polonicos missis exercitibus devastavit", SRH I, 439), tempus rei anno 1126 fuisse existimat. Idem de re exigua acute dicit: "collisio, quae repente orta est, eodem modo sine ulla vestigiis relicta evanuit" (I, p. 233).

Placuit autem regno — E sententia vocabuli clarum est hic vocabulum “regnum” non terram regni ut notionem geographicam significare, nec dominationem ac potestatem regiam, sed comitivam regis, eos, qui non nulla auctoritate ad regnum gubernandum valebant. Vocabulum igitur significat primum ordinem societatis et non simpliciter “cunctos regi subiectos”, sicut E. Bartoniak interpretatur (*Corona és regnum [= Corona et regnum]*, Száz. 68 [1934] p. 319). Secundum Molnár (*A magyar társadalom története az óskortól az Árpádkorig*² [= *Historia societatis Hungaricae a temporibus veterrimis ad aetatem Arpadianam*²]. Bp. 1949. p. 317) vocabulum “regnum” hic possessores latifundiorum significat, itaque verba Gestorum magis potestatem optimatum, quam potestatem regis valuisse affirmant.

rex Stephanus ... colloquium haberet — Consiliarii Hungariae ad conventum desiderandum ea perceptione adduci potuerunt, quod discordia cum Bohemia, quae in bello Henrici V. anno 1108 praeter necessitatem orta est, impedimento est expeditioni Dalmaticae, et desiderium pacis statuendae in animis ipsorum ea spe augeri potuit, ut coniunctiones affinitatis domus regiae Hungaricae cum ducibus Bohemicis colloquiis faverent. Nam Euphemia, mater ducis Svatopluk (1107–1109) filia Belae I., Adelheida autem, noverca ducis Vladislai I. (1109–1117 et 1120–1125) filia regis Andreae I. erat (Hóman, M. tört. I, p. 358). Dux, de quo scriptor Gestorum deinde mentionem facit, idem est atque hic posterius memoratus. Quamquam casus anni 1116 in sequentibus descriptus Hungaris et Bohemis impedimento ad conventum fuit, pax tamen anno 1126 duce Sobeslao I. (1125–1140), successore Vladislai I. regnante inter duo regna convenit (Paurer I, pp. 227 sq., 234; Deér p. 109).

fluvium Orsoua — In *b* et *a* forma “Orsona” falso scripta esse potest pro forma “Orsoua”. Olšava nominatur fluvius, qui a latere sinistro influit in Moravam. In Gestis varians Hungaricum nominis in forma Orsoua (Orsua) servatum est (SRH I, 435). Fluvius confinium erat inter Hungariam et Moraviam et via trans eum ad locum Uherský Brod nominatum tulit, cuius nomen portum (*portus Hungaricus, traiectus Hungaricus*) significat (Melich J., Brünn nevéről [= *De nominatione civitatis Brunensis*], MNy 36 [1940] 6 sq.). Duo principes ad hunc portum exercitus suos ducere potuerunt (Paurer I, pp. 227, 472).

Solth — Nomen personae origine Hungaricum vocabulum loci factum est, atque sic etiam hodie in forma Solt superest (Melich J., Adalékok a kicsinyítő -n > m képző történetéhez [= Additamenta ad historiam suffixi deminutivi -n > m], MNy 21 [1925] 126; Pais, *Anonymus* p. 142), sed de Solt in Gestis memorato argumentum proprius notum non est.

429 *Rex autem ... sine suorum consilio —* Consultatio secundum rationem feudalem officium regis erat, consilium autem ut una forma auxillii ferendi munus vasalli erat. Scriptor Gestorum eo, quod neglegentiam regis minus probans adnotat et mores eius interpretatur ex natura personae eiusdem,

testificatur proceres se neglectos esse aegre tulisse. Etiam aliud documentum affirmat Stephanum II. auctoritatem politicam consilii, cuius membra summi proceres fuerunt, in regno gubernando constringere voluisse (Makk F., Megjegyzések II. István történetéhez [= Adnotationes ad historiam Stephani II.], in Horváth—Székely, p. 256).

Bisseni atque Siculi vilissimi — Cf. Gesta caput 125: “vilissimi Bisseni” et 430 caput 165: “Bisseni … pessimi et Siculi vilissimi” (Th. capita (80.), (92.)). Attributa ad arma levia, sagittaria spectant et vocabulum ei contrarium est, quod in diplomatis saeculi XIII saepe usitatum arma decentia ferrata laudat (“decenter armati”. Mon. Strig. I, p. 427). E descriptione Cosmae Pragensis (Gombos I, p. 807) conjectura scriptori Gestorum contradicens capi potest, nam secundum descriptionem Cosmae Pragensis Bisseni et Siculi non fugae se mandaverunt, sed fortiter pugnabant (Németh Gy., A székelyek eredetének kérdése [= De quaestione originis Siculorum], Száz. 69 [1935] 131; Györffy Gy., A székelyek eredete és településük története [= De origine Siculorum et historia descensus eorum], Erdély és népei [= Transylvania et populi eius]. Red. E. Mályusz. Bp. 1941. p. 39).

Rex autem … consilii erant — Scriptor Gestorum vocabulum “arma” gravem armaturam, thoracem intellegit. Enuntiatio, ex qua armatura talis domi relinqu potest, ii autem, qui eam secum portant, non necessario induunt, ordinationem rei militaris in statu commutationis esse demonstrat. Idem indicat excusatio scriptoris propter cladem acceptam et professio minime clara, cur rex profugerit.

Putabatque … Dauid — Comparationes in numero elementorum ecclesiasticae culturae referuntur, sed scriptor eas modo proprio coniungit.

Putabatque … equalis non erat — Secundum Horváth (p. 274) animus propensus ad ironice loquendi morem anonymi aetatis Stephani III. in descriptione Stephani II. se ostendit.

Janus … palatinus comes — In diplomatis regis Colomani annis 1111 et 1113 pro abbatia Zoborensi editis “Iohannes palatinus comes” memoratur (Fejérpataky, Kálmán pp. 44, 62), qui in comitiva regis erat etiam anno 1108, cum ille in Dalmatiam profectus est (Fejér II, p. 46). Janus in Gestis memoratus cum eo identificari potest. Pater palatini Iani, Vrosa idem esse potest atque ille Vrosa, qui anno 1052 ad Posonium contra Teutonos fortiter pugnavit (SRH I, 346; v. Pais D., Az úr, valamint a bő, győ és bán méltóságjelölőink szó- és társadalomtörténetéhez [= Ad historiam lexicologicam et socialem vocabulorum Hungaricorum dignitates significantium úr ‘dominus’ atque bő ‘princeps generis’, győ ‘nomen dignitatis significans apud Turcos’ et bán (banus) ‘governator’], Szótörténeti és szófejtő tanulmányok [= Studia historiae lexicologicae et etymologicae]. Red. D. Pais—L. Benkő. Nyelvtud. Ért., num. 38, Bp. 1963, p. 84). Opportunitas ad tempus eo demonstratur, quod scriptor Ianum non “palatinum” nominat, quae nominatio ineunte saeculo XIII iam generaliter usitata erat, sed formam “comes palatinus” scribit, sicut in decretis Sancti Ladislai et Colomani

(Ladislaus III, 3, Colomanus I, 27) et in diplomatis saeculi XII (exempli causa Geysa II. anno 1156 aut Emericus anno 1198, Mon. Strig. I, pp. 108, 157) haec forma invenitur, sed annis 1199 et 1201 iam tantum “palatinus” est scriptus (ibidem pp. 161, 164). Nominatione “comes palatinus” adhuc proprietas prima dignitatis demonstratur, cum officium illius, qui munere fungebatur, erat res oeconomicas curiae regiae procurare et aerarium publicum gubernare. Nomen Latinum vocabuli “palatinus” translatio est vocabuli “comes palatii”, qui gubernator palatiorum regiorum Teutonicorum, quae Pfalz sunt nominata, erat, Hungaricum autem vocabulum “nádorispán” veri similiter e nomine Slavico nadъ-dvorjъ-županъ, ‘comes praefectus hominibus aulae regiae’ formatum est (Kniezsa I., A magyar nyelv szláv jövevényszavai [= Verba mutuata Slavica in lingua Hungarica], Bp. 1955, I/1, p. 351). Cum aula regia saeculis XI—XII magis magisque complicata fieret, munus et auctoritas palatini gradatim aucta est, palatinus comites ceteros superavit, saeculo XIII autem summa dignitas regni factus est (Hóman, M. tört. pp. 219, 224 sq.).

Qui cum ... devastabant, fecerunt — Enuntiatio idonea est ad dijudicandum, utrum Th. variantem V_3 an V_4 in manibus habuerit. Praedicata in V_3 sunt: audissent, armaverunt, *fecit*, in V_4 : audisset, armavit, *fecit* (SRH I, 436). Sine dubio praedicata in V_4 adnotata sunt recta, nam subiectum enuntiationis “palatinus comes” est. Th., si hunc textum in manibus habuisset, certe hunc servavisset. Sed quoniam ipse variantem V_3 vidit, praedicatum *fecit* grammaticice et logice in formam *fecerunt* mutavit, quae forma in nulla quidem varianti lectione servata est. In eadem enuntiatione Th. vocabulum “silenter et suaviter” permutas vocabulo “silenter unanimiter” textum magis perspicuum redditurus fuit (Mályusz 1967, 8).

431 *Contrivitque dominus* — IV. Reg. 21, 9.; Is. 14, 5.

in ore gladii — II. Mos. 17, 13.

dira morte — Hoc vocabulum rectificatio stilaris Th. est pro vocabulis “dira morti”, “dire morti” (SRH I, 436).

Contrivitque ... sibi dederat — Pugna, quam scriptor Gestorum victoriam fuisse simulat, secundum Cosmam Pragensem Hungaris cladem ingentem attulit (Gombos I, pp. 806 sq.). Duae descriptiones, sicut Pauler constituit, altera alteri supplemento sunt, cum scriptor Gestorum fateatur Hungaros — quamquam tantum in prima parte pugnae — devictos esse, at secundum Cosmam Bohemi in primo concursu repulsi sunt, ad extremum tamen victores discesserunt. Duarum descriptionum veri similior est relatio Cosmae. Non solum quia locum et tempus pugnae (die 13 mensis Maii anno 1116) accurate describit, sed etiam confirmando Bohemos impetum facientes a duce ductos primum hostibus terga dedisse et postremo victoriam non nisi ex neglegentia Hungarorum consequi potuisse. Contra relationem Cosmae realem et simplicem scriptor Gestorum de victoria mentita palatini tantum verbis generalibus disserit, nil proprii de ea dicere quit, quod per se quoque iure diffidentiam excitat (Pauler I, p. 471 sq.). Si exinde sumimus

Bissenos et Siculos prima parte pugnae cum Bohemis congressos esse, tunc expositio in Gestis dupliciter falso constructa ostenditur, quia, ut Cosmas scribit, Hungari tunc feliciter pugnaverunt, id est impetum Bohemorum milites levis armaturae fortiter sustinuerunt.

gavisis est gaudio magno — Matth. 2, 10: gavisi sunt gaudio magno valde.

barones et optimates — Vocabulum “barones”, quod in Hungaria in monumentis saeculo XIII apparet, in opere saeculi XII ad illud tempus aptum non est. Id, quod tamen usitatum erat, eo explicari possit, ut vocabulo “optimates”, quod quidem recte scriptum est, quasi appositio posterius adiunctum sit (Geric p. 25).

duxerunt ei ... de Apulia — E duabus causis quoque veri simile non est filiam Roberti Guiscardi, ducis Apuliae et Calabriae (obiit anno 1085) uxorem Stephani II. fuisse. Haec partim minime annis quindecim natu maior, quam maritus fuisset, partim cognata regis Hungariae fuit, consanguineos autem tam propinquos matrimonio inter se coniungi secundum leges ecclesiasticas vetitum erat. Coniectura, ex qua uxor Stephani II. Adelheida aut Udelhilde fuisset, quae e familia comitum castri Ratisbonensis orta fuit (Wertner pp. 235 sq.), documentis aetate tam posterioribus et argumentationibus incertis nititur, ut ea accipi non potest. Sed proxime ad verum accedit opinio Pauder, qui filiam Roberti Normanni de Apulia, ducis Capuae (obiit anno 1120) uxorem Stephani II. factam esse arbitratur. Hanc enim ex ortu Italico et ex nomine patris, cui nomen erat Robertus, scriptor Gestorum filiam Roberti Guiscardi putare potuit (Pauder I, 473 sq.). E. Molnár (A magyar társadalom története az óskortól az Árpád-korig² [= Historia societatis Hungaricae a temporibus veterimis ad aetatem Arpadianam²], op. cit. p. 317) argumentum tyrannidis possessorum latifundiorum aetatis Stephani II. esse videt id, quod “barones et optimates” regem etiam uxorem ducere coegerunt, quoniam timebant, ne gens in eo extincta esset, quo facto Almi partibus faventes superiores essent.

Theutonicorum — Sic est scriptum etiam in cunctis variantionibus Gestorum pro forma “Rutenorum”, quae ut e sententia constitui potest, unica recta esset.

Venit itaque ... de ducatu eieciſſet — Princeps Lodomeriae, qui anno 1123 foedus cum Stephano II. facturus fuit, Jaroslavus Svatopolčič erat, idem, qui mandatu patris anno 1099 regem Colomanum adiit et animum eius sibi conciliavit, ut contentionibus de regno Russico se interponeret et ad suam causam se adiungeret (cf. caput (87.), sent. 414). Nunc Jaroslao auxilium petendum erat contra sacerdotum, Vladimírum Monomachum — igitur non, ut in Gestis legitur, contra fratrem —, quoniam hic eum e Lodomeria (Vladimir) eiecit. Incertum est, cur scriptor Gestorum Jaroslau nomine Bezen (Bissenus) nominaverit. Forte ideo, quia noverca Jaroslai filia chani Cumani Tugor erat. Tunc arbitrandum est haud magni momenti fuisse in Hungaria, uxor Jaroslai Svatopolčič origine utrum Cumana an Bissena fuisset (cf. Pauder I, p. 474). Stephanus II. igitur adiumento fuit principi

Lodomeriae, Jaroslao Svatopolčič, qui Russiam dispergiturus fuit, contra magnum principem Kioviae Vladimirus, qui autem unum regnum Russicum efficere et restituere voluit (B. T. Пашуто, op. cit. p. 167).

432 *Rex autem ... ducem adiuturum* — Praeter cupiditatem ulciscendi repulsam ad Przemyśl acceptam Stephanus II. etiam aliis duabus causis impulsus esse potuit, ut cum armis se rebus Russicis interponeret. Partim socius vetus adiuvandus fuit, partim adversarius, Vladimirus Monomachus pater nevercae expulsae ipsius Stephani II. erat.

primus obsedit castrum — De civitate Vladimir agitur, quam Jaroslau recuperere conatus est. In obsidione praeter Stephanum II. Bohemi, Poloni et duo fratres Rostislavič, Volodar et Vasilko quoque adiumento Jaroslao fuerunt (Hodinka p. 95). Pauter vocabulum Gestorum “primus” ita interpretatur, ut rex Hungariae ad castrum primus advenerit (I, 231).

Contigit ... vulneraverunt — Copiosius, tamen congruenter cum Gestis est descriptus obitus Jaroslai in Annalibus Kioviensibus. Ex his princeps tunc est ictus vulnere mortifero, cum circum civitatem equo vectus est (Hodinka pp. 95 sq.).

433 *Cozma de genere Paznan* — Genus Hont-Paznan, cuius proavi, milites Teutonici Hont et Paznan aetate Sancti Stephani immigrati et in Gestis quoque laude memorati sunt (cf. caput (40.)), saeculo XIII in complures ramos disiunctum imprimis in parte regni septemtrionali-occidentali (in comitatibus Nitriensi, Posoniensi et Hontensi) et in parte septemtrionali-orientali (in comitatibus Bihorensi, Zabolcensi) possessor erat. Nomen personae Kozma praesertim inter membra familiarium Nitriensium Szentgyörgyi, Cseklészzi saeculo XIII vulgatum erat (Karácsonyi II, pp. 212 sq.; Domanovszky, SRH I, 438, adnot. 2). In eadem regione, ubi possessiones Nitriensium sitae erant, secundum diploma regis Colomani in Zobor anno 1113 editum comes quidam Cosma, qui a rege unus ex “regni principibus” nominatus est, possessor fuit (Fejérpataky, Kálmán pp. 56, 58). Ex congruentibus argumentis “Cosma de genere Paznan” in Gestis memoratus cum hoc “comite” regis Colomani identificari potest.

433—434 *Principes autem ... reversus est in Hungariam* — Descriptio ex historia sociali magni momenti est, nam prout conscriptio scriptoris saeculi medii XII rem ipsam conservans aut saeculo XIII scribendi genere transformata putatur, statum conformandi classis possessorum latifundiorum et corroborandi aliter et aliter nobis fingere possumus. E genere scribendi nominatio “principes” procerum ad illud tempus apta est, item vocabulum “principes Hungarie”, quia etiam in diplomate Colomani anno 1113 forma “principes regni” legi potest, sed tempori isti repugnat vocabulum “barones”, praecipue ideo, quia non, sicut in parte superiore, in coniunctione “barones et optimates” usitatum est, sed in se ipso. Itidem ante tempus scriptum esse videtur vocabulum “de genere”, quoniam hoc primum in diplomate quodam incertae fidei anno 1186 (Mon. Strig. I, p. 131, Reg. Arpad. I, num. 146) invenitur, atque ita primum in opere Anonymi nobis appareat.

Affirmari non potest totam descriptionem saeculo XIII ortam esse. Coniecturae opponitur id, quod post bella a rege Andrea II. in Galicia gesta sententia illa verbis exprimi non potuisset, ex qua bella huiusmodi inutilia essent; optimates autem consilia politica et bella, quae pro finibus regni propagandis erant, non vituperavissent, Galicia enim gubernanda saeculo XIII ipsis mandata est (Deér p. 114). Tam audacter improbare totam expansionem ad septemtriones tendentem, sicut in Gestis legitur, tunc scriptor quidam aulicus potuit, cum exordia eius vix conspiciuntur, successus autem ne praesagiri quidem potuit. Ex his arbitrandum est vocabula “baro” et “de genere” saeculo XIII inserta esse, hoc tamen rem ipsam non tangit, nam in descriptione realiter demonstratum est, quo modo classis possessorum latifundiorum particeps regni gubernandi conformata sit. Secundum Deér (op. cit. in Jancsó Benedek Ekv p. 112) sententia in descriptione Gestorum reddita proprium est rationis rerum externarum totius illius aetatis (saeculorum X—XII), quoniam tunc reges sincere et simpliciter cognatos adiuvare studebant, et ideo rex Hungariae a subiectis suis destitutus est, quoniam pugnare inutile est visum illis, postquam Jaroslau cecidit. Res Cosmae omnino fide digna est accepta in historiographia Hungarica (Paurer I, p. 232; Marczali op. cit. in Szilágyi, II, pp. 264 sq.; Hóman, Magyar tört. I, p. 365; Molnár E., A magyar társadalom története az őskortól az Árpád-korig² [= Historia societatis Hungaricae a temporibus veterrimis ad aetatem Arpadianam²], op. cit. p. 317; Elekes p. 78; Elekes—Lederer—Székely p. 95; Gerics p. 25), solus L. Erdélyi (Kézai, p. 45) putavit hunc sermonem baronum identificari posse cum eo, quo barones exeunte saeculo XIII et ineunte saeculo XIV uti poterant, atque idem electionem regis prima parte saeculi XII anachronisticam esse demonstravit.

tertio anno — Id est anno 1126.

434

falangas aulicorum suorum — Vocabulo “aulicus” ex Annalibus Altahen-sibus mutuato iam continuator aetatis Colomani describens instituta militaria Teutonica usus est. Anonymus aetatis Stephani III. percipiens elementum eiusmodi in exercitu Hungarico adesse, cuius natura et vis hoc vocabulo exprimi potest, non cunctatus est eodem ipso vocabulo uti. In ambobus fontibus vocabulum “aulicus” coniunctum cum vocabulo “falanx” appetat (cf. caput (64.), sent. 280). “Aulici”, sicut saeculis posterioribus medii aevi quoque, intellegi possunt armati, quos rex circa se habuit, et hi regi ipsi servire debebant et “commensales” regis erant, id est victimum in terrae frugibus ab illo accipiebant. Tamen simpliciter cum membris comitivae, id est cum “družina” vel “Gefolgschaft” identificari non possunt. Nam si ita esset, de re recentiore loqui impossibile esset, caterva enim, quae cum “družina” et “Gefolgschaft” congruit, iam etiam saeculo X exstabat. “Aulici” non solum uno gladio instructi sunt, sed membra familiarium possidentium sunt, qui in hac condicione munera apud regem suscipiunt. Coniunctio igitur eorum cum rege personalis est, quae necessitudine

clientelae nititur, tamen “aulicus” non solum principiis moralibus necessitudinem vasalli cum seniore ordinantibus liberatur, ne absolute in ditione regis sit, sed multo magis conscientia securitatis, quam patrimonium et propinquui domi viventes ei praestant. Nominatio ergo “aulicus” apparet classem bene possessionatorum conformandam indicat. “Aulicos” nominatos Deér (p. 114) priores servientium regalium, qui ineunte saeculo XIII apparuerunt, Váczy autem (A szimbolikus államszemlélet kora Magyarországon [= Aetas contemplationis de statu regni symbolicae in Hungaria]. Minerva 11 [1932] p. 197) servientes ipsos familiares, quos e saeculo XIII bene cognitos habemus, fuisse putavit.

misi exercitum ... devastavit — Hic illae regiones Bulgaricae et Serbicae sub imperio Byzantino redactae intellegendae sunt, quae loca bellorum a Stephano II. contra Byzantium ductorum sunt. Nominatio “Servia” apud Constantimum Porphyrogenitum in forma Σερβία, incolae autem Σέρβοι nominati memorantur, tempore Comnenorum nominationes Σερβία, Σέρβοι usitatae sunt (Jireček I, p. 120). Inimicitiae inter Stephanum II. et imperatorem Byzantii anno 1127 ortae sunt et tres annos permanebant. Causa belli fuit, quod imperator Iohannes Comnenus (1118—1143) duci Almo et comitibus eius refugium dedit, Stephanus II. autem hoc, cum imperator auctoritatem imperii sui magis magisque amplificaret, periculum instans esse vidit, non sine causa metuens, ne tutela aemuli regni occasionem daret imperatori, ut se rebus Hungaricis interponeret. Ad periculum depellendum rex maxime idoneum putavit praecavere periculo, id est impetum facere, causam autem impetus attulit mercatores Hungaricos violatos et expilatos esse. Quo modo res gestae sint, bene cognosci potest ex opere Iohannis Cinnami (Epitome, ed. Aug. Meineke [CSHB, Bonn 1836] pp. 9 sq., Gombos II, pp. 1269 sq.) et ex opere Nicetae Choniatae (Historia, ed. I. Bekker [CSHB, Bonn 1835] pp. 24 sq., Gombos II, p. 1686. Cf. Moravcsik, Forrásai pp. 191, 197), quae opera Paurer conferendo eorum argumenta in dissertatione accurate conscripta cum argumentis fontium cunctorum descriptis (I, pp. 234 sq.).

imperatrix ... Pyrisk — Prisca (Hungarice Piroska) filia Sancti Ladislai est, quam Iohannes Comnenus, qui posterius imperator factus est (1118—1143), circa annum 1105 in matrimonium duxit. Nomen Graecum eius Eirene erat. Obiit anno 1134. Post mortem in numerum sanctorum ecclesiae Byzantinae relata est (Wertner pp. 210 sq.; Moravcsik, Forrásai p. 208; Idem, Szent László leánya p. 7; Paurer I, p. 207).

nunciavit ... hominem suum — Textus verus Gestorum hoc loco mutilatus est, sed apud Th. et in A et V₃ magis intactus est servatus. Ad defectum textus Gestorum supplendum investigatores fontium tantum textum A observaverunt. Ex quo constitui potest versum “nunciavit regi Stephano, imperator Maurinus maritus eius im properasset regi Stephano, dicens” post vocabula “regi Stephano” sequentem atque similiter in vocabula “regi Stephano” exientem in variantibus Chronicis Picti — praeter V₃ — deesse

(SRH I, 434). Quod vocabula typis inclinatis redacta in membris quibusdam codicium familiae Chronici Picti omissa sunt, e mendo scriptoris factum est (Mályusz 1967, p. 8). Antonius de Bonfinis tali fonte Hungarico est usus, in quo nomen mariti Priscae non est descriptum, atque ita — falso — eum Manuelem fuisse putavit (Moravcsik, Szent László leánya p. 7). Sententiam textus explicare Pauler (I, p. 235) contigit. Textus Th. congruit cum textu *A* et *V₃*, quod affirmat Th. varianti Gestorum variantibus hodie notis discrepanti, tamen ad textum *V₃* propiore usum esse. (Textum *A* Domanovszky prodidit [SRH I, 434], tamen falso, quoniam, sicut iam Marczali [op. cit., in Szilágyi, II, p. 261] constituit, non verbum “imperasset”, sed “improperasset” — similiter apud Th.: “improperaret” — in textu vero legi potest. E contrario Marczali opinione labitur, ex qua in *A* non Maurinus, sed Mauricius, in Chronico autem Picto pro forma “hominem suum” forma “hominem sevum” scripta sit. Codicibus veris perscrutatis constituimus ambobus locis editionem SRH rectam esse. Coniectura quidem “sevum” a Matthia Bél orta est. Et in *b* et in *a* vocabulum “suum” invenitur.)

imperatrix ... imperator castigasset — Falsum et omnino commenticum dictum est, quod plurimum differt ab indole et vita familiari bene composita Iohannis Comneni (Pauler I, p. 475), proprie tamen exprimit scriptorem Gestorum causam inimicitarum partim in pietate Hungarica reginae erga patriam, partim in vindicanda iniuria, qua reginam maritus affecit, quaesivisse. Manifestum est hoc modo tantum Hungaros bellum argumentis probari conatos esse, cui rationes potentiae et commoda oeconomica suberant. Haec omnia fontes Byzantini produnt. Secundum unum fontem Brundinsii (hodie Braničevo) mercatores Hungarici violati sunt, secundum alterum fontem Stephanus II. postulavit, ut dux Almus Byzantio eiceretur, quod aula Byzantina abnegavit (Gy. Moravcsik, Byzantium and the Magyars, Bp. 1970 p. 78).

collecto ... devastavit — Textus Gestorum mancus est. Sententia eius ope textus *A*, qui integrior remansit, restitui potest: “collecto exercitu inpetu spiritus sui invasit partes Grecie, Brundinsium atque Scarbicium nec non etiam Nys aliasque civitates Grecorum igne et gladio vastaverunt” (SRH I, 434. Cf. A. Domanovszky, Interpolationen der Wiener Ungarischen Bilderchronik, Ungarische Rundschau 1 [1912] p. 798, Juhász L., op. cit. Filológiai Közlöny [= Acta Philologica] 12 [1966] p. 45).

Cum autem ... devastavit — Enuntiatio cum parte quadam Gestorum, in qua res prius acta descripta est, propinqua esse videtur: “rex ... et dux pro magna iniuria hoc reputantes cum suis exercitibus Bohemiam invaserunt et ... Bohemiam igne et gladio vastaverunt” (SRH I, 365, Th. caput (75.)). Textus impetum anno 1127 factum indicat, quo Stephanus II. civitates Belgradum, Brundinsium, Nissam (hodie Niš) atque Sophiam occupavit et imperator Byzantii regem tantum apud Philippopolim ad revertendum cogere potuit (Pauler I, p. 235).

435 *Habebatque ... milites Francos* — Francos, igitur Teutonos, non autem Francogallos significat vocabulum (cf. Györfy, Tanulm. p. 98). Significatio nationum manifestum fit Stephanum II. cum militibus mercede conductis bellum commovisse, tales autem milites conducere ideo coactus est, quoniam nil spei in eo ponere potuit, ut exercitus Hungaricus extra fines regni se sequeretur.

in presenti anus — Domanovszky textum corruptum putat et pro forma “anus” formam “anno” scribere proponit (SRH I, 440). Formam “anus” rectam esse affirmat Horváth (p. 276), item sic interpretatur Erdélyi (Krónikáink p. 222).

misit rex ... virilia incidam — Ut Paurer (I, p. 475) constituit, nuntii saepius missi acceptique e rumore populari ad calatum chronographi allati sunt, quorum de fide iure dubitatum est (Marczali op. cit., in Szilágyi, II, p. 261; Domanovszky op. cit. Száz. 36 [1902] 820).

misit imperator ... ingentem in Hungariam — Textus Th. mendo scriptoris aut mendo typographicō mutilatus est. In Gestis: “*in Hungariam. Venientesque transiverunt in Hungariam*” (SRH I, 441) est scriptum. Anno 1128, cum Iohannes Comnenus ad bellum exercitum magnum contraxit, eum militibus ex Italia et ex oriente mercede conductis auxit, de Ponto Euxino autem naves in Histrum auferendas curavit (Paurer I, p. 235).

Haram — Medio aevo castrum magni momenti in confinio positum ad Danubium in ore fluvii Krassó (hodie Caraşul, Karaš) erat. Tempore dicionis Turcicæ castrum dirutum est, in loco eius nova colonia, nomine Palanka est orta. Nomen Haram e vocabulo Slavico chram ‘castellum’ est derivatum, hoc autem translatio vocabuli Bulgaro-Turcici est, quod significationem similem habet. Contra Palankam (hodie Banatska Palanka) in ripa ulteriore Danubii etiam hodie exstat civitas parva, quae Ram nominatur (Csánki II, p. 95; Melich pp. 19 sq.).

impetum — In Gestis recte: “*impedimentum*” (SRH I, 441) est scriptum.
436 *per ingenia ... aquis incendebant* — Descriptio ad verbum inveniri potest in parte quadam Gestorum, in qua res prius acta enarratur: “*per ingenia sufflabant ignes sulphureos in naves Hungarorum et eas in ipsis aquis incendebant*” (SRH I, 370, Th. caput (77.), sent. 343).

omne robur regni sui — Aliter atque exercitus haud magnus, qui ad bellum ultro inferendum anno priore e militibus mercede conductis et ex “aulicis” constitit, omne robur militare regni certe multitudinem armis consuetis exstructam significat. Haec, ut ex exitu rerum concludi potest, invalidior se praebuit, quam exercitus anno 1127 fuit, quamquam, ut e sequentibus appareat, loricatos quoque habuit.

prefecit Sthephel — In *V₁* *V₂*: Setephel, in *V₃* *V₄*: Stephel, in *V₅*: Setephel (SRH I, 441) est scriptum. Nomen identificari potest cum nomine Teutonicō Stephel, ministerium autem militis, qui hoc nomine nominatus est, explicari potest eo, quod — ut iam prius memoratum est — milites Francici mercede conducti aderant (Paurer I, pp. 235, 475 sq.).

rivulum Karaso — Fluvius Krassó, cuius nomen servavit castrum ad fluvium exstructum, huiuscem autem nomen comitatus circa castrum ut sedem ordinatus, ad castrum Haram, ad hodiernam Banatska Palanka in Danubium influit. Nomen rivuli e vocabulis Bulgaro-Turcicis kara 'niger' et su 'aqua, rivus, fluvius' compositis factum est, quod idem est ac nomen Hungaricum fluvii Feketevíz 'Aqua nigra' (Melich pp. 25 sq.).

Boron — Brundinsium nomine meridionali-Slavico Braničevo (in Iugoslavia) in loco Viminacii Romani, ubi fluvius Mlava in Danubium se effundit, iuxta viam e civitate Belgrado trans Nissam (Niš) Constantinopolim versus ferentem munimentum magni momenti et civitas erat. Imperio Bulgarico afflito et perduto saeculo XI in potestatem imperii Byzantini redacta est, saeculis XII—XV ad tempus quoddam pars regionis ad fines regni Hungarici tutandos instructae facta est. Nomen e Hungarico nomine personae Baranch derivatum est (Melich pp. 199 sq.; Etym. Szótár I, coll. 487 sq.).

Ciz vero comes — Nomen in vocabulo loci Chiz (Chyz h. Csíz, Čiž) in comitatu Gemeriensi servatum est (Ila II, pp. 167 sq.), ut nomen autem personae in monumentis saeculi XIII iterum ac saepius apparet (Etym. Szótár I, col. 1110). Comes Ciz in aliis fontibus non est memoratus. Inter membra generis Bogát-Radvány, id est inter proavos familiae Rákóczi saeculo XIII apparet comes quidam Chyz, et quoniam hoc genus originis Bohemicae est (Karácsonyi l, p. 258), vocabulum autem commune Hungaricum csiz 'Carduelis spinus', ex quo nomen personae derivatum est, Bohemicum, Slovacum est (Etym. Szótár l. cit.), comes saeculi XII iure generi memorato adiungi potest (cf. Paurer I, p. 475).

Borонch — Forma nominis in *b* et *a* inventa *Borouch* tamen rectior est, 437 quam forma nominis Bororich, Bororych, Bororuch, quae in variantibus Chronici Picti adnotatae sunt (SRH I, 442).

imperator et rex ... redierunt ad propria — Compositio rei genere scribendi aequa ac re ipsa similis esse videtur descriptioni rei prius actae, quae in Gestis adnotata est, id est conventui ducis Geysae cum rege Salomone: "rex et dux venerunt Strigonium ibique ... inter episcopos et principes navigaverunt in insulam civitati proximam ad colloquendum, ubi diu semet ipsos incusantes et excusantes tandem roborato federe pacis Geysa rediit in ducatum" (Th. caput (79.), sent. 355, SRH I, 378). Bellum anno 1129 finitum est (Paurer I, p. 237).

Christianam combussit — Ut Paurer accurate constituit, Christiana identificari potest cum femina nobili et divite Italica, quae — ut Cinnamus describit (op. cit. p. 12: γυνὴ Λατίνα μὲν γένος, πλούτῳ δὲ καὶ τῇ ἄλλῃ περιφανεῖᾳ διαφέρουσα; Gombos II, p. 1270) — anno 1129 rationem belli gerendi Hungarorum prodidit imperatori Iohanni Comneno, atque hoc modo possibile fecit, ut exercitus Byzantinus stragem certam effugeret (Paurer I, p. 237). Quam exiguum ingenium anonymous aetatis Stephani III. ad historiam scribendam habuerit, eo demonstratur, quod ipse res tertio

anno belli Hungarorum cum Byzantio gesti, quae Hungaris prospere evenerunt, id est, quod regio Sirmiensis et civitas Brundinsium recuperatae sunt, atque id, quod imperator Iohannes quasi fugatus se recipere coactus est, cuius rei testimonium est, quod tentorium imperatorium quoque in manus Hungarorum incidit, silentio praeterit et tantum damnationem ad rogum memoratu dignam esse putavit.

minoris sui ... passus fuerat — In fonte Th., in Chronico Picto et in cunctis huius variationibus vocabula “*minoris seu medium*” etc. legi possunt. Hic textus sic intellegi non potest. Vocabulum “*minoris*” grammaticae attributum est vocabuli “*Stephani*” et ita explanari potest, ut scriptor Stephanum II. comparans cum Stephano I. dicat regem minorem. Sic discernere tantum ad illud tempus possibile erat, dum tantum duos reges, quorum nomen erat Stephanus, scriptor compertos haberet. In vita Stephani III. haec significatio intellegi iam non potuisset (Pawler II, p. 609). Si autem scriptor aetate Stephani III. vixisset, vocabulum “*minoris*” attributum “*Stephani*” esse non potuisset. I. Madzsar (A II. Géza korabeli névtelen [= Anonymus aetatis Geysae II.], Ért. tört. tud. XXIV/11, Bp. 1926, p. 2), mox Horváth (p. 280) loco vocabuli “*minoris*” formam “*minorem*” inserens hac coniectura opportuna sententiam rectam et veram textui Gestorum reddiderunt. Nam ut apud Iustinianum: Inst. I, tit. 16 scriptum est: “*minor sive media est capitis diminutio*”, si aliquis exilio afficitur. (Vocabulum “*media capitis diminutio*” iuris Romani esse iam Pawler agnovit, I, p. 471.) Quaestio solvenda unicum vitium habet, quod apud Th. pro “*seu*” forma “*sui*” invenitur (“*Stephani minoris sui medium capitis diminutionem*”), atque ita hunc locum textus coniectura duplici explicari potest. Si textus Th. varians quidam Chronicus Picti esse habetur, qui haud procul a V_3 , V_4 abest et hic varians in quaestionibus artis criticae solvendis omitti non potest, discrepantia *sui ~ seu* adhuc interpretanda est.

de rege ... in Greciam — Pawler magis consideratum putat ducem Almum statim, postquam oculis privatus est, non autem fugiens Stephanum II. Byzantium confugisse (I, p. 471). F. Makk (Megjegyzések II. Béla történetéhez [= Adnotationes ad historiam Belae II.], in AU Szeged, AH 40 [1972] pp. 33 sq.) ex fontibus Hungaricis et Byzantinis certum reddidit Almum Stephano II. regnante, veri simile circa annum 1125 Byzantium emigravisse.

imposuit sibi nomen Constantinus — Byzantii mos erat nomina barbara cum nominibus Graecis commutare, sicut etiam nomen filiae Sancti Ladislai, Prisca, quod Eirene et nomen filii Borich, Colomanus, quod Constantinus mutatum est, demonstrant (Pawler I, p. 234).

ibi iam ... Constantinam in Macedonia — Pawler animadvertisit Nicetam Choniatem civitatem quandam, quae Constantia est nominata, memoravisse, quae civitas sub monte Rhodope sita erat (I, p. 475). Res, ex qua civitas sic nominata exstitit, quamquam de fundatione eius et de partibus, quas dux

Almus in fundatione suscepit, nil compertum habemus, relationem scriptoris Gestorum affirmat.

Et multi ... fugerant ad ipsum — Post confugium Almi processio 438 emigrantium multorum Byzantium versus incepit (Makk I. cit.).

Quo mortuo ... ecclesia sepelivit — Dux Almus anno 1127, cum exortum est bellum inter Hungaros et Byzantinos, mortuus est. Quo modo cadaver eius in Hungariam — anno 1137 — relatum atque sepultum sit, in Continuatione Chronicae Cosmae Pragensis accurate legi potest. Ut e versibus descriptionis, in qua festum Sancti Stephani tractatur, intellegi potest, sepultura vere Albae Regiae facta est, tamen nimirum iussu non Stephani II., sed Belae II. (Gombos I, p. 443).

Bela vero ... furorem regis — Ut in Chronico Monacensi adnotatum est (“Bela ... obsecatus servabatur occulte in Grecia”, SRH I, 81), pro certo haberi potest Belam una cum patre, Almo Byzantium perfugisse. Attamen, quod in Gestis profertur, simpliciter falsum dici non potest. Conicere quidem possumus Belam aliquot annis Byzantii peractis — iam non multo ante finem vitae Stephani II. — clam in Hungariam rediisse et forsitan in monasterio de radice Montis Ferrei (hodie Pécsvárad) occultatum esse (Makk op. cit. p. 36).

Paulo episcopo — Idem est atque episcopus Iauriensis, Paulus, qui in diplomatis regiis annis 1137 et 1138 memoratur (Wenzel I, p. 54; Mon. Strig. I, p. 97) et qui, quoniam sui decessoris nomen Ambrosius ex anno 1124 notum est, iam Stephano II. regnante episcopus esse potuit. De episcopo Vesprimensi Paulo et de episcopo Chanadiensi Paulo, qui a Domanovszky e diplome anni 1142 (SRH I, 443 adnot. 2) memorati sunt, agi non potest, quoniam decessor episcopi Vesprimensis, Petrus ab anno 1134 ad annum 1139, decessor autem episcopi Chanadiensis, Bestertius anno 1138 episcopatum obtinebant, pro certo haberi potest hos dignitatem anno 1142 gestam tantum post mortem Stephani II. suscepisse (cf. Reg. Arpad. I, num. 69, 51, 63; Gombos I, p. 442; Wenzel I, p. 54).

Othmaro comite — Veri simile identificari potest cum comite Barsiensi in capite (89.), sent. 424 (SRH I, 431) memorato.

gavissus ... magno — Matth. 2, 10: gavisi sunt gaudio magno.

se heredem non habere — Ut Makk opinatur (op. cit. p. 40), id, quod Stephanus II. Belae II. reconciliatus esset, fictio posterius excogitata est, qua demonstraretur regnum Belae II. iustum fuisse. Secundum sententiam constanter legitimam Bela II. tantum tunc ut rex legitimus se praestare potuit, si coronatio sua ex iure facta a designatione Stephani II. repeteretur. Chronographus favens familie Almi — pro Bela Caeco — historiam huic principio novo accommodatam confinxit.

filiam Vros ... Bele traduxerunt — Proavus stirpis Nemanja, magnus supanus (veliki župan, μέγας ζούπανος) Uroš I. in ea regione regnabat, cuius sedes vallis Raška una cum castro Ras, sita ab hodierna Albania ad septentriones erat. Nomen Ras ab exeunte saeculo XII primum apud

Ansbertum in forma Rassia — Hungarice posterius Rácország 'regnum Rassicum' — totum regnum significavit. Regnum sub dictione Byzantii erat, in castro Ras ad tempus praesidium stativum Graeci imperatoris habitum est, imperium Byzantium haud assidue aequaliter valuit. Stephanus II. bella contra Byzantium gerendo consuetudinem cum Uroš iungere potuit. Hic occasione utens castrum Ras occupavit et quamquam posterius ab imperatore Byzantii cladem accepit, socius magni aestimandus regi Hungariae permansit. Stephanus II., ut coniectari potest, periculum ex imperio Byzantino usque imminens agnovit et id propellendi causa a tergo adversarii sui auxilium sibi comparatus fuit. Filiam Uroš, Helenam dux Bela probabiliter anno 1130 uxorem sibi adiunxit (Jireček I, pp. 214 sq., 244 sq.; Wertner pp. 297 sq.; Idem, Délszláv pp. 6 sq.; Paurer I, p. 238; Deér p. 111).

procreavit Geycham — Rex posterior Geysa II. (1141—1161) anno 1130 est natus (Wertner p. 309). Eo, quod baptizatus nomen Geysam accepit, quod nomen communis avi patris sui et Stephani II., id est regis Geysae I. fuit, memoriam discordiae inter Colomanum et Almum quondam flagrantis oblitam esse symbolice expressum est.

Disposuerat ... in Talna — Locus Tolna hodie quoque exsistit in loco castrorum Romanorum, Altae Ripae ad Danubium et ad viam, quae paribus intervallis cum flumine ad meridiem fert et medio aevo una ex maximis viis Hungariae erat. Colonia sedes unius comitatum a Sancto Stephano ordinatorum facta est. Incertum est, unde nomen eius ortum sit, sed putari potest vocabulum loci non e nomine personae ortum esse (Csánki III, p. 412; Holub op. cit., in Szent István Ekv II, p. 105; Melich p. 413; Glaser op. cit. Száz. 63—64 [1929—1930] 140 sq., 153; Bárczi G., A tihanyi apátság alapítólevele mint nyelvi emlék [= Diploma foundationale abbatariae Tichoniensis ut monumentum glottologicum], Nyelvészeti Tanulmányok [= Studia glottologica] 1, Bp. 1951, p. 58). Monasterium Szekszárdiense, quod haud procul situm erat, pater Geysae I., Bela I. sine dubio e possessionibus familiae suae condidit (cf. caput (73.), sent. 327), atque ita Stephanus II. eo, quod Tolnam domicilio ducis Belae et uxoris eius assignavit, re vera has possessiones familiares eis praebuit.

439 *coniuraverat regnum* — E sententia textus vocabulum "regnum" hic catervam procerum significat, qui se ius ac potestatem habere arbitrii sunt ad decernendum, quis regnum occuparet.

filius sororis ... Saul regnaret — Commemoratio de Sophia, sorore Stephani II. in Gestis servata unicum argumentum est, quod tamen ipsum fide parum dignum esse minime significat (Makk op. cit. p. 35). Tamen possibile videtur vocabulum "soror" hic quoque, ut persaepe in Latinitate Hungarica, non germanam, sed consanguineam quandam significavisse (Wertner p. 219). Domanovszky hanc consanguineam quandam in persona sororis Sancti Ladislai, quae uxor comitis Lamperti de genere Hont-Paznan orti erat, agnoscere, Saul autem regem designatum cum Saul quodam, qui

in diplomate regis Colomani anno 1111 comes Bihoriensis est memoratus (SRH I, 444, adnot. 2), identificare temptavit. Identificatio non nisi coniectura ficta videtur. Pro certo enim haberri potest sororem natu maiorem, Sophiam Sancti Ladislai non Lamperto nupsisse (Wertner pp. 171 sq.), Lampertum, quamquam nomina filiorum nota sunt, filium Saul nominatum non habuisse (Karácsonyi II, pp. 184 sq.). Comes autem Bihoriensis propinquitate cum Lamperto coniunctum fuisse tantum ita dici potest, ut genus Hont-Paznan etiam in comitatu Bihoriensi possessiones habuerit, itaque possibile videtur Saul membrum huius generis fuisse. Rem Makk (op. cit. p. 36) anno 1127, antequam bellum Hungaro—Byzantinum ortum est, factam esse arbitratur atque explicat primores familiae Colomani faventes — cum Stephano II. consentientes — heredem regni legitimum ideo in persona Saul designavisse, ne sibi, si Stephanus II. moreretur, ratio familiae Almi restaurandae ducenda esset.

Bors ... electi sunt — E nomine Bors Hóman (M. tört. I, p. 370) ambos prognatos e comite Bors esse putat, qui proavus generis Miskolc erat atque de quo comitatus Borsodiensis nominatus est, id autem, quod ipsi coronam appetentes fuerunt, eo explicat, ut e femineo sexu descendentes propinquitate cum familia regia coniuncti sint (cf. Karácsonyi II, pp. 363 sq.; Györffy, Tanulm. p. 21). Reges electi, ut conici potest, a proceribus impulsoribus et suasoribus, qui regnum Stephani II. aegre ferebant et familiae Colomani, favebant, facti sunt (Makk op. cit. p. 37).

statutum est ... iudicaretur intrare — Ineunte saeculo XIII, cum privilegia servientium regis, quae posterius iura ordinis nobilium nominata sunt, accuratius describuntur, unum ex privilegiis facultatem in aulam regiam libere intrandi dat. (Rex Emericus in diplomate anni 1204 “Iohanni Latino” dono dat “libertatem” eiusmodi, “ut tam ipse quam ipsius heredes in aula regia liberam habeant conversandi facultatem”. Urkb. Siebenb. I, p. 7). Servientes regis, qui hoc postulabant idque adepti sunt, non privilegia quaedam ficta concupiscebant, sed ea assequi conabantur, quae ipsis nobiliores iam possidebant. Scriptor Gestorum, qui septuaginta annis ante, quam servientes regis quoque, comites haec privilegia possidere dicit, res sociales aetati illi convenienter describit.

Rex autem ... ad regem fugerat — Imperator Byzantii, qui Stephano II. 440 regnante de vicinis nomadibus victoriam rettulit, Iohannes Comnenus erat; ii autem, qui devicti sunt, Bisseni erant. Proelium anno 1122 apud civitatem Berrhoen commissum est. Imperator, ut Iohannes Cinnamus et Nicetas Choniates tradunt, victoriam cruentam ultimam adeptus est. Devicti apud ambos auctores Scytha sunt nominati, tamen apud Choniatem est vocabulum, ex quo pro certo haberri potest Scythes hic Bissenos intellegendos esse. Imperator enim pro memoria victoriae festum sollempne, quod Bissenum est nominatum, institui iussit (Paurer I, p. 433; Györffy op. cit. Antiquitas Hungarica 2 [1948] p. 171). Nomen ergo populi Cunorum in Gestis hic in significatione ‘Bissenus’ scriptum est. Secundum opinionem Makk (op. cit.,

in Horváth—Székely pp. 253 sq.) res, ex qua Bisseni in aula Stephani II. partes graves sustinuerunt, partim eventus, partim causa fuit, cur numerus hominum regi faventium decresceret.

permissionibus — Th. vocabulo recto usus est pro verbo “promissionibus”, quod in cunctis variantibus Gestorum inveniri potest (SRH I, 445). Textus varians, quem ipse in manibus habuit, certe vocabulum rectum conservavit.

Hungari vero — In cunctis variantibus Gestorum haec vocabula: “Hungari vero villani” legi possunt (SRH I, 445). Aetate Th. nomen “villanus” aequi inusitatum erat ac notio ipsa vocabuli “Hungarus liber” in sententia saeculi XII intellecta quoque exolevit. Vocabulum “villanus” significacionem quandam ordinis socialis habuit et saeculo XV cum vocabulis “iobagio” vel “rusticus” congruens erat. Vocabulum “villani” omittendo Th. effecit, ut dissensiones, quae existebant inter ea membra comitivae regiae, quae permissu regis facinora committebant et inter rusticos, in discordias peregrinorum et Hungarorum transmutarentur. Odium in peregrinos elementum assiduum magni momenti erat ad formandam conscientiam nobilium, quod prodere libere licuit, at suspicio ipsa, quod rustici armati commoverentur, admonuit nobiles, ut sibi caverent. Th. rem describens sponte sua, sine ulla meditatione longiore vocabulum “villani” delere debuit, quia ad opiniones iniucandas excitandas aptum erat.

441 *cum esset ... relicto regno suscepit* — Pauler etiam casus duos profert, cum reges, qui aequales Stephano II. erant vestem monachalem induentes mortui sint: rex Francogalliae Philippus I. anno 1108 et rex Hierosolymae, Balduinus II. anno 1131 (I, p. 239).

anno regni sui XVIII — Ne unus quidem fons superest, in quo obitus Stephani II. ad diem accurate constitutum adnotatum sit. Dies 1 mensis Martii anno 1131 non est tempus obitus Stephani II., sed initium regni Belae II. spatio temporis dominationis Belae II. (quod in Gestis adnotatum est) a morte huius retro computato (Makk op. cit., in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 38 sq.). E die 28 mensis Aprilis anno 1131, cum Bela II. rex est coronatus, consequens est ita concludere, ut Stephanus II. post diem 3 mensis Februarii anno 1131, ergo anno sexto decimo regni sui mortuus sit. In familia quidem Chronicus Budensis adnotatus est annus 1131 ut annus obitus Stephani II. (SRH I, 434). Annus 18 in Chronicus Pictus et secundum hoc apud Th. adnotatus eo explicari potest, quod fons Th. annum 1114 habuit, quo Colomanus mortuus est (cf. caput (89.), sent. 427), inde autem annus 1131 vere supra dictus annus 18 recte putatus videtur (Mátyás, Chronol. p. 21 sq.). Adnotationem in codice A de Stephano II. eiusdem temporis esse eo demonstratur, quod in textu huius unici codicis servatus est annus rectus, id est 1116, quo Stepanus II. regnare cooperat (SRH I, 434. V. Gerics p. 101).

sepultus est Waradini — In codicibus familiae Chronicus Budensis de Stephano II. tantum spatium temporis regnandi (18 anni et 5 menses),

obitus, qui anno 1131 fuit et sepultura eius, quae Varadini facta est, in aliquot versibus adnotata est. Relatio copiosa de rege Stephano II. — quae etiam apud Th. legi potest — in codicibus familiae Chronicorum Picti, vel in codice A haec eadem brevius, tamen prius conscripta (Domanovszky op. cit. Száz. 36 [1902] 827 sq.; Gerics p. 101) servata est.

Migravit ... MC XXXI — Enuntiatio solum apud Th. invenitur.

⟨91.⟩

Caput ab anonymo aetatis Stephani III. conscriptum est interpolationibus saeculi XIII insertis.

De regno ... Bele primi — Index haud multum differt ab indice per errorem scripto capitinis Chronicorum Budensis (“De coronatione secundi Bele Ceci filii Almus ducis filii Lamperti ducis, qui fuit filius regis Bele primi”, SRH I, 446). Alii codices variantes Gestorum in indicibus capitum continuationem genealogiae usque ad Almum reductam produnt, alii autem longius progredientes (*R* et *B*, SRH I, 446) patrem Almi ducem Lampertum adnotant. Th., quamquam e materia Chronicorum Picti comperit Almum filium regis Geysae I. esse, quamvis hoc idem etiam in opere suo contineatur (caput ⟨86.⟩, sent. 409), errorem scriptoris Chronicorum Budensis, variantis a Hess impressi repetit.

carnem brachii sui — Is. 9, 20.

fiduciam in homine — Ier. 17, 5.: maledictus homo, qui confidit in homine.

ad altissimum posuit refugium suum — Ps. 90, 9.: altissimum posuisti refugium tuum.

et factus ... protector eius — Ps. 17, 19: et factus est dominus protector meus.

de fructu ... sedem suam — Ps. 131, 11: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

In eo enim ... propheticum verbum — In fonte Th., in Chronicorum Budensium, ex quo hanc partem usque ad vocabula “filio regis Colomani” Th. textui Chronicorum Picti inseruit, enuntiatio ibi formam sequentem habet: “Impletum est in ipso illud propheticum” (SRH I, 446).

Dominus solvit ... illuminat cecos — Ps. 145, 7 sq.

Inita consilium ... non fiet — Is. 8, 10.

Confirmatum est — Ab his vocabulis usque ad vocabula “in presentem diem” Th. iterum textum membra cuiusdam familiae Chronicorum Picti prodit. A vocabulis “genuitque quattuor filios” textus Gestorum amplius in ambabus familiis Chronicorum continetur.

Confirmatum est ... in manu eius — III. Reg. 3, 1: confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis.

dedit dominus in opprobrium — Ps. 56, 4: *dedit in opprobrium ... deus.*
in presentem diem — Scriptor hoc loco aetatem suam profert, quae tamen, sicut e sententia descriptionis efficitur, ab annis regni Belae II. haud procul abesse potest. Ipsum tempus regni Belae II. esse non potest, tum enim scriptor animo cum tam contento, quasi cum iactatione scribere non potuissest, tamen in vita filii vel nepotis regis, qui ramum novum condidit, perspectiva historica iam exstitit (Horváth p. 273. Cf. Páuler II., p. 609; Huber in censura de opere Marczali “Ungarns Geschichtsquellen im Zeitalter der Arpaden” scripta hoc caput ultimis annis regni Andreae II., immo quidem decenniis posterioribus, tamen ante tempus regni Stephani V. conscriptum esse arbitratur. MIÖG 4 [1883] 135).

genuitque ... et Almum — Ex filiis Belae II. ille, qui natu maximus fuit et posterius rex nomine Geysa II. factus est (obiit anno 1161), anno 1130 est natus, dux Ladislaus, posterius rex Ladislaus II. (obiit anno 1162), anno 1131, dux Stephanus, posterius rex Stephanus IV. (obiit anno 1164) anno 1131/2, dux autem Almus, qui puer mortuus est, anno 1134 natus est (Wertner pp. 306 sq., 323, 333 sq.).

regina Elena — Quantam auctoritatem regina apud maritum habuerit, eo demonstratur, partim quod Bela II. in diplomate donationali Demesiensi, quod anno 1138 scriptum est, affert se una cum uxore sua institutum fecisse (Mon. Strig. I, p. 88), partim quod praepositus Vesprimiensis Andreas quoque necesse habuit non solum rege, sed etiam regina concedente praedium dono dare (Pannonh. I, p. 595).

habito consilio regis et baronum — In diplomatis regiis appellatio ad consilium baronum non est proprium saeculi XII, ea tantum a saeculo sequenti appareat. Exempli causa Bela IV, anno 1240 haec dicit: “nostra ordinatio consilio barrorum nostrorum facta” (Hazai Okmt. III, p. 7), Bela IV. et Stephanus (V.) anno 1267: “habito baronum nostrorum consilio et assensu” (Marczali, Enchiridion p. 168).

congregationem generalem — Secunda parte saeculi XIII nomen consiliorum, in quibus permulti participes aderant, “congregatio generalis” fit (Eckhart p. 109; Istványi G., A generalis congregatio, LK 17 [1939] 53 sq.; S. Kiss E., A királyi generális kongregáció kialakulásának történetéhez [= Ad historiam formandae congregationis generalis regiae], AU Szeged. AH 39 [1971] pp. 11 sq.).

fecit ... iuxta Arad — Civitas Aradinum ad fluvium Marusium (hodie in RSR) a hodierna civitate tamen magis ad orientem sita (Györffy, Tört. földr. I, p. 172), sedes unius ex comitatibus a Sancto Stephano ordinatis erat. Origo nominis haud nota est; nominatio probabiliter e nomine personae est orta, quo primus comes comitatus nominabatur (Holub op. cit., in Szent István Ekv II, p. 101). Sententiae discrepant, an res, quae a scriptore Gestorum adnotata est, re vera hoc loco acta sit. Páuler est primus, qui dubitavit, an rex, cum haud impossibile est visum Borich cum armatis a septemtrione oriente irrupturum fore, exercitum totum suum in

civitate Aradino collegisset. Ideo Pauler ipse locum, quo rex exercitum colligi iussit, villam quandam in comitatu Ung sitam fuisse putat, quae item Arad nominata est. Opinionem eius historici ceteri non probaverunt (sententias D. Angyal, S. Domanovszky, L. Erdélyi, J. Karácsnyi, S. Márki v. in Száz. 46 [1912] 773 sq.). Mentio est facta etiam villae Arad, quae in comitatu Strigoniensi est sita, Domanovszky autem possibile putavit e mendo scriptoris pro vocabulo loci Ónod falso nomen Arad in textu scriptum esse, itaque hanc villam in comitatu Borsodiensi locum fuisse, ubi res acta est (SRH I, 447 adnot. 1). Omnes, qui civitatem Arad ad fluvium Marusium ex locis possibilibus eximunt, ex ea sententia artis criticae opinionem suam duxerunt, ut ultio et impetus contrá Borich factus res una eademque fuisse. Quoniam haec sententia falsa esse videtur (Kristó—Makk 201 sq.), locus, quo res acta est, exinde quoque optimo iure cum civitate Aradino ad fluvium Marusium sita identificari potest.

sedit super solium — III. Reg. 16, 11.

deus regi ... filios quattuor — Vocabulum “filios” textui Gestorum a Th. insertum est, tamen falso, quia anno 1132, cum Borich in regnum impetum fecit, Bela II. adhuc tantum duos filios habuit. Th. hoc vocabulum inserere ideo necesse habuit, quoniam enuntiationem non bene intellexit. Sententia enuntiationis — respectu eius, quod anonymous aetatis Stephani III. animum proclivem ad ironice loquendum habuit (Horváth pp. 273 sq.) — ita explicari potest, ut ramus familiae regiae, qui ad extinguendum destinatus erat, in filiis et quidem duobus vivere non desinat (cf. Erdélyi, Száz. 46 [1912] 777).

sunt registrati — Vocabulum institutum iurisdictionis Hungaricae saeculis XIV—XV usitatum significat. Sic est nominatus mos, ex quo in congregatiōnibus comitatuum praesidente palatino habitis praesentes conclamando noxios pronuntiaverunt eos, qui ut facinora publica committentes noti erant, horum nomina palatinus “registro” conscripta promulgari iussit, atque hoc modo facultatem dedit, ut quilibet eos necare posset. Registratio ergo nominum noxiorum “proscriptionem” significavit (Eckhart p. 171). Mos, ex quo ipsi incolae quemlibet noxiū indicant, valde vetus est, coniunctio autem eius cum registro tantum possibilis facta est, postquam institutum comitatuum administrandorum et institutum iuridionale confirmatum est atque usus scripturae magis divulgatus est. Omnes hae condicōnes non solum saeculo XII, sed etiam prima parte saeculi XIII defuerunt.

omnis illorum ... regum nominantur — Quod in Gestis de confiscaōne bonorum adnotatum est, argumentis, quae supersunt, non probatur, quia posteri procerum in parte sequenti a scriptore nominatim enumeratorum posterius quoque semper possessores sunt memorati (Pauler I, p. 478). Nullum documentum superest latifundia confiscaōne adempta in possessionem ecclesiarum cathedralium redacta esse. Non solum veri simile est, sed etiam pro certo haberi potest reges e rebus confiscaōne ademptis generaliter ecclesiae donationes largitos esse, sicut etiam Sanctus Stephanus

²⁹ Johannes de Thurocz

Cupan vel Gyula devictis fecit. At sine dubio opinio pro vero in maius aucta est dicere possessiones confiscatione ademptas totas omnino in potestatem ecclesiae redactas esse. Scriptor quidem, qui clericus fuit, certe aliquid demonstratus fuit ecclesiam sic aperte usufructuariam possessionum confiscatione ademptarum dicens. Res attributo "cathedralis" explicari potest. Reges generaliter nullam differentiam inter ecclesias fecerunt, cum illis donationes largiti sunt. In Monte Sacro Pannoniae abbatia ordinis Sancti Benedicti erat, Demes, Buda vel Aradinum autem capitula collegiata erant. Scriptor, ut conici potest, membrum vel magis praepositus capituli collegiati cuiusdam esse potuit, fieri potest, ut ecclesia sua quoque possessionem quandam confiscatione ademptam acceperit, ipsi autem, qui hoc compertum habuit, utile est visum odium possessionis donatae de sua ecclesia avertere sicque conatus recuperantium repellere. Sententiam, ex qua capitulum collegiatum Bela II. Aradini — possessionibus ademptis — condidit, iam Karácsonyi protulit (Száz. 46 [1912] 779), et haec opinio probari potest. "Ecclesia sancti Martini in Vrodi" iam Bela II. regnante possessionibus condonata est (Pannoh. I, p. 595), praepositus eius autem, cui nomen erat Primogenitus, quem rex Geysa II., ut apud Rahewinum, apud continuatorem operis Othonis Frisingensis legi potest, anno 1159 legatum ad imperatorem Fridericum I. misit (Gombos III, p. 1773; Pauler I, p. 290), anno 1156 in diplomate quodam ut "Urodiensis prepositus" memoratur (Mon. Strig. I, p. 108; Györffy, Tört. földr. I, pp. 170 sq.). Capitulum Aradiense exeunte saeculo XII valde locuples opulentumque erat, id est possessor tam multorum latifundiorum, ut Bela III. anno 1177 latifundia atque ibidem servientes incolas recensens ipsum diploma propter magnitudinem eius in forma libri conscribere cogeretur, rex autem Emericus propter ipsam magnitudinem tantum partes quasdam illas extulit, quae ad iura dominiorum pertinuerunt, de quibus tunc controversiae ortae sunt, atque ita diploma integrum nobis haud quidem notum remansit (Borsa I., III. Béla 1177. évi könyvalakú privilegium az aradi káptalan számára [= Privilegium Belae III. in forma libri anno 1177 capitulo Aradiensi editum], LK 33 [1962] 205 sq.). Valde veri simile est Belam II. capitulum conditum et condonatum ad caudem expiandam, quae Aradini confecta est, destinavisse. Scriptor tamen (vel interpolator) necessario saeculo XII vixisse non est putandus, etiamsi aliquid sibi cum capitulo Aradiensi fuerit. Vocabulum constans, ex quo villa "conditionalis" unaquaeque donum regale nominatur, saeculi XIII esse videtur. Nominatio "conditionalis" significationem duplarem habet. Saeculo XIII, eodem tempore, cum coetus nobilium regni conformatus est, hac nominatione erant nominatae possessiones, quas reges praesertim pro certis officiis militaribus exsequendis dono dare soliti erant, ergo ubi necessitudo "conditionalis" possessorem praedii cum rege coniunxit. "Conditionalis" quidem erat villa, at haec est significatio prior vocabuli, in qua rustici angariam quandam facientes habitabant, cum ergo necessitudo iobagionem cum possessore praedii

coniunxit. Vocabulum in veterima conscriptione accurata, quae de possessionibus ecclesiasticis superest, in recensione bonorum praepositurae Demesiensis anno 1138 facta adhuc non invenitur. (Diploma Belae II. anno 1135 editum, in quo "homines condicionales" sunt memorati [Pannonh. VIII, pp. 273, 266] scriptum falsum saeculi XIII medii est.) In hoc "mansiones servorum", "nomina servorum" enumerantur, catervae quae-dam ex officiis suis nominantur, membra tamen harum catervarum "servi" sunt dicti (Mon. Strig. I, pp. 88 sq.). In conscriptione Tichoniensi anno 1211 facta, in qua res sociales multo magis dispositae — ordinibus, qui e statu obligationis eminuerunt, adnotatis — describuntur, primum est usitatum attributum "condicionalis" ("servicia et nomina populorum, ioubagionum, vdornicorum ac omnium conditionalium hominum". Pannonh. X, p. 503). Vocabulum tamen lente est inveteratum, nam recensio monasterii in Monte Sacro Pannoniae iussu Belae IV. annis 1237—1240 ab Albeo facta id omittit (Pannonh. I, pp. 771 sq., 570 sq.) et tantum a medio saeculo XIII universe usitatum fit (Pannonh. X, pp. 25 sq.). Tunc, secunda parte saeculi vere usu recipitur, at saeculo sequenti iam tantum disperse provenit, circa annum autem 1350 locum dat vocabulo "iobagio" (Pannonh. X, p. 452). Ex his relatio Gestorum rebus medii saeculi XII haud congruit et veri similiter a magistro Acus insertum est (Mályusz 1971, pp. 24 sq.). Descriptio congregationis generalis iuxta Aradinum — caput 160 Gestorum — propter complures anachronismos adnotata ab investigatoribus omnino saeculo XIII conscripta atque excerptum posterius partis sequentis chronicis Th. — id est capitis 161 Gestorum — putata est. Sed si momenta evidenter posteriora omittimus e textu Gestorum, in quo congregatio Aradiensis descripta est, in capite 160 narrationem concinnam, quasi rotunde constructam invenimus, quae tota radices in problemata illius aetatis penitus immittit, sic nemini dubium esse potest, quin narratio fida et proxime ad illud tempus adnotata sit. Igitur ex anachronismis in descriptione inventis haud perspici potest, quo tempore ipse textus totus conscriptus sit, hi non nisi ut mutationes textus ab interpolatore saeculi XIII factae intelligendi sunt. Congregatio generalis iuxta Aradinum sine dubio ante adventum Borich habita est, qui mense Iulio anno 1132 ad fluvium Sajum pervenit, itaque congregationem haud dubie adhuc anno 1131 habitam credere possumus (Kristó—Makk 201 sq.).

Leuiatan — Monstrum mirabile est, quod in Sacra Scriptura memoratur. Cf. Job 3, 8; 40, 20. Is. 27, 1.

invitabant Borich ... sibi vendicaret — Tempus incursionis Borich — annus 1132 —, quod in Gestis non est adnotatum, e Continuatione Chronicae Cosmae Pragensis constitui potest, quod a scriptore Annalium Gradicensium quoque affirmatur (Gombos I, pp. 136, 442). Series rerum e narrationibus Gestorum, Continuationis Chronicae Cosmae Pragensis, Chronicorum Othonis Frisingensis (Gombos III, p. 1765), quae alterae alteras supplement, restitui potest (cf. Pauler I, pp. 240 sq.).

Borich itaque ... Polonorumque auxilio — Borich, qui nepos Vladimiri Monomachi fuit, imprimis ab avunculo, Mstislao, a magno principe Kioviae (1125—1132) adiuvari debuisset, quod auxilium tamen non accepit. Aula Byzantina ei uxorem domo imperatoria ortam attulit, at armis eum adiuvare abnuit. Eo magis dux Poloniae, Boleslaus III. (1106—1138) occasione uti promptus erat, ut rebus gerendis Hungariae se immisceret, cuius studiis finium regni sui proferendorum, postquam dominationem parte Pomeraniae occupata usque ad mare Balticum atque in Przemyśl protulit, hic casus bene accommodatus fuit. Vocabulum “auxilium Rutenorum” in Gestis adnotatum sic sectatores Russicos ipsius Borich significare potest (cf. Hóman, M. Tört. I, p. 371).

Seo — V. caput (36.), sent. 218.

445 *Infideles* — Notio “infidelitas” est vocabulum maxime proprium iuris feudalis, cum necessitudo et officia inter seniorem et vasallum fidelitatem praescribuntur, atque fides horum officiorum rupta nominatur infidelitas. In terminologia iurisdictionis Hungaricae “infidelitas” ante saeculum XIII haud appetit. Primis annis regni sui adhuc Andreas II. quoque tantum pluribus verbis pro vocabulo “infidelitas” usus est, quae primum sine periphrasi in clausula bullae aureae Andreeae II. anno 1222 editae legi potest. Scriptor Gestorum notionem “infidelis” accuratius explicaturus vocabulis “proditor” et “traditor” est usus. Quaeritur, an possibile sit tamen putare hanc partem Gestorum non prius aetate Geysae II. conscriptam esse (Horváth op. cit. ItK 70 [1966] 271. De notione “infidelitas” v. adhuc Bónis Gy., Első törvényeink sorsa és az egyházi menedékjog [= Casus primarum legum Hungaricarum et ius asyli ecclesiastici], Regnum. Egyháztörténeti Évkönyv [= Annales historiae ecclesiae], 1938—1939, 84.).

mussitabant inter se incerta — In omnibus variantibus Gestorum vocabula: “musitabant incerta” legi possunt (SRH I, 448).

segregaverunt edos ab agnis — Cf. Matth. 25, 32.: sicut pastor segregat oves ab hoedis.

446 *Lampertum comitem* — Idem est atque comes Lampertus de genere Hont-Paznan ortus, cuius prima uxor erat soror natu maior Sancti Ladislai et qui inter annos 1127 et 1131 cum secunda uxore sua, Sophia et cum filio monasterium Praemonstratense in Bozók (hodie Bzovík in ČSSR) fundavit, anno autem 1124 in comitiva Stephani II. interfuit bello in Dalmatia gesto, atque unus erat ex proceribus, qui una cum rege iure iurando se obligaverunt, ut iura civitatum Spaleti (hodie Split) et Tragurii (hodie Trogir) observarent (Karácsonyi II, pp. 184 sq.; Pauler I, pp. 232 sq., 474; Makk op. cit., in AU Szeged. AH 40 [1972] pp. 43, 47; Fejér VII/5, pp. 100 sq., II, pp. 80 sq.).

frater eius germanus — Secundum diploma regis Belae II. anno 1135 scriptum, in quo bona monasterii Bozokiensis enumerata sunt, comes Lampertus fratrem germanum, nomine Ippolytum habuit (Fejér VII/5, p. 103.).

cum sedili quodam — Vocabulum “quodam” deest cunctis variantibus Gestorum praeter V_3 , et in illis locus vocabuli vacuu remansit (SRH I, 449). Quoniam Th. ipsum vocabulum, quod ceteris codicibus deest, ita reddit, ut in V_3 legi potest, coniecturam affirmat, ex qua exemplum Gestorum, quo Th. est usus, codex varians quidam ad V_3 proximus fuit.

Nicolaum ... decollaverunt — Secundum diploma anni 1135 memoratum filius comitis Lamperti, qui una cum patre monasterium fundavit, vere Nicolaus est nominatus (Fejér VII/5, p. 100).

de genere Akus — Nomen in V_4 et V_5 : Akus, in ceteris variantibus Acus scriptum est (SRH I, 449). Genus Acus v. caput (36.), sent. 218. Genus imprimis in comitatibus Pestensi, de Scilag (Hungarice Szilágy, Rumanice Sălaj), Bihoriensi, Borsodiensi et Gemeriensi erat possessor (Karácsonyi I, pp. 95 sq.). Nomen Moynolth in forma “Magnoldo comite” in diplomate — falso quidem — anni 1124 appareat, quod diploma Stephani II. fundationale anno 1075 editum monasterii Sancti Benedicti iuxta Granum aedificati confirmat (Pauler I, p. 477; Fejérpataky, II. István pp. 29 sq.; Makk op. cit., in AU Szeged. AH 40 (1972) pp. 43 sq.).

ceperunt Lampertum ... ibidem occiderunt — Pauler fuit primus, qui protulit sententiam, ex qua scriptor Gestorum caudem Aradiensem et caudem posterius factam describens duas versiones eiusdem rei enarrat, quarum prima, in qua regina Helena producitur, tempore posterius orta est (II, pp. 611 sq.). Sententiam Pauler accurata analysi artis criticae adhibita Domanovszky approbare studuit. Quod secunda versio prius conscripta esset, Domanovszky argumentum grave putavit id, quod haec versio copiosior esset, atque scriptor huius occisos nominatim notos haberet, immo ne id quidem ignotum scriptori esset, quo modo illi occisi fuissent (A budai krónika [= Chronicon Budense], Száz. 36 [1902] 822; op. cit. Ungarische Rundschau 1 [1912] 789). Vocabula primae versionis, quae ad illud tempus parum apta sunt, quale est exempli causa “villa conditionalis”, coniecturam Domanovszky probare possint, sed pars Gestorum a “priore” auctore scripta quoque vocabulum (“de genere”), quod proprium saeculi XIII est, continet. Manifestum igitur est — quoniam vocabula huiuscmodi etiam interpolata esse possunt — hoc modo constitui non posse, quo tempore duae descriptiones ortae sint. Si sententias duarum descriptionum inter se comparamus, refutatur coniectura prior historiographorum atque probatur id, quod res, quae in duabus descriptionibus adnotatae sunt, inter se tempore, loco et rebus discrepant (Kristó—Makk 201 sq. V. prius similiter Angyal D., l. cit. Száz. 46 [1912] 774).

de genere Symad — Genus, cui hoc erat nomen, in fontibus non apparent. Pauler possibile putat eum cognatum illius Marci filii Sima fuisse, qui regi Colomano suasit, ut Almum et Belam II. caecos redderet (I, p. 242). Item Pauler nomen personae Sima cum vocabulo loci Simárd (Simárd) in comitatu Borsodiensi siti coniungit atque in hoc vocabulo loci nomen generis Simád servatum esse arbitratur. Mirum in modum prope locum

Simánd secunda parte saeculi XIII “Markus” (de Perezne, hodie Parasznya) et “Simon filius Thyodori” memorantur, quod fors quidem esse potest, tamen sic quoque intellegi potest, quod nomina personarum Marcus et Theodorus in eodem genere repetita monumenta rerum ineuntis saeculi XII, id est uno et dimidio saeculo prius gestarum fuerunt (Pawler I, p. 478). Cognitione Pawler contradicit, quod nomen generis Simád vocabulum loci sibi sine dubio compar non habet (Kristó—Makk—Szegfű II, p. 39), nam vocabula locorum Simád vix huiuscemodi putari possunt. Vocabulum quidem loci Simárd in comitatu Borsodiensi siti (in hac forma v. J. Lipszky, Repertorium locorum objectorumque ... Hungariae ... Budae 1808, p. 593; Magyarország helynévtára [= Collectanea vocabulorum locorum Hungariae] ... Pest 1863, p. 708) documentum medii aevi non habet. E conjectura Karácsonyi forma “Symad” pro Gymad vel Gywad falso scripta sit, quae autem forma nominis genus vetus et dives Gyowad significat, cuius inter membra saeculo XIII erant ii, quorum nomen erat Theodorus (Tyodor) (A megvákitott Álmos herceg krónikása [= Chronographus ducis Almi caecati], Száz. 61—62 [1927—1928] p. 590).

Folcus — Ut Pawler arbitratitur, hic identificari potest cum patre illius Kadar (“Kadar filius Folcus”), qui secundum diploma quoddam anni 1214 prope Varadinum erat possessor (I, p. 478).

Sanson ... *Thomas et Thurda* — Primis annis regni Belae III., inter annos 1173—1175 in comitiva regis erat “Thomas comes filius Samsonis” (Wenzel I, p. 69), anno autem 1193 in comitatu Simigiensi ut possessores finitimi habitabant filius comitis Thomae et filius Turdae (Mon. Strig. I. 143 sq.). Samson, Thomas et Turda, qui in diplomatibus memorantur atque membra generis Geur (Győr) sunt, sine dubio identificari possunt cum personis in Gestis nominatis (Pawler I, pp. 477 sq.). Quoniam eodem tempore vivebant, id quoque affirmatur, quod scriptor, apud quem Samson ut pater comitum Thomae et Turdae memoratus est, vere aetate Geysae II. vel Stephani III. vixit. Exeunte saeculo XII, cum comites Thomas et Turda iam de vita migraverunt, ipse eos vix nominavisset (cf. Pawler Gy., *Anonymus külöldi vonatkozásai* [= Relationes externae Anonymi], Száz. 17 [1883] 108).

447 *Johannes ... Symigiensis prepositus* — Bela II. inter annos 1135 et 1138 in tribus diplomatibus ostendens personam, quae diplomata sigillo consignavit, Iohannem nominat, muneri eius autem prius nomen “notarius”, mox — anno 1138 — nomen “cancellarius” dat. Ex hac diuturna proprietate muneris “notarii” demonstratur institutum cancellariae regiae stabilitum esse (Fejérvataky pp. 22 sq., 90; Idem, II. Béla király oklevelei [Diplomata regis Belae II.], Akadémiai Értesítő [= Acta Academica] 11 [1900] 546, 549; Jakubovich E., Adalékok legrégebb nyelvemlékes okleveleink és krónikáink íróinak személyéhez [= Additamenta ad personas scriptorum diplomatum chronicorumque veteriorum Hungaricorum, in quibus monumenta linguae continentur], MNy 21 [1925] 25; Szentpéteri p. 56).

Titulus “Symigiensis prepositus” munus unius ex membris monasterii in Monte Sacro Pannoniae significare potest. Anno 1233 in diplomate quodam nomine est memoratus “prepositus Symigiensis” quidam illius temporis inter monachos ordinis Sancti Benedicti in Monte Sacro Pannoniae (Pannonh. I, pp. 535, 715), et cancellarium Iohannem decessorem illius fuisse putare possumus (Csóka J. L., *Ki volt Anonymus?* [= *Quis fuerit Anonymus?*] MNy 58 [1962] 342). Officium praepositi Simigiensis fuit possessiones monasterii, quae in comitatibus Simigiensi et Zaladiensi procul sitae erant, gubernare (Pannonh. I, p. 542). Cancellarius Iohannes igitur monachus esse potuit contra usum posteriorem cancellariae, cum praepositi praeverant capitulis cathedralibus vel capitulis collegiatis et ex horum redditibus magnas pecunias sibi ceperant. Diplomata narrationem scriptoris Gestorum affirman, quae autem supplet conjecturam e diplomatibus captam. Nam id, quod Iohannes munere cancellarii regii fungebatur, confirmari potest non solum per spatium quattuor annorum (1135–1138), sed etiam per spatium trium annorum antecedentium (1132–1134), si iam anno 1132 hoc munere functus est. Haec interpretatio vocabuli “prepositus Symigiensis” hoc modo unicam difficultatem habet, id enim, quod intellegi non potest, cur conventus in Monte Sacro Pannoniae partem possessionum quandam gubernandam illi membro tradiderit, qui in comitiva regis commorans non nisi per intermissiones et intervalla hoc munere fungi potuit. Atque ideo praepositus Simigiensis forsitan praepositus monasterii ordinis Sancti Benedicti de Simigio (hodie Somogyvár) fuisse intellegendus sit, id est vicarius abbatis, prior monasterii. Saeculo XI Francogalli priorem monasterii praepositum (prévôt) nominabant atque in ipso quidem diplomate fundationali monasterii de Simigio legere possumus primum abbatem monasterii antea praepositum fuisse (“Petrus prepositus, qui postea primus inde abbas effectus est.” Marczali, Enchiridion 101 sq.; Baumgarten op. cit. Száz. 40. [1906] 395, 405). Quia monasterium de Simigio in diplomatibus suis ut locus creditibilis “conventus ecclesie de Symigio” nominatum est, prior monasterii praepositus Simigiensis dici potuit. Potius cogitare possumus hunc praepositum in aula regia diu commoratum fuisse, quam illum praepositum Simigensem, qui inter monachos ordinis Sancti Benedicti in Monte Sacro Pannoniae erat. Ministerium in cancellaria prioris monasterii de Simigio necessitudinem culturalem cum Francogallis iunctam esse — quae necessitudo usui scripturae multum valuit — comprobare videtur. Monasterium enim de Simigio non solum ipsi abbatiae St. Gilles in Francogallia meridionali sitae subiectum erat tantopere, ut huius abbas, Odilo anno 1091 adesset, cum monasterium de Simigio consecratum est, sed etiam usque ad saeculum XIII abbates origine Francogalli monasterio de Simigio praeverant, et quia secundum Chronicon Alberici, qui medio saeculo XIII obiit, in monasterio de Simigio “non solent recipi nisi Franci” (Gombos I, p. 27, ad annum 1078), in numero monachorum autem inveniuntur, qui nomine Francogallico sunt nominati (Pannonh. XII/B. pp. 149 sq.; Baumgarten op.

cit. 389 sq.), sumi possit etiam cancellarium Iohannem, qui in Gestis memoratus est, Francogallum fuisse. Nomen patris, qui Otho est nominatus, quod nomen in transcriptionibus posterioribus duorum diplomatum Belae II. in formis Woth atque Tybus appareat, proprietate sua Teutonica ortum Francogallicum cancellarii Iohannis refutare videtur. Csóka (p. 480) hunc Othonem cum illo Othone coniunxit, qui origine Teutonicus fuit et de genere Geur (Györ) ortus est atque fundator abbatiae in Zelyz (hodie in villa Zselicszentjakab) erat. Sed pro forma “Othonis”, sicut Th. consentiens cum V_2 et V_3 nomen describit (SRH I, 450), in autographo forma “Odonis” esse potuit, quae forma fortasse a scriptoribus in formam Teutonicam transformata est, nomen autem in forma “Odo” scriptum saeculo XII valde frequentatum apud Francogallos erat. — Karácsonyi (op. cit. Száz. 61–62 [1927–1928] 588 sq.) e nomine Woth (Bot) “notarium” origine Hungarum esse arbitratur, vocabulum autem “Symigiensis” formam depravatam nominis “Gymisiensis”, “Dymisiensis” putans munus eius cum munere praepositi Demesiensis (hodie Dömös) identificat atque ipsum notarium scriptorem illarum partium Gestorum fuisse credit, in quibus res ducis Almi et Belae II. tractantur. Haec cogitatio Karácsonyi a historicis haud approbata est. Difficile enim esset consilia eius probare, quoniam ea haudquaquam in concentum redigi possunt cum ea re, ex qua, ut in diplomate Demesiensi anno 1138 edito legi potest, praepositus Saul est nominatus, cancellarius autem Iohannes, atque ita etiam id conjectandum esset, ut tunc scriptor rerum rami Almi iam e vita cessisset, ab hac re autem ratio scribendi auctoris huius partis Gestorum, in qua res Geysae II. continentur, omnino abhorret. Juhász (op. cit. FK 12 [1966] 48) auctorem Gestorum Iohannem fuisse iterum protulit. Secundum Juhász ille, qui enuntiationem “ad consilium … venerant” conscripsit, probabiliter verba “venire” et “ire” distinguere potuit, igitur testis auritus oculatusque rerum fuit, sive Iohannes ille erat, sive alias quis.

comitem Bud — Domanovszky, quamquam prius adhuc dubitavit, an aetates conici possent (op. cit. Ungarische Rundschau 1 [1912] 789), illum comitem Zaladiensem nomine Bod in mente habuit, cuius filio Korus nominato anno 1130 Stephanus II. possessionem impertivit (SRH I, 450, adnot. 12). Controversia decernitur eo, quod diploma anni 1130 falsum est, nam aetate posteriore est scriptum, ergo nullius pretii est (Reg. Arpad. I, num. 55).

pedites — In cunctis membris familiae Chronicus Picti forma falsa “pedes” invenitur (SRH I, 450), forma recta “pedites” (v. Juhász op. cit. FK 12 [1966] 48) tantum apud Th. legitur.

448 *consensu totius regni* — Vocabulum “totum regnum” iterum proceres significat.

449 *duces ... adiuvarē Borichium* — Defectionem procerum, et quod ipsi Boleslaum destituerunt, etiam episcopus Cracoviensis Vincentius Kadlubek (obiit anno 1223) in opere suo, in Historia Polonica memorat putans cladem

Polonorum fraude eventam esse (Gombos III, pp. 2289 sq., cf. Pauler I, p. 477).

consilio et auxilio — Vocabulum “divino fretus auxilio”, quod in parte superiore Gestorum invenitur (SRH I, 332), hoc loco Gestorum iteratum est (SRH I, 451). Th., cum vocabulum “consilio et auxilio” descriptis, notam primam temporis vasallitici expressit. “Consilium” et “auxilium” dare debitum fiduciarium erat, quo debito omissio status vasalliticus existere non potest. Th. scribens vocabula “et consilio” quasi ultro — non voluntarie — inseruit itaque orationis flosculum in vocabulum sententiam socialem habens commutavit.

conclusit ... in morte — Ps. 77, 50: in morte conclusit.

in ipsa ... Marie Magdalene — Id est die 22 mensis Iulii anno 1132.

Myksa — Identificari potest cum illo comite Miska, qui ineunte anno 1137 teste diplomate quodam circa Belam II. se tenuit, cum rex filium secundum, Ladislaus quinque annorum ducem Bosnae declaravit (Fejérpataky L., A Gutkeled-biblia [= Biblia Gutkeled nominata], MKSz N.S. 1 [1892/3] 14; Pauler I, p. 246). Filius comitis Miska (Myske) in diplomate Stephani III. anno 1164 edito memoratur (Reg. Arpad. I, num. 105).

Bathur — Sic in *V₃* (SRH I, 452) invenitur.

Gaab — Circa annos 1163/4 rex Stephanus III. possessionem filio Gab, 450 cui nomen erat Botus, impertivit, sic remunerans eum praemio, quia ille regi a pueritia fideliter serviebat, se comitem adiunxit, cum Stephanus III. patrum suum, Stephanum IV. fugiens in Austriam perfugit, in comitiva regis erat, cum hic Posonium reversus est atque etiam in certamine supremo ad Albam Regiam commisso. Haec verba Stephani III. probabile, ceterae autem commemorationes certum reddunt id, quod pater condonati idem est atque Gaab ille, qui in pugna anno 1132 commissa aderat. Nam e diplomate Stephani III. patefit, quod proavi Gab, liberi Hungari, ad paupertatem redacti sunt, in ministerio ecclesiae Colocensis fuerunt, sed ipsum Gab Geysa II. in aulam suam assumpsit, propter fidelitatem magni aestimavit et dilexit atque etiam filium eius, Botus Geysa II. ad famulatum heredis regni constituit. Praemium quidem Botus est praeter possessionem honos, quo definite solitus officiis, quae exequi ecclesiae Colocensi debuit, in aula regia ministeria facere potest, id est membrum latioris comitivae regiae fit, et iuribus praecipuis privilegiatorum fruitur, qui prima parte saeculi XIII servientes regis, posterius nobiles erant nominati (Hazai Okmt. VI, p. 3; Reg. Arpad. I, num. 104. Cf. Váczy op. cit. Száz. 61—62 [1927—1928] 262).

fratrem ... Polonum — Nil propioris de eo notum habemus. (Cf. R. Roepell, Geschichte Polens [Allgemeine Staatengeschichte], Hamburg 1840, I, p. 292).

elegantissime — Adverbii minus usitati forma attributiva (“elegantissimus rex”) est usus scriptor diplomaticus fundationalis monasterii de Simigio (Baumgarten op. cit. Száz. 40 [1906] 404; Marczali, Enchiridion p. 101), qui Francogallus erat (Baumgarten op. cit. 397).

regnum confirmatum est in manu — Reg. 3, 1: confirmatum est igitur regnum in manu. Sicut apud Th., etiam in *V.*: “est”, in variantibus ceteris Gestorum: “esset” legi potest (SRH I, 452).

Poch et Saul — Erant membra generis Geur (Győr), quibus nomen fuit Pot (Pat) et Saul (Karácsonyi II, pp. 96 sq.), ex quo Pauler conjecturam acutam facit, secundum quam ipsos ut cognatos Samson adversarii morte multavisce videntur (I, p. 478). Ut E. Jakubovich (op. cit. MNy 21 [1925] 25) arbitratur, hic Saul identificari potest cum praeposito, qui in diplomate fundationali Demesiensi est memoratus.

in ebrietate sua — Secundum Domanovszky (op. cit. Száz. 67 [1933] 184) hic locus ipse longe maxime discrepat cum textu Gestorum, in quo verba ramo Almi faventia continentur, vocabula huiuscemodi de Bela II. non prius, quam ultimis annis saeculi XII vel primis annis saeculi XIII describi potuerunt. Contra haec Horváth (pp. 273 sq., 277) possibile putavit hunc locum Gestorum quoque illum chronographum aetatis Stephani III. conscripsisse, cuius ironiam hic et in nonnullis locis Gestorum ipse noscivit.

interfecti sunt — Textum Gestorum a vocabulis “Quia vero Hungari” (sent. 444) usque ad haec verba tantum membra familiae Chronicorum Picti continent, unde Th. quoque illum transcripsit.

Regnavit ... diebus duodecim — Hoc spatium temporis regni Belae II. in cunctis monumentis historicis Hungaricis constitutum est (Mátyás, Chronol. pp. 22 sq.). Th. ultimas enuntiationes huius capituli scribens ad textum familiae Chronicorum Picti se accommodat et vocabula “et fuit pius rex” omittit, quae in textu familiae Chronicorum Budensis post vocabula “diebus XII” scripta sunt. Haec “pietas” sine dubio contraria est “ebrietati”, quae solum in textu familiae Chronicorum Picti memorata est (Domanovszky op. cit. Száz. 36 [1902] 830, adnot. 3).

Migravit ... feria quinta — Anno 1141 dies 13 mensis Februarii vere die Iovis erat. In Necrologio Admontensi quoque die 13 Februarii Belam II. mortuum esse adnotatum est (Gombos II, p. 1668). Exinde renumerans 9 annos 11 menses 12 dies, tempus, quo Bela II. regnum iniit, dies 1 mensis Martii anno 1131 erit. Quia Bela II. die 28 mensis Aprilis anno 1131 rex coronatus est (SRH I, 446), regnum suum sine dubio a die obitus Stephani II. computatum est (Mátyás, Chronol. p. 22). Quamquam hoc non est insolita ratio computandi, si tamen spatium temporis, quod inter dies veras epochales Belae II. peractum est — id est a die 28 mensis Aprilis anno 1131 usque ad diem 13 mensis Februarii anno 1141 —, constituitur, ex hoc 9 anni 9 menses et 15 dies difficiuntur. Et forma numeri IX facile in formam XI, et forma numeri XV in formam XII depravari potuit (Makk op. cit., in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 39).

cuius corpus Albe quiescit — In ecclesia Albensi ante Belam II. e decessoribus eius tantum Sanctus Stephanus et Colomanus sepulti sunt, dehinc autem, etsi non sine ulla exceptione haec ecclesia facta est locus

sepulturae regum Hungariae usque ad tempus, cum Hungaria sui iuris esse desiit (Pauler I, p. 249).

⟨92.⟩

Caput ab anonymo aetatis Stephani III. conscriptum est.

De coronatione ... gestis sequitur — Index idem est atque index capituli V,⁴⁵¹ (“De coronatione regis Geysae, filii Belae Ceci”, SRH I, 453), cum textu Chronici Budensis (“Mortuo rege Bela Coco rex Geysa secundus filius eius primogenitus coronatur”, SRH I, 453) addito. Ultima pars indicis a Th. est conscripta.

Dedit enim ... puero suo — Vocabulum, sicut laudatio similis Belae II., quae in versibus primis capituli superioris legi potest, et tempus scriptoris et rationem scribendi eius illustrat.

in die ... coronatus est — Festum Sanctae Caeciliae incidit in diem 22 mensis Novembris, Geysa II. autem, ut in variantibus Chronici Budensis legere possumus, die dominica Invocavit, id est die 16 mensis Februarii coronatus est, quod adnotatione sequenti variantium affirmatur: “transactis duobus diebus post mortem patris” (SRH I, 453). Nomen Caecilia e lapsu in scribendo pro Iuliana inseri potuit. Nomen Iuliana in calendariis Hungaricis medii aevi saepe invenitur (Knauz pp. 511, 204).

subiectaque ei ... regum vertit — Is. 45, 1: subiciam ante faciem eius gentes et dora regum vertam.

a facie gladii — Is. 21, 15; Job 19, 29.

Rapolth ... Alamanus — Rapolt est forma Hungarica nominis Liutoldi (Liutpold) et indicat comitem Liutoldum Plaien. Secundum Continuacionem Admuntensem: “comites Herimannus et Luitoldus castrum Prespurch fraude invaserunt” (Gombos I, p. 751). Id, quod nomina familiarum duorum comitum Beugen atque Plaien sunt, explicatum dici potest (Huber I, p. 228; Pauler I, p. 489).

Rapolth .. Iuliani comitis ceperat — Comes Iulianus unus erat e proceribus, quibus praesentibus (“presentibus nobillimis regni testibus”) rex Geysa II. praescriptum affinis abbatis monasterii in Monte Sacro Pannoniae anno 1146 sigillo suo confirmavit (Pannonh. I, p. 598), anno 1157 autem ipse rex donationem archiepiscopo Strigoniensi fecit (Mon. Strig. I, p. 111). Iulianus, qui ad annum 1146 est memoratus, sine dubio identificari potest cum comite Posoniensi, qui in Gestis memoratur, nil tamen obstat, quominus etiam Iulianus quidam anni 1157 cum hoc identificetur. Quod si ita est, Iulianus propter detrimentum acceptum in invidiam regis non incidit, in posterum quoque membrum comitiae regiae mansit, quae res explicat, cur ipse in Gestis tam indulgenter tractatus sit. In omnibus

variantibus Gestorum inter vocabula “ex” et “probitate” lacuna ostenditur, atque vocabula “industria et” tantum apud Th. legere possumus. Supplementum ab ipso Th. ortum esse potest, nam vocabula “industria” et “probitas” synonyma sunt et primum vocabulum tantum scriptor quidam secundo adiungere potuit, qui Iulianum comitem Teutonicum fuisse creditit. Antonius de Bonfinis textum Th. sequens rem vere sic comprehendit, immo quidem ita intellexit etiam A. Huber (MIÖG 4 [1883] 134), sed postquam historici Iulianum Hungarum fuisse percepérunt, necesse factum est, ut rerum sciptores posterioris aetatis a saeculo XVIII vocabulum “probitas” in sententia verbi simplicitatis, stultitiae comprehendenter (Paurer I, p. 489). Scriptor Gestorum bene notum habuit, quis Iulianus esset, sed ne id quidem ei haud ignotum fuit, quod Posonium propter neglegentiam Iuliani in potestatem Teutonorum redactum est, comitem Hungaricum propter incuriam eius laudare nequivit, atque ideo loco vocabuli “probitas” aliud vocabulum quoddam scriptum esse debuit. Hoc vocabulum quidem apud Othonem Frisingensem invenire possumus: “quidam milites de Orientali marchia egressi Pannoniam latenter ingrediuntur ac noctu castrum Bosan, quod olim imperator Heinricus obsidione cinxerat, ex improviso aggressi capiunt, quibusdam comprehensis, nonnullis occisis, aliis per fugam elapsis” (Gesta Friderici I, 30, 31, Gombos II, p. 1766). Nimirum iuxta vocabulum attributi possessivi “Iuliani comitis” etiam vocabulum, quod proprium eius significat, in textu Gestorum necesse erat; hoc vocabulum “inprobitate” esse potuit, quod in V₄ legi potest (SRH I, 453). Quod res ipsa, id est occupatio Posonii anno 1146 hebdomade Pascham (diem 31 mensis Martii) sequenti accidit, e fontibus Teutonicis accurate constitui potest. Ex his regnum appetens Borich iterum temptavit regnum Hungariae sibi comparare, nunc tamen non ope Polonorum, sed Teutonorum adiutus. Borich, cui dux Bohemiae Vladislavus II. se comitem adiunxit, regem Teutoniae Conradum III. adiit, qui similiter atque etiam frater, marchio Austriae et dux Bavariae Henricus II. (Jasomirgott) fecit, ei concessit, ut mercennarios Teutonicos conduceret et cum his e terra Austriae in Hungariam impetum faceret. Mercennarii igitur Borich fuerunt, qui repentina impetu nocturno — huius rei mentio etiam in Gestis inferius facta est — Posonium ceperunt, qui autem, postquam rex Geysa II. cum exercitu cito collecto eos circumvenit et nec a rege Teutoniae, nec a marchione Austriae adiuti sunt, pro pondo 3000 castrum dediderunt (Paurer I, pp. 260 sq.).

rex adolescens — Scriptor Gestorum aetatem regis accuratissime adnotat. Geysa, qui anno 1130 est natus, anno 1146 iam vere adolescens fuit secundum sententiam hominum medii aevi, quam sententiam Isidorus Hispalensis descripsit. (V. caput (55.), sent. 252.)

acquievit — In cunctis variantibus Gestorum: “silenter quievit” (SRH I, 453) legi potest.

452 *cesar* — Scilicet rex Teutoniae Conradus III. (1138—1152) e familia

Hohenstaufen est. Coronari quidem contigit ei corona Langobardensi, sed corona imperatoria non, atque ita scriptor Gestorum — quamquam e consuetudine — haud recte eum “cesarem” nominat. Belli pacisque consilia erga Hungariam principio benigna habuit, quod in eo quoque apparuit, quod anno 1139 filio suo, Henrico filiam Belae II., Sophiam despondit, sed brevi aliter se gessit et vi coegit, ut Sophia anno 1145 vitam monachalem sibi assumeret. Anno 1146 discordia cum Polonis orta suum animum totum detinuit (Pawler I, pp. 249, 258 sq.; Hóman, M. tört. I, pp. 372 sq.; Deér p. 122).

universum fere ... Hungariam commoverat — Scriptor Gestorum falso dicit regem Teutoniae aggressorem fuisse. Re vera Geysa II. erat primus impulsor, qui Posoniensem calamitatem sibi illatam ulcisci voluit. Item in Gestis vis exercitus Teutonorum in maius prolata est.

Herricus ... secum adduxerat — Henricus II. (Jasomirgott) de Babenberg potestatem et id, quod familia sua cognita spectataque facta est, e coniunctionibus affinitatis nactus est. Nam per matrem, quae filia imperatoris Henrici IV. et vidua Friderici Hohenstaufen erat, ipse Henricus II. de Babenberg frater ex eadem matre natus regis Conradi III. fuit, qui anno 1141 eum marchionem Austriae fecit, anno autem 1143 ducatum Bavariae ei demandavit. Scriptor Gestorum eum ducem Austriae falso nominat, quoniam Austria tantum anno 1156 ducatus facta est (Uhlirz I, p. 67).

pupilli — In cunctis variantibus textibus Gestorum “populi” est scriptum (sicut etiam in b et a) praeter V₂, in quo vocabulum “pupilli” (SRH I, 454) ostendit, quod in textu primo vocabulum “pupilli” esse debuit.

Herricus ... competebant — Marchio Austriae Henricus II. anno 1142 uxorem duxit viduam Henrici, ducis Bavariae et Saxonie, Gertrudem, quae filia erat imperatoris Romanorum Lothari III., atque ita tutor Henrici Leonis factus est, qui (anno 1129 natus) matris voluntati satisfaciens anno 1143 Bavariam vitrico cessit (Huber I, p. 227). Scriptor Gestorum errat ostendens marchionem Henricum ut tutorem pupilli exercitum Bavanicum in potestate habuisse et in hoc statu suo a Saxonibus adiutum esse. Huber ex hoc errore conjecturam magni momenti cepit auctorem nullo modo aequalem fuisse, at necessario opus suum multo posterius conscripsisse (MIÖG 4 [1883] 134). Hanc opinionem iam Domanovszky refutavit (Ungarische Rundschau 1 [1912] 790 sq.). Sententiae scriptoris Gestorum, quae ad annum 1146 relatae falsae sunt, ad annos ultimos regni Geysae II. et ad tempus regis Stephani III. apte convenient. Henricus II. tunc iam vere dux Austriae, Henricus Leo autem possessor ducatus Bavariae et Saxonie erat (H. Simonsfeld, Jahrbücher des deutschen Reiches unter Friedrich I. [Jahrbücher der deutschen Geschichte], Leipzig 1908, I, pp. 468 sq.), itaque scriptor Gestorum tantum ideo reprehendendus est, quod aetatis suae res tempori antecedenti reiecit. Ex hac autem ratione scribendi facilius factum est tempus constituere, quo Gesta scripta sint.

in spiritu ... corde contrito — Ex vocabulis: Ps. 50, 19: “Sacrificium deo

spiritus contribulatos: cor contritum et humiliatum deus non despicies" est conscriptum.

maxime invocabant ... specialiter commendavit — Quamquam cultus Beatae Mariae etiam saeculo X floruit et per totum aevum medium quasi semper crescebat, ita difficile esset in conformatione eius cardines constitue-re, tamen ineunte saeculo XII insigniter discrepavit gradui illi, in quo ante centum annos fuit. Et manifestationes admirationis ardentes Petri Damiani et ordo Cisterciensium constitutus, cuius munus erat cultum Mariae propagare (Hauck, Realenc. XII, pp. 316 sq.), et ostendere Mariam ut patronam Hungariae, haec omnia partes eiusdem processus sunt. Res singularis, id est quod alia regna quoque, sicut Polonia, Austria, quamvis se aequa in patrocinium Mariae dederint, tamen hoc posterioribus temporibus fecerunt, quam Hungari, eo explicari possit, quod cultus Mariae in conscientia Hungarorum opinionibus quibusdam religionis paganae admix-tus sit et his ut antecedentibus opinionibus inniti potuerit (C. M. Ney—Z. Kádár, Un capitulo del folklore centroeuropeo. El culto de la madre de dios en Hungria, Anales de arqueologia y etnologia 10 [1949] 239, 244.) Sententia, ex qua Sanctus Stephanus regnum suum in patrocinium Mariae dedit, primum in legenda Sancti Stephani ab Hartvico conscripta appetat (Waczulik M., Szűz Mária tisztelete keresztenységünk első századában [= De cultu Beatae Mariae primo saeculo Hungarorum Christianorum], Regnum. Egyháztörténeti évkönyv [= Annales historiae ecclesiae], 1938—1939, 62 sq.), haec sententia in Gestis veteribus adhuc non est memorata. Sicut e congruentia constitui potest, fons Gestorum legenda Hartvici est, ex qua Sanctus Stephanus sic oravit: "Regina celi, reparatrix inclita mundi, tuo patrocinio sanctam ecclesiam cum episcopis et clero, regnum cum primati-bus et populo subpremis precibus committo, quibus ultimum vale dicens manibus tuis animam meam commendo" (SRH II, 431).

453 *Rex ... gladio* — Quo modo dignitas militaris Geysae II. data sit, accuratius quam scriptor Gestorum, Otho Frisingensis describit: "rex ... ad quandam ligneam aecclesiam accedit, ibique ab episcopis — nam eo usque in puerilibus annis positus nondum militem induerat — accepta sacerdotali benedictione ad hoc instituta armis accingitur" (Gesta Friderici I, 32 [33], Gombos III, p. 1768). Morem accingendi gladio v. caput 〈55.〉, sent. 253. Descriptio Othonis Frisingensis, quae narrationem Gestorum omnino affirmat, una est ex descriptionibus a pervestigatoribus notissimis aestima-tisque de caerimonia conformanda, qua milites gladio accingebantur (cf. Erben 109, 117 sq.).

confortatumque est... cor eius — Iudith 15, 11: confortatum est cor tuum.

Guncel — Hoc nomen ut nomen personae in diplomatibus Hungaricis aetatis Arpadianae iterum ac saepius invenitur et ut vocabulum loci (Göncél, Göncöl in comitatu Baraniensi [Baranya]) quoque notum est (Kovács, Index pp. 281 sq.; Csánki II, 486; Györffy, Tört. földr. I, p. 310).

obstabant — Textus Th. rectior est, quam vocabulum “obstupebant” in cunctis variantibus Gestorum inventum (SRH I, 455).

clamaverunt ... in celum — Textus Th. propior est ad illos tropos Sacrae Scripturae, quorum paraphrasis est textus Gestorum, quoniam apud eum pro vocabulo “dominum” vocabulum “deum” legi potest: II. Mos. 2, 23: ascenditque clamor ... ad deum; I. Macch. 5, 31: clamor belli ascendit ad coelum; I. Esdr. 3, 11: populus vociferabatur clamore magno (SRH I, 456).

Siculi vilissimi — Vocabulum, quod in Gestis saepius — in capitibus (80.) et (90.) — invenitur, repetitum est.

a furore Theutonicorum — V. caput (62.), sent. 270.

avunculus ... nominatus — Primae editiones textus Th. (scilicet *b* et *a*) repetunt errorem Gestorum, fontis Th., qui error e mendo scriptorum ortus est. Nam re vera banus Beloš patruus avunculus non Belae II., sed Geysae II. erat, et error inde factus est, quod nomen Beloš scriptores nomine Bela confuderunt. Beloš, frater reginae Helenae Bela II. regnante, ut coniectari potest, iam unus ex consiliariis regis erat, postquam Geysa II. regnum adeptus est, banus Dalmatiae et Croatiae factus est, immo simul munere palatini quoque fungebatur. Ut palatinus in diplomatis ab anno 1146 memoratus est. Nomen eius cum munere primo tam coniunctum est, ut civitas Kew in comitatu Sirmensi sita, in qua ipse in honorem protomartyris Sancti Stephani monasterium ordinis Sancti Benedicti fundavit. Bánmonostora ‘Monasterium Bani’ (hodie Banoštov, in Jugoslavia) nominaretur (Paurer I, pp. 250, 480 sq.; Makk op. cit., in AU Szeged. AH 40 [1972] p. 45; v. adhuc Reg. Arpad. I, 81., num. 85; Pannoh. XII/B p. 427; Csánki II, pp. 234 sq.).

gloriosus in milibus suis — Haec verba ex vocabulis capitinis 127 Gestorum (SRH I, 399, Th. (81.), sent. 382): “Opus miles electus ex milibus” conscripta videntur.

electi milites — Cf. cum adnotatione superiore.

455

in ore gladii — II. Mos. 17, 13.

Sed et ... vero fugerunt — Enarratio Gestorum cum descriptione Othonis Frisingensis (Gesta Friderici I, 31 [32], Gombos III, p. 1768) non discrepat, sed eam supplet. E duabus descriptionibus Paurer (I, pp. 261 sq.) proelium die 11 mensis Septembris anno 1146 consertum ante oculos posuit. Locus, ubi pugnatum est, ultra indagines fuit, quae a Moson ad occasum sitae erant et per fluvium Leitam (hodie Lajta, Leitha) porrigebantur et paene ad Danubium extensae sunt. Praesidia Teutonica ad Leitam steterunt. Exercitus Hungaricus utens exploratione prospere impetum facere constituit, antequam omne robur Teutonicum advenit et Leitam transit. Exercitus Hungarorum in tres partes se divisit. Primi levis armaturae vehebantur sagittarii populorum auxiliariorum — Bissenorum, Siculorum — laxatis habenis, quos banus Beloš est secutus una cum catervis comitatuum, postremus autem erat rex cohorte sua militari comitante. Dux Henricus

obstupefactus est Hungaris advenientibus, sed brevi exercitum suum in acie constituit et proelium incepit. Cum militibus suis gravis armaturae Bissenos et Siculos facile fugavit, qui quamquam ipsis resistere non imperatum erat, non fugam capessiverunt, sed una cum ambobus comitibus suis prope omnes ceciderunt. His resistantibus agmen Teutonicorum tam disturbatum est, ut iam confusi inter se cum exercitu bani Beloš conflixerint. Fortuna certaminis atrocis nunc orti ab agmine Geysae II. immisso diiudicata est. Agmen regis disciplina institutum expectavit momentum aptum, et cum exercitus Teutonicus labefieri inciperet, eum circumvenit et totum disiecit ita, ut etiam ipse dux Henricus vix effugeret. Quam atrox proelium fuerit, confessio Othonis Frisingensis testatur: “Cecidit in hoc prelio virorum nobilium et illustrium pars magna, vulgi vero multitudo innumerabilis, maior tamen, ut dicitur, ex Ungaris”.

Hungaris in confinio — Sic in *V₂* et *V₃* legitur (SRH I, 457).

comes Uros — Nomen persaepe invenitur in diplomatibus aetatis Arpadianae (Kovács, Index p. 754), sed de comite Uros, qui medio saeculo XII vixit, adnotatio non est nota.

Gabriel — Comes quidam Gabriel in diplomatibus Geysae II. inter annos 1148–1158 in indice nominum testium saepius memoratus est, quos comites rex circa se habebat, immo quidem anno 1148 hic Gabriel etiam munere magistri dapiferorum regalium fungebatur (Budapest okl. I, p. 3; Reg. Arpad. I, num. 77, 81, 86, 90). Quoniam scriptor Gestorum Gabrielem ut hominem omnibus notum memorat, hic cum comite, de quo in diplomatis mentio facta est, identificari potest.

Otonem — Non est notum, quis hoc nomine nominatus sit, quae res tantum affirmit, quod Th. varianti quodam textu usus est, qui a *V₃* haud procul erat. Nam nomen Otho (“Otonem”) tantum in *V₃* legi potest, dum in variantibus ceteris formae “Accionem, Attonem, Actonem, Acconem” inveniuntur (SRH I, 457).

Post hec ... in morte obsorbuit — Fames ubique diffusa erat. Secundum documenta fontium a Curschmann (pp. 142 sq.) collectorum ea in Belgio, in Francogallia, in Lotharingia, circa flumen Rhenum, in Franconia, in Alemannia, in Saxonia, in Bavaria, in Austria diffusa esse afferetur, ex attributis autem, quibus fames a chronographis describitur (“fames gravissima, permaxima, vehementissima et omni adhuc aetati inaudita”) praeter modum nimia videtur. Secundum coniecturam ex adnotationibus scriptoris Gestorum factam haec fames ne partem quidem orientalem Europae praeterit. Th. hoc caput conscribens textum familiae Chronicorum Picti ante oculos habuit, in quo res non paucis verbis descriptae erant. Contra haec autem in loco his rebus enarrandis comparari familiae Chronicorum Budensis tantum una enuntiatio legitur, quae Geysam die 26 (recte: 16) mensis Februarii, die dominica Invocavit, “transactis duobus diebus post mortem patris” coronatum esse tradit (SRH I, 453).

⟨93.⟩

Caput ab auctore aetatis Stephani III. conscriptum est.

Quomodo ... sequitur — Index ex indice capitinis Chronici Picti conscriptus 456
est: “Cesar Corradus per Hungariam vadit Iherosolimam” (SRH I, 457).

*Circa ... per Hungariam — Causa proxima secundi belli sacri crucifero-
rum (1147–1149) fuit, quod Edessa a Musulmanis capta est. Crucem
Teutoni et Francogalli suscepserunt. Inter Teutonos fuerunt, qui haud
exercitati in armis erant, immo quidem etiam magna multitudo feminarum
aderat. Conradus III. die Pentecostes (die 8 mensis Iunii) anno 1147 ad
fluvium Fiscam castra posuit, iter secundum Danubium ferebat, quod per
Hungariam circa quinque hebdomades durabat (Paurer I, p. 265).*

*non Christi ... predonis exercuit — In Gestis hic verba eadem redduntur,
quibus bellum primum cruciferorum descriptum est: “putans ipsos esse
tirannos et non peregrinos” (SRH I, 421; Th. caput ⟨87.⟩, sent. 412).*

*mater ecclesia — Religione Christiana importata ecclesiae in sedibus
episcopalibus et in sedibus comitum conditae “ecclesiae baptismales” sunt
nominatae. Prae ecclesiis, quae in possessionibus saecularibus et clericis
brevi aedificatae sunt, id est praे oratoriis, ecclesiae baptismales statum
privilegiorum habebant. Quamquam oratoria quoque habebant suos cleri-
cos, sed ii nil nisi missam celebrabant, alia officia, ut communicatio
baptismatis, ius ecclesiarum baptismalium mansit. “Ecclesia baptismalis” in
relatione ad ipsa oratoria “ecclesia matrix” vel “mater” est nominata
(Wetzer—Welte tom. VIII. p. 2070).*

*nulla mater ... monasterium — Scriptor saeculi XII vocabulo “mater”
inserto demonstratus fuit non cunctas ecclesias et monasteria ad victim
exercitus cruciferorum per Hungariam transgredientium collationem pariter
facere debuisse, sed tantum singulas earum hac re oneratas esse.
Collationem facere ecclesiae maiores, illustriores debuerunt, quae quidem
a regibus erant conditae. Ecclesiae a privatis conditae collationibus faciendis
immunes fuisse videntur. Si hae ecclesiae onerari non debuerunt, quia iura
et commoda familiarum vel generum, a quibus hae ecclesiae propriae
conditae sunt, non neglegenda erant, ex hac re coniectari potest, quod
status ecclesiarum propriarum in Hungaria conditarum iam conformatus est
atque quod ratio status huius conformandi re vera valuit.*

*Circa etiam ... timore non offerretur — Memoria belli priore anno gesti ab
utroque populo multo magis servabatur, quam ut sive Hungari sive Teutoni
affectu amico se gerere potuissent. Geysa II. evitaturus detrimentum
maiis, id est collisionem cum armis, large satisfecit postulatis cruciferorum,
tamen annitebatur, ut clerici onera collationis facienda subirent, quam-
quam simul, sicut hoc necessarie effectum est, ignoravit vel probavit, ut clerici
appellando fidelium animos ad beneficia tribuenda paratos onera populo
imponerent. Relationem scriptoris Gestorum de re affirmant, quamquam*

praevalentiam Teutonorum vero in maius extollunt Annales S. Disibodi: "Cuonradus rex Ungariam intrat, ac ducem eorum Wardiz nomine bello petit, igne predaque vastat universa, et rebellem ducem obsides dare sibique iureirando fidelitatem confirmare coartat" (Gombos I, p. 124). Wardiz idem est ac Geysa, huius nominis variantia, inter quae est: Scarditz, v. Gombos IV, [Index, comp. Cs. Csapodi] p. 61). Non multum abest a descriptione Gestorum sententia, quam Francogallicus Odo de Deogilo adnotavit: "Rex autem Hungaricus, sciens se posse vincere facilius auro quam ferro, multam pecuniam inter Alemannos effudit et eorum impetum evasit" (Gombos III, p. 1720).

egregius rex Francorum — Scilicet rex Francogalliae Ludovicus VII. (1137—1180) est.

compaternitatis ... Geyche sociatur — Geysa II., ut constitui potest, exeunte anno 1146 in matrimonium iniit, primus liberorum, qui posterius rex Stephanus III. factus est, anno 1147 nasci potuit. Coniunctio affinitatis "compaternitas" nominata inter duos reges ita effici potuit, ut Ludovicus VII. sponsor infantis factus est (Wertner pp. 315 sq.).

dilectionis nodo — In V_1 et V_5 forma: "dilectione modo", in V_3 et V_4 : "dilectionis modo", in V_2 : "dilectione nodo" (SRH I, 458) legitur.

Cuius cesaris ... in Greciam penetravit — Rex Francogalliae die Pentecostes adhuc in civitate Saint Denis erat, die 29 mensis Iunii in civitate Wormatia (Worms) se continuit et quoniam die 4 mensis Octobris Constantinopolim pervenit, exercitus suus per Hungariam mense Augusto transire potuit (Paurer I, p. 491). Quam benigne a Hungaris acceptus esset, ipse sic Suger, abbatи monasterii Sancti Dionysii (hodie Saint Denis) nuntiavit "Terrarum principes et ovantes occurvant et leti nos recipiunt et libenter deserviunt et honorant devoti" (Wenzel I, p. 59). Capellanus regis Francogalliae, Odo de Deogilo spectator et testis, qui de donis domini sui large donatis refert, occursum eius cum Geysa II. sic describit: "Deinde post oscula, post amplexus statuunt pacem, firmant amorem et ut securi deinceps per Hungariam nostri peregrini transient" (Gombos III, p. 1721). Idem extollit, quod exercitui toti "pro voto nobis fuerunt et forum et concambium" (ibidem p. 1720). Coniunctio familiaris consuetudinem inter Hungaros et Francogallos firmavit, multum contulit, ut magis crescerent cultus et humanitas Francogallorum secunda parte saeculi XII in Hungaria, in rebus autem politicis ipsa quasi compensavit societatem Teutonorum cum Byzantinis eodem tempore factam (Hóman, M. tört. I, p. 376 sq.; K. Hampe, Deutsche Kaisergeschichte in der Zeit der Salier und Staufer, Heidelberg 1968¹², pp. 134 sq.; E. Caspar, Roger II. [1101—1154] und die Gründung der normannisch-sicilischen Monarchie, Darmstadt 1968², pp. 364 sq.; W. Norden, Das Papsttum und Byzanz. Die Trennung der beiden Mächte und das Problem ihrer Wiedervereinigung, New York sine anno pp. 82 sq.).

457 *Gurk* — Nomen personae Gyürk, Györk in diplomatisbus Hungaricis

medii aevi saepe invenitur, quod forma deminutiva blandiensque praenomini "György" 'Georgius' (Kovács, Index pp. 282 sq.; Melich J., Keresztnéveinkről [= De praenominibus Hungaricis], MNy 10 [1914] 150) est.

adulterinus — In *V₁* *V₂* *V₅*: "adulterius" invenitur, in *V₃*: "adulterus", in *V₄*: "adulter" legitur (SRH I, 458).

bonorum — In cunctis variantibus Gestorum: "bonum" est (SRH I, 459), quo textus Th. rectior est.

reddere malum pro bono — Prov. 17, 13: Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.

audisset Borich esse — Sic tantum in *V₄* scriptum est; in ceteris variantibus 458 vocabulum "esse" non invenitur (SRH I, 459).

rogavit — In cunctis variantibus Gestorum vocabulum "rogans" est praeter *V₄*, ubi "rogavit" legitur (SRH I, 459).

domus regis ... se prostravit — Sciptor Gestorum ad asyli ius spectat, quod in Hungaria quoque valuit. Secundum decretum Sancti Ladislai asyla erant ecclesia, curia regia et praesentia episcopi cuiusdam (II, 1: "in ecclesiam vel in curiam regis vel ad pedes episcoporum", Závodszy p. 167). Haec proprietas curiae regiae etiam secunda parte saeculi XIII immutata permanit (Bónis Gy., op. cit. Regnum. Egyháztörténeti évkönyv [= Annales historiae ecclesiae], 1938—1939, 86, 93). Itaque "domus regia" et ecclesia, pedes regum et altare a scriptore Gestorum inter se comparari possunt, quia homo fugax et in curia regia et in ecclesia se tutelam capturum esse sperare potuit.

magistri nostri — Magistri, qui anno 1147 statum iuris ecclesiastici Borich interpretati sunt, clerici aulae periti theologiae et iuris ecclesiastici esse potuerunt, qui circa regem familiamque eius aderant (Jakubovich E., Adalékok az Anonymus-kérdeshez [= Additamenta ad quaestionem, quis Anonymus fuerit], Akadémiai Értesítő [= Acta Academica] 37 [1926] 152).

non communicat — Scriptor Gestorum hic formulam iuris canonici illius temporis haudquaquam generaliter usitatam profert, quae vetuit quemlibet non legitime natum sacerdotem consecrari (Gerics J., Az államszuverenitás védelme és a "két jog" alkalmazásának szempontjai XII—XIII. századi krónikáinkban [= De confirmatione summae rerum potestatis regni et de rationibus usus "utriusque iuris" in chronicis Hungaricis saeculorum XII—XIII], TSz 18 [1975] 364).

Qui vero cum ... manus sequentis evasit — Odo de Deogilo rem copiosius, 458—459 quam scriptor Gestorum describit, omnino consentit cum eo, at apud eum, ut qui spectator et testis erat, praeter personam regis Francogalliae proceres ("episcopi et optimates") quoque producuntur. Secundum sententiam eius quoque legati Hungarici foedus amicitiae paulo ante ictum appellantes Borich exposcunt, apud eum quoque "communis sententia sapientium" memoratur, at ipse sententiam communem sapientium Francogallicorum profert, series autem rerum magis considerata est: Borich comperiens cognitum esse se apud Francogallos commorari, fugere temptat, sed

comprehenditur, Ludovico VII. aperit, quis sit, rex autem consiliariis suadentibus decernit Borich non dedere, foedus tamen cum Geysa servat, id est appetentem regni secum e regno effert (Gombos III, p. 1721; cf. Pauler I, pp. 266 sq.).

459 *ducales expensas* — Scriptor Gestorum redditus ducales stabilitos esse praedicans id affirmare vult, quod regnum non est divisum, id est, quod non perventum est, ut regio ducalis sui iuris seligeretur (cf. Pauler I, p. 286). Ex ea re, quod scriptor Gestorum de Almo, qui quartus filius regis Belae II. fuit (cf. caput (91.), sent. 442, SRH I, 446), hic mentionem non facit, coniectari potest Almum tres vel quattuor annos natum, sed certe ante annum 1141 mortuum esse (Wertner p. 308).

Lodomerium ducem — Princeps Galiciae Vladimirko Volodarevič (1124—1153) — in annalibus Russicis Volodimirko nominatus (Hodinka pp. 106 sq.) — multis cum astutiis, tamen prospere potestatem suam amplificavit. Anno 1144 Hungari adhuc socii eius fuerunt, sed ab anno 1146, cum Geysa II. in matrimonium init, Vladimirko Volodarevič iam hostis Hungarorum factus est (Pauler I, pp. 268 sq.). In adnot. 2 SRH I, 460 “Lodomerius dux” falso “Lodomerie dux” fuisse explicatur.

duxitque ... Minosloy — Socer Geysae II. magnus princeps Kioviae Mstislaus Vladimirovič (1125—1132) fuit, cuius nomen in formam Minosloi depravatum est. Scriptor Gestorum falso adnotat Geysam II. eius causa arma cepisse. De hoc ne ideo quidem agi potest, quia Mstislaus iam pridem obiit. Rex Hungariae affinem suum, magnum principem Izjaslaum Mstislavič (1146—1154) adiuvit. Error scriptoris Gestorum eo explicari potest, quod etiam Izjaslaus habuit filium Mstislauum nominatum, qui anno 1151 auxilium petiturus in Hungariam venit (Hodinka pp. 151 sq.; Pauler I, p. 278). Hic ergo Mstislaus una cum iuveni rege Hungariae memoratus videri potuit, velut si ipse adiutus esset. J. Horváth (op. cit. ItK 70 [1966] 42) praedicavit vocabulum loci Miroslavsko, quoniam momentum quoddam belli Izjaslai ad hanc villam est factum, in Gestis pro nomine Izjaslai in forma Minosloy adnotari potuisse. Tempore bellorum pro Kiovia et pro titulo magni principis Kioviae gestorum medio saeculo XII societates a principibus quibusdam Russicis iunctae sunt, qui etiam consuetudines suas externas ad suam causam adhibebant. Una ex societatibus duce Jurij Dolgorukij principatus Vladimir-Susdaliam, Galiciam (duce Volodimirko Volodarevič) et Chernigov complexus est et a Byzantio adiutus est. Dux coalitus alterius Izjaslaus Mstislavič erat, possessio avita eius erat Vladimir in Volhinia (duce Vladimiro Mstislavič), in hac societate fuit etiam principatus Smolensk. Geysa II. anno 1144 adhuc socius Galiciae est, sed anno 1146 propter matrimonium suum cum sorore Izjaslai Euphrosina coniunctum Hungaria socia huius alterius societatis facta est, in qua praeter Hungaros et Poloni et Bohemi inventi sunt. Discordiae civiles Russicae anno 1146 eo eruptae sunt, quod magnus princeps Kioviae Vsevolod Olgovič Kioviam possessionem suae familiae facere conatus est, quae res

domum principalem Mstislavič ad repugnandum commovit. Magnum principatum Kiovensem Izjaslaus Mstislavič, affinis Geysae II. sibi comparavit, retinere tamen tantum auxilio externo potuit. Hungari primum anno 1148 discordiae civili Russicae inter Izjaslaum et adversarios eius ortae se immiscuerunt (Древнерусское государство и его международное значение, Ред. В. Т. Пашуто, Москва 1965, pp. 256 sq.; История СССР. Первая серия I, pp. 584 sq.; В. Т. Пашуто, op. cit. pp. 170 sq.; Font M., A XII. századi orosz—magyar kapcsolatok kérdéséhez [= Ad quaestionem coniunctionum Russico—Hungaricarum saeculi XII], Acta Iuvenum, Sectio Historica VII, Szeged 1975, pp. 10 sq.). Exercitus Geysae II. inter annos 1148 et 1152 montes Carpathicos sexies transgressi sunt, ut Izjaslaum adiuvarent. Banus Beloš igitur viam falsam rerum externarum Hungaricarum elegisse videtur — quia officia molesta Hungaris imposuit —, cum iuvenem regem Hungariae anno 1146 ad matrimonium cum sorore Izjaslai, Euphrosina coniungendum adduxisset. Re vera tamen provide et prospere egit, quoniam hoc modo effecit, ne Izjaslaus adiumento Borich esset. Borich imprimis ab Izjaslao auxilium sperare potuit, quia pater huius, Mstislaus et mater Borich, Euphemia germani erant et expulsio huius posterioris ex Hungaria contumeliae erat toti familiae, ex altera autem parte causa perpetua armorum in Hungariam inferendorum facta est. Matrimonium Euphrosinae cum rege Hungariae coniunctum certe etiam ideo factum est, ut hanc iniuriam deleret. Beloš prudenter egisse eo quoque demonstratur, quod ipse familiam magni principis Kioviae altera coniunctione affinitatis quoque anno 1150 domui regiae Hungaricae adiunxit, cum filiam suam matrimonio cum Vladimiro coniunxit, qui frater natu minor Izjaslai et Euphrosinae fuit. Borich adiumento Russico amissio Hungaris periculum intendere iam nequivit (Wertner pp. 311 sq.; Pauler I, p. 274; Hóman, M. tört. I, p. 375). Ut ex adnotationibus quibusdam scriptoris Gestorum intellegi potest, Borich assidue sperabat fore, ut Hungari, qui res praesentes aegre ferebant, sibi subsidio essent. At hi Hungari non animo in eum propenso adducti se ad eum converterunt, sed odio procerum, qui participes regni gubernandi erant et circa regem versabantur, quoniam hi ipsos e gubernatione excluserunt aut partes, ut ipsi putabant debitas gubernandi ipsis non cedebant. Ex his omnibus constitui potest plures dominos feudales appetentes potestatis fuisse, quam quot in regno administrando sibi dignitatem quandam capere potuerint. Bellum, quod in Gestis memoratum est, identificari potest cum eo, quod aestate anni 1152 participe Geysa II. incepit foedere cum Volodimirko icto finitum est. Quo modo hoc bellum gestum sit, accurate in manuscripto Ipatii Annalium Kiovienium tractatur (Hodinka pp. 169 sq. Res gestas critice descriptis Pauler I, pp. 280 sq.).

pro quo etiam ... Cunis — De clade aestate anni 1151 accepta agitur, quam caterva Hungarica auxiliaris ad Kioviam Mstislao, filio Izjaslai ducente procedens accepit. Huic catervae imperatum est, ut Izjaslaum

adiuvaret contra Jurij Dolgorukij, qui Cumanis (Polovcis) quoque nitus est. Fortuna certaminis iam prius pro Izjaslao diiudicata est, cum Volodimirko catervam Hungaricam ebriam in somnis adortus est (Hodinka pp. 153 sq., 165 sq.; Pauler I, pp. 278 sq.). Textus Gestorum a primo capite usque ad haec vocabula tantum in variantibus familiae Chronici Picti continetur, unde, eum Th. transcripsit.

Regnavit ... diebus XV — A die 16 mensis Februarii anno 1141 computati anni 20 menses 3 et dies 15 congruunt cum die 31 mensis Mai anno 1161. Et Pauler (I, pp. 294, 496 sq.) et Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 293) diem obitus Geysae II. anno 1162 fuisse putant. Contra argumenta eorum Mátyás (Chronol. pp. 26 sq.) contendit annum 1161 in Gestis recte adnotatum esse. Th. post haec vocabula quoque membrum quoddam familiae Chronici Picti secutus est, quia enuntiatio, quae in codicibus familiae Chronici Budensis superest — ex qua Geysa II. filios quattuor, Arpad, Geysam, Stephanum et Belam genuit (SRH I, 460) —, apud eum deest.

Migravit ... feria quarta — Dies 31 mensis Maii anno 1161 est, quae vere feria quarta fuit. Dies 31 mensis Maii est adnotata in Necrologio Admontensi (Gombos II, p. 1668) et in Necrologiis Salisburgensibus S. Rudberti maioribus septem (Gombos II, p. 1667), quo documentum scriptoris Gestorum affirmatur, tamen in nullo necrologio annus adnotatus est. Anno 1162, quo Pauler et Marczali Geysam II. mortuum esse contendunt, dies 31 mensis Maii feria quinta fuit.

⟨94.⟩

Hoc caput textui Gestorum probabiliter magister Acus univit.

460 *De coronatione ... Bele Ceci* — Prima pars indicis ex indice capitis Chronicorum Picti (“De coronatione Stephani tertii filii Geyse secundi et de coronatione primo Ladizlai secundi, deinde Stephani quarti filiorum Bele Ceci vivente adhuc Stephano tertio”, SRH I, 461), secunda pars autem indicis ad arbitrium suum a Th. conscripta est.

Loco ... Stephanus filius eius — Geysa II. quattuor filios ex Euphrosina natos habuit: Stephanum, Belam, Geysam, Arpad (Wertner p. 310). Filiorum natu maximus, Stephanus III. tempore obitus patris quottuordecim aut quindecim annos natus esse potuit. Geysa II. huic filio regnum tradere in animo habuit, atque ideo eum in diplomate quodam anni 1152 ita indicavit, quamquam tantum quinque annorum erat, quasi regni socius esset (“regnante Geysa una cum filio suo Stephano duce”, Reg. Arpad. I, num. 82. Cf. Pauler I, p. 286). Ii, quos rex circa se habuit, post mortem eius voluntati satisfecerunt, archiepiscopus Strigoniensis, Lucas Stephanum III. regem coronavit, duo fratres tamen Geysae II., Ladislaus et Stephanus

regnum sibi vindicabant, id quod contra regem adhuc puerum cum auxilio Byzantino assequi potuerunt.

regnavit ... diebus tribus — Si a die 31 mensis Maii anno 1161, a die obitus Geysae II. annos 11 menses 9 dies 3 computamus, dies 4 mensis Martii anno 1173 efficitur, quod tempus in sequenti capite extremo in fonte Th., id est in Gestis quoque adnotatum est.

dux Ladislaus ... dimidio anno — Ladislaus II. veri similiter anno 1158 Byzantium perfugit. Imperator Manuel eum officiose accepit, paratus fuit efficere, ut Ladislaus feminam Graecam in matrimonium duceret, ille tamen caute se gessit. Quia hoc modo egit, assecutus est, ut Hungarici proceres, cum — Manuele impense suadente — fratres regis defuncti e principio senioratus puero Stephano III. anteponere parati essent, magis eum regem acciperent. Quoniam archiepiscopus Strigoniensis Lucas eum regem coronare noluit, ritum coronandi archiepiscopus Colocensis perfecit (Pawler I, pp. 291 sq. 296 sq.; Moravcsik, Byzantium p. 82).

Migravit ... feria prima — Annus probabiliter falso scriptus est, et pro “septuagesimo” in textu primo vocabulum “sexagesimo” esse potuit. (Explicatio [SRH I, 461 adnot. 3], ex qua scriptor annum obitus Stephanii III. descriptis, falsa est, quia secundum scriptorem Gestorum Stephanus III. anno 1173 obiit.) Dies et in cunctis variationibus Chronicus Picti et apud Th., qui has variationes secutus est, manca est adnotata. Ex variantibus familiae Chronicus Budensis in S: “XVIII. Kal.”, in A: “XIX. Kal.”, in B et D: “IX. Kal.” legitur. Duo posteriores — numero X omisso — ex A derivati esse possunt, et anno dato (1162) dies 14 mensis Ianuarii, quae congruit cum XIX. Kal., vere rectior esse videtur, quia haec dies dominica fuit. (Anno 1163 dies 14 mensis Ianuarii dies Lunae, sive feria secunda fuit.) Secundum Pawler (I, p. 297), quia ipse Geysam II. anno 1162 mortuum esse putat, obitus Ladislai II. anno 1163 fuit. Contra sententiam Pawler Mátyás (Chronol. pp. 28 sq.) narrationem scriptoris Gestorum rectam esse contendit.

⟨95.⟩

Hoc caput textui Gestorum probabiliter magister Acus univit.

De usurpatione ... Ceci — Indicem ex indice capitinis Chronicus Picti Th. ad 461 arbitrium suum conscripsit: “Stephanus usurpat sibi coronam” (SRH I, 461).

Post hunc ... mensibus quinque — Textus Th. hoc loco mancus est, sicut etiam textus variantium Chronicus Picti, quia desunt vocabula sequentia: “et diebus quinque” (SRH I, 461), quae in variantibus Chronicus Budensis legi possunt. Tempus quinque mensium et quinque dierum a die obitus Ladislai II. (a die 14 mensis Ianuarii) numerandum est, ut in enuntiatione sequenti

dies cladis acceptae (diei 19 mensis Iunii) efficiatur, qua die regnum Stephanus IV. finitum est. Post mortem Ladislai II. frater natu minor, Stephanus IV. regnum occupavit, qui rationibus imperatoris Byzantii magis aperte serviebat, quam frater natu maior. Stephanus IV. anno 1155 ex Hungaria discessit et Byzantii benigne est acceptus: sororem patrualem imperatoris Manuelis uxorem accepit. Banus Beloš, avunculus probavit eum regnum Hungariae occupare, at archiepiscopus Lucas ne eum quidem regem coronare voluit (Pawler I, pp. 286 sq., 297; Moravcsik, Byzantium pp. 82 sq.).

dominica Exsurge — Dominica Exsurge secundum calendarium Romanum die 11 mensis Februarii fuit. Secundum calendarium Christianum dominica Exsurge anno 1162 vere hac die erat. Sed anno 1163, quo Pawler (I, p. 297) Stephanum IV. regnum obtinuisse putat, dominica Exsurge die 27 mensis Ianuarii erat.

devictus est ... Hungarie corruerunt — Festum Gervasii et Protasii, dies 19 mensis Iunii anno 1162 vere dies Martis, sive feria tertia erat (anno 1163 dies Mercurii seu feria quarta). Certamen supremum ad Albam Regiam commissum atque clade Stephano illata finitum est (Pawler I, p. 298). Cum discordia armis concitata esse potest consurrectio generis Chak pro Stephano IV. orta, quam ob rem castrum Chakvar dirutum est (cf. capita (31.) et (46.)).

expulsus est de regno — Post cladem acceptam Stephanus IV. in manus Stephanii III. incidit, qui tamen archiepiscopo Luca suadente illum liberum dimisit ea condicione, ut nunquam in Hungariam reverteretur (Pawler I, p. 298).

Obit ... feria quinta — Stephanus IV. conatus non deposit, ut coronam Hungaricam recuperaret. Primum sperabat fore, ut condicio rerum suarum Manuele adiuvante melior fieret, anno 1164 imperatori Friderico I. annua marcarum argenti 3000 promisit, mox iterum operam suam Manuela obtulit et munus in se recepit, ut apud catervas Graecas, quae regionem Sirmensem captam habuerunt, commorans partes earum ut obsidentium iustas esse demonstraret. Cum hic, in castro Zemlin (hodie Zemun, Iugoslavia) commoraretur, anno 1165 Stephanus III. oppugnationem castro inferri iussit. Antequam castrum captum esset, ut Ioannes Cinnamus et Nicetas Choniates tradunt (Gombos II, pp. 1288, 1690), veneno interemptus est (Pawler I, pp. 298 sq.; Moravcsik, Byzantium pp. 82 sq.). Tempus obitus eius (dies 11 mensis Aprilis anno 1165) secundum pervestigationes Pawler pro certo haberri potest. Annus 1173 omnino falsus adnotatus est. In textu primo annus 1163 scriptus esse potuit, ex quo — partim e die eadem obitus Stephanii III. quoque — mendo scriptoris factus est annus 1173. Nam dies 11 mensis Aprilis anno 1163 vere feria quinta fuit (Knauz pp. 513 sq.; Mátyás, Chronol. p. 29). Ceterum hic annus quoque falsus est, tamen scriptor adnotationis annum obitus Stephanii IV., qui die 19 mensis Iunii anno 1162

proelio victus et die 11 mensis Aprilis mortuus est, sequentem annum 1163 fuisse logice cogitare potuit.

cuius corpus Albe quiescit — Castro Zemlin capto cadaver Stephani IV. ante portam castri ejectum est et tantum posterius, cum id iam putresceret, in ecclesiam Sancti Stephani protomartyris translatum est. Corpus tum Albam Regiam vehi potuit, cum invidia in Stephanum IV. iam mitigata esset (Paurer I, pp. 306 sq.).

migravit ... feria prima — Scilicet dies 4 mensis Martii, quae anno 1173 vere dies dominica fuit (Mátyás, Chronol. p. 32. Argumentatio falsa adnot. 5 SRH I, 462 lapsu facto explicari potest). Constitutiones temporum saeculi XII, quae in Gestis inveniuntur, haud facile accommodari possunt partim annis in fontibus externis adnotatis, partim rebus ipsis. Neque diplomata fide digna Hungarica, quae supersunt, nos in rectam viam inducunt, nam in illis aetate Stephani III. et Stephani IV. dies rerum gestarum non sunt adnotatae, atque ita etiam tunc quidem, si anni regni adnotati sunt, res duobus annis contiguis gestas uno eodemque anno factas esse optimo iure credere possumus. Coniectiones et coniecturas capiendo sic satis superque occasio datur. Paurer annis Gestorum decedere necesse habuit, cuius interpretationes etiam Domanovszky secutus est. At primo anno recusato utique sequitur, ut ceteri anni quoque incerti fiant, congruentia autem dierum datarum et dierum hebdomadum conturbetur. Simul textus diplomatum inter se quoque discrepant. Vocabula diplomatis Stephani III., quod anno 1162 editum est, "ego Stephanus dei gratia sublimis ac triumphator rex Hungarie ... paterni regni gubernacula deo auxiliante obtinens" (Sopron vm. I, p. 2) haud aliter interpretari possumus, quam quod ipse Stephano IV. devicto regnum recepit. Tamen diploma unicum Stephani IV. Strigonii anno 1163 editum est, quod indicat regnum Stephani IV., quod quinque menses et quinque dies duravit, fortasse non anno 1162, sed sicut Paurer ipse putavit, anno 1163 fuisse. Quod ad hoc diploma pertinet, ne id quidem dici potest, quod annus falso adnotatus est, quia ipsum in exemplari transcriptum servatum est. Nam in diplomate praeter annum et epacta (XIV) et indictio (XI) continentur, hae autem in annum 1163 quadrant (Reg. Arpad. I, num. 102; Fejér II, p. 166). Fieri potest, ut anni in Gestis haud recte adnotati sint, tamen consequenter unus alterum sequentes descripti sunt, quae series sententiam horum explicando perturbari non potest. Quaestio tunc persolvetur, si ortus et proprietas adnotationum cum annis coniunctarum accurate perscrutantur et diiudicatur, utrum hae ipsae omnes continuo una post alteram adnotatae, an forte posterius expletae sint. In diplomatis eo, quod annus regni nonnullis locis adnotatur, pro certo haberi potest, quod dies, qua regnum incepit, adnotata est in aula regia. Quo modo hoc factum sit, nulla coniectura in Hungarica historiographia est et ne id quidem notum est, quid de adnotationibus Gestorum secundum fastos Romanos factis existimandum sit, quia harum ne vestigia

quidem in diplomatibus Hungaricis saeculi XII apparent (Mályusz 1971, pp. 111 sq.).

⟨96.⟩

Hoc caput probabiliter magister Acus textui Gestorum univit, cui ipse inserta quaedam sua addidit.

- 462 *De coronatione ... sequitur — Index paene ad verbum congruit indici capititis Chronicis Budensis: “De coronatione regis Bele tertii fratris Stephani tertii et filii Geyse secundi” (SRH I, 462).*

Postea ... frater eius — Scilicet filius secundo genitus Geysae II. et Euphrosinae est, qui, ut coniectari potest, anno 1148 natus est (Wertner p. 354). Anno 1162 — ut Paurer existimat (I, pp. 298 sq.) anno 1163 —, postquam Stephanus IV. regno spoliatus est, imperator Manuel auctoritatem sibi in Hungaria confirmatus Belam ad se recepit promittens se eum cum filia unica sua, Maria matrimonio coniuncturum esse, immo quidem successorem suum instituturum esse. Bela in aula Byzantina adolescebat, dignitatem despotae adeptus est, status eius tamen mutatus est, cum (anno 1169) Manuel filiolo auctus est. Imperator nunc sponsalia solvit, anno 1172 filium suum coronavit, Belam autem post mortem Stephani III. repente in Hungariam misit, ut hic regnum acciperet (Paurer I, pp. 321 sq.; Ostrogorsky pp. 308 sq.; Moravcsik, Byzantium pp. 89 sq.).

qui ... persecutus est — Ex aetate Belae III. documentum, quod cum adnotatione scriptoris Gestorum coniungi possit, notum non est. Sed ex opere Rogerii “Carmen miserabile” nominato patet, quod Bela IV., simulatque regno potitus est, institutum huiusmodi edidit, id est: “iussit provulgari, ut terra malis hominibus, qui abundabant plurimum, expurgaretur” (SRH II, 555. Cf. Paurer II, p. 130; Mályusz 1971, pp. 14 sq.).

petitionibus ... imperii — Aetas Belae III. cardinem in historia usus scripturae in Hungaria significat. Hoc imprimis in eo apparuit, quod in usu gubernandi mos diplomatum consribendorum magis magisque frequentatus esse coepit. E verbis diplomatis cuiusdam Belae III. anno 1181 scripti iure concludi potest, quod rex postulatis temporum considerate satisfecit et apparatum cancellariae conformari promovit (Fejérpataky L., III. Béla király oklevelei [= Diplomata regis Belae III.], Forster Gy., III. Béla magyar király emlékezete [= Memoria Belae III., regis Hungariae], Bp. 1900. pp. 148, 157; Szentpétery pp. 62 sq., 73). Sed rex tantum id impetrare studuit, ut instituta sua litteris mandata servarentur: “ego Bela ... ne aliqua causa in mei presentia ventilata et definita in irritum redigatur, necessarium duxi, ut negotium quodlibet in audiencia celsitudinis mee discussum scripti testimonio confirmetur” (Fejér II, pp. 198 sq.). Sententia scriptoris Gestorum, secundum quam petitiones quoque litteris mandatae proferenda fuerunt, falsa est. L. Szilágyi quidem (Írásbeli supplicatiók a középkori

magyar administratióban [= De supplicationibus litteris mandatis in administratione Hungarica mediæ aevi], LK 10 [1932] 158) definite non refutat Belam III. conatum esse, ut induceret insitum petitionum litteris mandatarum, tamen ipse quoque adnotationem scriptoris Gestorum errore factam possibile putat. In administratione curiae Romanae usus scripturae ad hunc gradum iam proprius accedit (Bresslau II/1, pp. 2 sq.), sed in Hungaria status cancellariae tantum in gradu conformandi erat. Institutionem a scriptore Gestorum Belae III. attributam Bela IV. effecit. (Bónis Gy., Petrus de Vinea leveleskönyve Magyarországon [Gondolatok a szicíliai államszervezet hazai hatásáról] [= Liber epistularum Petri de Vinea in Hungaria (Cogitationes de effectu structurae regni Siciliensis in Hungaria)], FK 4 [1958] 183; Mályusz 1971, pp. 13 sq.; Györffy Gy., A magyar krónikák adata a III. Béla-kori petícióról [= Argumentum chronicorum Hungaricorum de petitione aetatis Belae III.], in Horváth—Székely pp. 333 sq., cum litteratura.) Mentionem huius rei Rogerius bis facit, primum, cum enumerauit causas odii inter regem et Hungaros orti ut causam quartam odii institutum sequens regis prodit: "ordinavit, quod, qualiscunque eminentie fuerint nobiles, in sua curia negotium movere aut sibi horetenus loqui nequirent, nisi supplicationes cancellariis porrigerent", mox in commentario actionem regis explicanti: "duxit deliberatione provida statuendum, quod negotia suorum regnicularum deberent *ad instar Romane curie per petitiones* in sua curia expediri" (SRH II, 556, 559). Textus Gestorum sine dubio ex opere Rogerii manat, item etiam adnotatio de persecutione hominum maleficorum facta, ergo textus Gestorum in prima parte saeculi XIII ortus esse non potest. Terminus ante quem in Gestis Simonis de Kéza datus est. Quoniam hic ambae adnotationes inveniuntur (SRH I, 183), conscriptor harum atque ita scriptor, qui eas amplificavit, magister Acus esse potest, qua ex re id quoque sequitur, quod opus Rogerii aetate Stephani V. in Hungaria, rectius in aula regia iam notum erat. Proprium est omnino in ratione scribendi magistri Acus, scriptoris rerum gestarum, quod sententias fontis sui haud ambiguas ad tempus referit, quod ante quinquaginta annos peractum est. Relatio ad usum imperii Teutonici non est proprium sententiae Rogerii, sed magistri Acus. In illo imperio usus sermonis praevalere non desiit et tantum imperator Fridericus II. petitionem scriptam generalem fecit, tamen ne ille quidem in cancellaria imperatoria, sed in Sicilia, ubi etiam successores hunc usum sustentabant (Bresslau II/1, pp. 26 sq. Bónis [l. cit.] ipse putat institutum Belae IV. de petitionibus scriptis introducendis aliquo modo effectum usus a Friderico II. introducti significare, quem usum rex Hungariae sibi exemplo habuit). Ex his relatio ad imperium memoria coniunctionum Neapolitano—Hungaricarum aetatis Stephani V. est.

Qui coronatus ... feria prima — Th. sequens Chronicon Pictum variantesque huius (SRH I, 462) pro vocabulo recto Chronicus Budensis "Idibus" vocabula "in diebus" falso scribit. Dies 13 mensis Ianuarii anno 1174

dominica fuit, quod eo congruit, quod Stephanus III. die 4 mensis Martii anno 1173 obiit. Coronatio Belae III. ideo dilata est, quia archiepiscopus Strigoniensis Lucas contumaciter repudians etiam iussum papae, recusavit coronationem perficere, ita ut papa Bela rogante mandata archiepiscopo Colocensi dare deberet, ut hic pro archiepiscopo Luca Belam regem coronaret. Odium regis novi inde ortum esse potuit, quod ipse particeps fuit bellorum, quae Manuel temporibus prioribus in Hungariam duxit (Pawler I, pp. 321 sq.; Hóman, M. tört. I, pp. 409 sq.).

Regnavit ... diebus XIX — Prima dies non est illa, qua Bela III. coronatus est, sed dies obitus predecessoris eius (dies 4 mensis Martii). Computatione exinde facta usque ad tempus obitus Belae III. (ad diem 23 mensis Aprilis anno 1196) vere tempus in Gestis adnotatum peractum est (Mátyás, Chronol. p. 34).

Obdormivit ... feria tertia — Ascriptio anni etiam duabus relationibus falsa est. Bela III. non anno 1190, sed, ut sine dubio constitui potest, anno 1196 obiit (Pawler II, p. 12). Ceterum hic annus est scriptus in Chronico Picto, in quo tamen numerus VI posterius super versum textui insertum est (SRH I, 463), item in adnotationibus genealogiae codicum Toldy et Knauz (Font. dom. IV. p. 105). Praeterea textui Th., Chronico Picto variantibusque eius deest numerus IX ante vocabulum "Kal.", qui tamen inest manuscriptis familiae Chronicus Budensis, atque ita non est dubium, quin e Chronico Picto ille tantum transcriptionibus factis exciderit. Ex his ascriptio tota temporis est: dies 23 mensis Aprilis anno 1196, quae dies vere feria tertia est (Mátyás, Chronol. p. 34; Pawler [II, p. 485] quoque sententiam scriptoris Gestorum accipit).

cuius corpus ... tumulatum — Bela III. in basilica Albensi iuxta uxorem primam, Annam Châtillon Antiochensem sepultus est, quae soror uxoris imperatoris Manuelis fuit. Sepulcrum coniugum regiorum vastationem evitavit, anno 1848 inventum est. Ossa prius in Museum Hungaricum Nationale allata sunt, mox anno 1898 Budae, in capella quadam ecclesiae coronationis sepulta sunt. Et ossa et reliquiae ceterae ratione et disciplina scientiarum perscrutatae sunt. Notandum est Belam III. secundum perscrutationes anthropologicas virum 190 centimetra altum, typi nordici fuisse (Török A., III. Béla és első hitvese földi maradványai [= Reliquiae cadaverum Belae III. et primae uxoris eius], Forster Gy., III. Béla magyar király emlékezete [= Memoria Belae III. regis Hungariae] pp. 201 sq.). Vocabula "honorifice tumulatum" a Th. inserta sunt. Fieri potest, ut Th. textum amplificare ideo necesse habuerit, quia sepulcra Albae Regiae vidit, quae ipsum exornata obstupefecerunt.

⟨97.⟩

Textui Gestorum probabiliter magister Acus hanc adnotationem univit,
cui ipse inserta quaedam sua additit.

De coronatione ... tertii — Index cum indice capitinis Chronici Budensis 463
paullo brevius conscripto identificari potest: “De coronatione Emerici regis
filii Bele tertii filii Geyse secundi” (SRH I, 463).

Emericus filius eius — Filius natu maximus Belae III. anno 1174 natus est,
qui ex uxore prima regis, ex Anna Châtillon ortus est et Henricus, Hungari-
ce Imre (Emericus) est nominatus (Wertner p. 366).

regnavit ... diebus VI — Computatione temporis octo annorum, septem
mensium et sex dierum a die exitus Belae III. (a die 23 mensis Aprilis anno
1196) facta, dominatio regis Emerici die 30 mensis Novembris anno 1204
finita est.

Huius uxor ... regis Aragonie — Scilicet filia regis Aragoniae, Alphonsi
II. (obiit anno 1196) et filiae regis Castiliae, Sanchae (quae anno 1208 obiit)
erat. Coniunctionibus, quae hoc matrimonio coniuncto conformatae sunt,
imprimis comitivae reginae attribui potest, quod elementa quaedam Arago-
nica cultus humani in Hungaria apparuerunt, quae spectent licet necessitu-
dinem inter societatem feudalem et regem, licet negotium cancellariae
regiae vel monumenta artis (Hóman, M. tört. II, p. 85; Donászy F., Az
Árpádok címerei [= De armis membrorum stirpis Arpadiana], Bp. 1937,
pp. 21 sq.).

Huius uxor ... apostolici copulatur — Titulus “apostolicus” a decreto
synodo Remensi, quae anno 1049 habita est, soli papae debetur (Wetzer—
Welte tom. VII. p. 1789). Secundum legendam Hartvici papa de Sancto
Stephano dixit: “Ego sum apostolicus, ille vero merito Christi apostolus”
(SRH II, 414). Scriptor Gestorum partes papae Innocentii III. (1198—1216)
recte extollit. Is fuit, qui de sponsaliis Friderici II. cum Sancha, sorore natu
minima Petri, regis Aragoniae faciendis anno 1202 constitutum effecit,
idem consultationibus praefuit, ut in Sanchae locum vidua, Constantia
succederet, mox consultationes sequentes regebat, dum ad extremum anno
1208 pactum inter Fridericum II. et sponsam, quae decem annis maior natu
erat, sancire potuit (E. Winkelmann, Philipp von Schwaben und Otto IV.
von Braunschweig [Jahrbücher der deutschen Geschichte], II, Leipzig
1878, pp. 51, 79 sq.; F. W. Schirrmacher, Kaiser Friedrich der Zweite,
Göttingen 1859, I, p. 38).

anno ... tertia — Nota numeri annorum per transcriptiones mutilari
debuit. Spatum temporis regnandi annum 1204 indicat, qui annus argumen-
tis ceteris quoque affirmatur (Paurer II, p. 36). Rationem computationis
rectam esse eo quoque affirmatur, quod anno 1204 dies 30 mensis
Novembris vere feria tertia fuit.

cuius corpus ... in ecclesia Agriensi — Fortasse rex Emericus locum

sepulturae ideo Agriam elegit, quoniam episcopus huius, cancellarius quondam suus Catapanus fuit (Pauler II, pp. 491 sq.). Ecclesia cathedralis eversa est; ex reliquiis, quae effossonibus novissime factis detectae sunt, basilica trinavis erat, quae duas turres et templum subterraneum habuit. Haec basilica saeculo XV in genus structurae Gothicum transformata est. Sepulcrum regis Emerici non est inventum (Gerevich p. 46; Gerő L., Eger [Magyar Múemlékek] [= Agria (Artis Monumenta Hungarica)], Bp. 1957, pp. 21 sq.; Csemegi J., Az egri várszékesegyház jelentősége a XII. században [= De momento ecclesiae cathedralis castri Agriensis saeculo XII], AÉ N.S. 48 [1935] 217 sq.). Ineunte saeculo XVIII episcopus Agriensis Stephanus Telekesy compertum habuit regem Emericum filiumque eius Ladislau in capella sub turre sita sepultos esse (Ipolyi A., Az egri megye Sz. János apostol és evangelistáról nevezett régi székesegyháza az egri várban [= De ecclesia cathedrali vetere dioecesis Agriensis de apostolo et euangelista Sancto Iohanne nominata in castro Agriensi], Emlékkönyv Bartakovics Béla egri érsek aranymisjének ünnepére [= Liber memorialis in festum missae aureae archiepiscopi Agriensis Belae Bartakovics], Eger 1865, p. 168).

⟨98.⟩

Hoc caput textui Gestorum probabiliter magister Acus univit.

⁴⁶⁴ *De coronatione ... regis Emerici* — Index cum indice capitinis Chronicis Budensis identificari potest: “*De coronatione regis Ladislai tertii filii regis Emerici*” (SRH I, 463).

coronatus ... feria quinta — Rex Emericus filio paucorum annorum successionem regni comparaturus adhuc se vivente eum regem coronari iussit contra fratrem suum natu minorem, Andream, qui appetens regni erat (Pauler II, p. 36). Wertner (p. 373) tempus, quo Ladislaus natus est, annum 1199 fuisse putat. Contra eum Pauler (II, pp. 33, 489) annum 1201 veri similiorem fuisse arbitratur. Tempus coronationis dies 26 mensis Augusti anno 1204 est; hic dies vere feria quinta fuit.

Regnavit autem ... diebus quinque — Spatum temporis regnandi ad dies computatum in variantibus familiae Chronicis Budensis non quinque, sed duas dies duravisse conscriptum est (SRH I, 463, 464), quod fide dignius est, quam documentum variantium Chronicorum Picti, quos textus Th. exemplo sibi habuit. Tamen ne hoc quidem congruit cum die 26 mensis Augusti anno 1204, id est cum die coronationis et cum die mortis regis pueri. Difficultati Mátyás (Végnapjai pp. 38 sq.) ea conjectura medetur, quod rex Emericus, qui die 30 mensis Novembris anno 1204 obiit, regnum duci Andreeae iam prius tradidit, qui filio suo tutor datus est, id est propter valetudinem adversam extremis hebdomadibus vitae regis Emerici legitime iam filius erat rex. Haec conjectura permittit, ut initium regni Ladislai III. non a

coronatione sua (a die 26 mensis Augusti anno 1204), sed a tempore posteriore computemur. Hoc tempus Mátyás coniectura retro facta diem 31 mensis Octobris anno 1204 constituit. Quoniam relatio Thomae Spalatensis probabilis videtur, ex qua rex Emericus duce Andrea praesente institutum testamentarium fecit, coniectura Mátyás, quam iam Stephanus Katona quoque protulerat, acceptabilis esse potest. (Cf. adhuc caput (100.).)

Migravit ... Maii — Annus (1201) falso adnotatus est, qui recte: 1205 est. Sed falsa est etiam dies (7 mensis Maii), quamquam in cunctis variantibus Gestorum haec invenitur (SRH I, 464). Textus rectus in Chronico Zagrabienensi servatus est: “quinto Nonas Mai”, id est dies 3 mensis Mai (SRH I, 211. Cf. Mátyás, Végnapjai p. 39). Rex puer in Austria mortuus est, quo mater — filium e manibus Andreae eripiens — perfugit. Contra huius cupiditatem regnandi regina vidua adiumentum firmum ab iis, qui marito dediti fuerant, sperare non potuit, atque ideo thesauris collectis una cum corona ad propinquum suum, ad ducem Austriae Leopoldum confugit. Andreas impetum cum armis facturus fuit, sed mors Ladislai III, inimicitiis finem imposuit (Pauler II, pp. 38 sq.; Wertner p. 372).

(99.)

Textui Gestorum probabiliter magister Acus hanc adnotationem univit, cui narratio provincialis Franciscani Iohannis addita est.

De coronatione ... dictus est — Pars prima indicis eadem est ac index 465 capititis Chronici Budensis: “De coronatione regis Andree secundi filii regis Bele tertii” (SRH I, 464), pars secunda indicis ad arbitrium scriptoris conscripta est.

Andreas filius Bele tertii — Rex Andreas II (1205—1235) filius secundus Belae III. et Annae Châtillon circa annos 1176/77 natus est (Wertner p. 412; Pauler II, p. 8).

coronatus est ... in Penthecostes — Anno 1205 festum Pentecostes in diem 29 mensis Maii incidit, quod affirmat annum 1201 falso — et quidem propter textum corruptum — scriptum esse. De coronatione Andreae II. anno 1205 ab archiepiscopo Colocensi Iohanne facta cf. Pauler II, p. 39. A die 29 mensis Maii diebus 27 recomputatis dies 3 Maii evenit, quae secundum scriptorem Chronici Zagrabiensis (v. caput superius) vere dies obitus Ladislai III. est. (Cf. Mátyás, Végnapjai p. 39, qui tamen ad diem 2 mensis Mai pervenit, nam neglegit, quod nominibus numeralibus ordinariis computatis dies initii quoque computanda est.)

Gertrudis de Alamania — Filia marchionis Istriae et Carniolae Bertoldi IV. Andechs (obiit anno 1204) est. Scriptor Gestorum errat, cum eam ex Alemania ortam esse adnotat, quia Andechs in Bavaria prope Monacum est, possessiones autem familiae in parte meridionali-orientali Germaniae

usque ad Tirolem, ad Carinthiam, ad Carniolam porrectae sunt. Bertoldus se prius ducem Dalmatiae et Croatiae nominavit, mox ducem Meraniae, quae in significatione regionis maritimae intellegenda est. Unam e filiabus Bertoldi rex Francogalliae Philippus Augustus in matrimonium duxit (Wertner pp. 416 sq.; Paurer II, p. 32; O. Dungern, Genealogisches Handbuch zur bairisch-österreichischen Geschichte, Graz 1931, pp. 9, 26 sq.).

genuit Belam — Rex posterior factus Bela IV. (1235—1270) anno 1206 est natus (Wertner pp. 456 sq.).

Colomanum — Dux Colomanus, filius secundo genitus anno 1208 natus est. Andreas II. anno 1214 Galicienses eum principem Galiciae accipere iussit, a papa titulum regis et coronam ei comparavit, Galiciam tamen ei diutius conservare nequivit. Ab anno 1226 praeter titulum "rex Ruthenorum" titulum "dux Dalmatiae et Croatiae" habuit. Anno 1241 vulnere in pugna in campis Muhi nominatis accepto mortuus est (Paurer II, pp. 54 sq., 72 sq., 94, 175; Hóman, M. tört. II, p. 20; Hodinka pp. 331 sq.).

Andream — Dux Andreas, filius tertius circa annos 1210—1211 natus est. Pater anno 1218 de Terra Sancta reversus filiam Leonis II., regis Armeniae, regni parvi, quae adversus insulam Cyprum, sub monte Tauro sita erat, ea condicione Andreae despondit, ut sponsus sponsaque hoc regnum hereditate acciperent. Mors Leonis II. anno 1220 eventa non minus coniugium propositum disturbavit, quam id, ut dux Andreas princeps sui iuris fieret. Andreas anno 1227 filiam principis Novgorodensis Mstislai in matrimonium duxit et potestatem Galiciae accepit. Anno 1234 mortuus est (Paurer II, pp. 69, 73, 94 sq.; Wertner pp. 455 sq.; Hodinka pp. 351, 357).

beatam Elizabeth — V. caput (100.), sent. 467. Adnotationem usque ad hunc locum magister Acus textui Gestorum univisse videtur.

uxorem Bank ... deludendam — Regina Gertrudis ex fratribus suis natu minimum Bertoldum, praepositum Bambergensem, cum hic tantum viginti quinque annos natus esset, a capitulo Colocensi archiepiscopum eligi atque a papa hanc electionem anno 1207 sanciri, ab Andrea II. autem eundem fratrem anno 1209 banum, et anno 1211 voivodam Transylvaniae declarari iussit. (Bertoldus anno 1218 patriarcha Aquileiae, anno autem 1230 etiam marchio Istriae factus est. Cf. Schmidinger pp. 90 sq.) Gertrudis item duobus aliis fratribus, marchioni Istriae Henrico et episcopo Bambergensi Ecberto refugium per nonnullos annos comparavit, cum his ut consciis necis regis Teutoniae Philippi accusatis fuga capessenda esset. Benevolentia reginae erga fratres suos et erga comitivam horum atque generaliter erga Teutonos tantopere omnibus nota fuit, ut etiam in Annalibus Marbacensibus Alsaticis ad annum 1213 de Gertrude adnotatum est: "eadem regina erga Teutonicos undecumque adventantes larga fuit et liberalis, eorumque necessitati in omnibus subveniebat" (Paurer II, pp. 42 sq.; M.G.H. Script. rer. Germ. [9], Hannoverae et Lipsiae 1907, p. 85). Eadem liberalitas apud

Hungaros ipsam invisam reddidit (cf. Annales Gotwicense, Continuatio Admuntensis, Gombos I, pp. 135, 752).

Bank banus ... interfecit — Banus Bank (Hungarice Bánk) ex documentis diplomatum anno 1206 comes Novi Castri, inter annos 1208—1209 banus Croatiae — attributum, id est cognomen “banus” (Hungarice “bán”) inde apud nomen suum est — annis 1210—1211 curialis comes (id est iudex curiae) reginae, inter annos 1212—1213, ergo cum regina occideretur, palatinus fuit (Reg. Arpad. I, p. 524). Dubitationem Karácsonyi (I, p. 157), ex qua situs possessionum sententiam scriptoris Gestorum non affirmat, secundum quam Bank e genere Bar-Kalan ortus sit, Paurer (II, pp. 50, 495) argumentis haud probatam esse putat.

uxorem Bank ... interfecit — Narratio scriptoris Gestorum haud accurata est. Res non anno 1212, sed anno 1213 (die 28 mensis Septembris) facta est et reginam non banus Bank occidit, sed comes Petrus, qui in regione meridionali Hungariae possessor et paulo ante (inter annos 1207—1210) curialis comes Gertrudis erat, atque Simon, gener bani Bank et Simón quidam alter, qui de genere Kachich est ortus. Et fontes, qui rem narrant, et documenta diplomatum affirmant reginam odio eam aegre ferentium procerum — inter quos etiam clerici aderant — oppressam esse. Coniuratores imprimis auctoritatem Teutonorum repressuri erant et sperabant fore, ut propositum suum coronando Belam, filium Andreae II. septem annos natum assequi possent. Bano Bank, ut particeps coniurationis fieret, offensione quadam privata non opus erat. Ipse incommodo huiusmodi secundum Paurer (II, pp. 495 sq.), A. Huber (Studien über die Geschichte Ungarns im Zeitalter der Arpadien, AÖG 65 [1883] 163 sq.) et F. Mátyás (Népmondák és történeti adatok Gertrud királyné erőszakos haláláról [= Fabulae populares et documenta historica de nece reginae Gertrudis], Száz. 41 [1907] 873 sq.), qui documenta fontium accuratissime perscrutati sunt, non affectus est. Argumentum tamen, quo demonstratur hanc partem Gestorum origine saeculi XIV esse, in se non est firmum ad probandum, quoniam etiam fabula, in qua res fide dignae servantur, aliquanto post adnotari potest. Marczali (op. cit., in Szilágyi, II, p. 380) in eo verum dicit, quod de incommodo bani Bank, prius, quam scriptor Gestorum liber a fabula Hungarica iam saeculo XIII fons Austriacus narravit (Annales Praedicatorum Vindobonensium: “Gertrudis regina Ungarie occiditur campestri tentorio, 4. Kalendas Octobris, eo quod fratri suo carnali patriarche Aquileiensi uxorem Bantzi procaverat”, Gombos I, p. 182), sed argumentum fontis huius, ut ex investigationibus novissimis constitui potest (cf. Lhotsky pp. 193 sq.), non est absolute fide dignum. Ne id quidem putari potest, quod nuntius ab iis orta est, quos ille dux Austriae Leopoldus VI. circa se habuit, qui una cum regina particeps venationis in silva Pilisiensi habitae erat et ipse vix effugere potuit.

cuius corpus ... Pelis tumulatur — Monasterium Pilisiense ordinis

³¹ Johannes de Thurocz

Cisterciensium anno 1184 a Bela III. fundatum est. Monasterium, quod tempore dicionis Turcicae omnino devastatum est, in regione villae hodiernae Pilisszentkereszt situm est (Békefi, Pilis I, pp. 123 sq., 238). In diplomate quodam anni 1254 Belae IV., quod iura abbatiae Pilisiensis continet, narratio scriptoris Gestorum affirmatur, ex qua Gertrudis in monasterio sepulta esset (“ecclesiam, in qua etiam corpus matris nostre honorabiliter requiescit”, Békefi op. cit. p. 317).

Pannonia — V. caput (13.), sent. 100.

in omni ... subsecuta est — Sententia scriptoris Gestorum, ex qua totum genus bani Bank poenas necis reginae dedit, falsa est. Comes quidem Petrus suppicio capitis affectus est, item membra comitivae sua, alii profugerunt, possessiones Simonis de genere Kachich rex ademit, sed Bank nulla contumelia affectus est. Palatinatum quidem amisit, tamen iam anno 1217 iterum banus factus est (argumentum anni 1218 Huber [op. cit. AÖG 65 (1883) p. 169] diplomate falso nititur), annis 1221—1222 iudex curiae regis (Karácsonyi I, p. 155; Reg. Arpad, I, p. 524) erat. Necem Gertrudis Bela IV. ultus est. Is fuit, qui Bank possessionibus privavit (Karácsonyi I. cit.). Sententia falsa scriptoris Gestorum eo explicari potest, quod pars tota, in qua res Gertrudis tractantur, a vocabulis “Sed proch dolor” a provinciali Franciscano saeculi XIV inserta est (Horváth p. 267), qui autem genus Zach anno 1330 extinctum esse excusare voluit. Provincialis recte reputavit rem ante oculos factam aequales suos minus offensuram esse, si in ea casus similis, qui ante centum annos factus est, iterari videtur, atque ita Carolus Robertus non iniurias suas privatas ultus esse probatur. Simul provincialis praetermittere non potuit, quin causas rem efficientes transponeret, cum utilius fuisset, si partes reginae sua frivoles omnino silentio praeteriisset, necem autem Gertrudis ex invidia Teutonorum factam commentatus esset. Prorsus eo, quod ipse Gertrudi partes reginae Elisabethae dat, prodit se Felicianum de genere Zach pro decore filiae gladium destrinxisse (Mályusz 1966, 739 sq. Cf. caput (123.)).

⟨100.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est. Partem magnam adnotationum, quae ad hoc caput pertinent, prodit Mályusz (1971, pp. 11—12, 114—118).

466 *De peregrinatione ... Hierosolimam* — Index ex indice capitum Chronicorum Picti formatus est: “Andreas vadit Iherosolimam” (SRH I, 465).

rex — Vocabulum “rex” solum in codicibus S et A legi potest.

rex ... visitavit — Synodus Laterana (anno 1215) tempus belli quinti cruciferorum adhuc in vita papae Innocentii III. (1198—1216) ad diem¹ mensis Iunii anno 1217 constituit. Andreas II. exeunte aestate anni 1217 e

Dalmatia naves Venetas descendens profectus est. Participes expeditionis fuerunt praeter eum dux Austriae Leopoldus VI., praelati et proceres Teutonici, Scandinavici, item rex Hierosolymorum et rex Cypri, ad quos res maxime pertinebat, atque principes Antiochiae et Tripolis (Vasshegyi E., II. Endre kereszteshadjárata [= De bello Andreeae II. rei Christianae causa suscepto], Bp. 1916, pp. 28 sq.; S. Runciman, A history of the Crusades, III, Cambridge 1955, pp. 146 sq.).

ad mandatum ... pape — Papa Honorius III. (1216—1227) quoque Andream II. ad officium exsequendum cohortatus est (die 30 mensis Ianuarii anno 1217) admonens, ut neglegentia eius “in dei offensam, apostolice sedis iniuriam et tui sempiternum obprobrium redundaret, quod et a nobis non posset in patientia tolerari” (Theiner I, p. 5; P. Pressutti, Regesta Honorii papae III, Roma 1888, I, num. 291). Scriptor Gestorum, ut ex sequentibus intellegi potest, paeceptum prius papae esse arbitratur.

dum esset adhuc dux — Titulus “dux” Andreeae II. non cohaeret cum “ducatu” saeculi XI (cf. Pauler II, p. 12). Coniectura e vocabulo “ducales expensae” capit is 93., sent. 459 (SRH I, 460) facta titulus “dux” generaliter attributum filiorum regum fuit. Andreas II. praeter hoc annis 1198—1202 ut dux Dalmatiae, Croatiae, (Ramae) Chulmaeque particeps gubernandi erat (Szentpétery p. 71; N. Klaić, O hercegu Andriji [1197—1204] [= De duce Andrea (1197—1204)] Rad Jugoslavenske Akademije Znanosti i Umjetnosti [Opus Iugoslavicae Academiae Litterarum et Artium] 136 [1898] 200 sq.).

sicut habetur ... votum patris — Bela III. votum fecit, ut particeps belli rei Christianae causa suscepti fieret, ad consilium peragendum pecunias quoque collegit, cum autem sensit se propositum exequi nequire, votum solvendum Andreeae commisit. Dux in vota satisfacienda cessavit. Opes dissipavit, cum fratre assidue discordans regno adipiscendo studebat et ad bellum suscipiendum ne tunc quidem excitatus est, cum rex est factus. Papa Innocentius III. eum et regem Emericum monuit non semel, ut muneri in se recepto satisfacerent (R. Röhricht, Studien zur Geschichte des fünften Kreuzzuges, Innsbruck 1891, p. 23), et una ex his admonitionibus, quae die 29 mensis Ianuarii anno 1198 data est, conservata est in ea parte “Corporis iuris canonici”, quae indicem “Decretales Gregorii (IX.)” habet. Nam in argumentatione bullae papalis enuntiatio principalis eiusmodi inerat, quam compositor corporis iuris, Raymundus de Pennaforte (1230—1234) idoneam putavit, qua rationes iuridiciales in Decreto Gratiani congestae quoque supplerentur. Scriptor Gestorum, magister Acus mandatum papalem e corpore iuris canonici cognovit eamque eo modo affert, sicut paragraphos illos afferre usitatum fuit. Vocabulum igitur “extra” (“extra Decretum”) significat Decretales Gregorii, vocabulum “de voto et voti redemptione” index tituli 35 (libri II) est, vocabula autem prima capitulum determinant (Corpus iuris canonici, ed. Ae. Friedberg, Lipsiae 1881, II, pp. 590 sq.). Secundum textum accurate allatum pro certo haberi potest magistrum Acus

iuris canonici peritum fuisse et, quoniam in Hungaria medio saeculo XIII facultas hanc scientiam addiscendi non erat, ipsum studiis in universitate quadam externa se dedit.

soldanum Babilonie — Ex rerum cohaerentia pro certo habemus hoc vocabulum sultanum Aegypti significare. Hic Malik al-Adil (1200—1218) erat, simul princeps Mesopotamiae et Syriae, qui in opere “Gesta crucigerorum Rhenanorum” quoque “soldanus Babylonie” est nominatus (R. Röhricht, Quinti belli sacri scriptores minores, Genevae 1879 [Publications de la société de l’orient latin, Série hist., II] p. 35).

Mansit autem tribus mensibus — In Gestis tempus, cum Andreas II. in Terra Sancta commoraretur, recte adnotatum est. Rex primo mense Ianuario anno 1218 domum profectus est. Usque ad hoc tempus exercitus cruciferorum sine ullo eventu manifesto tempus terebat. Motus belli gerendi, quibus Syria occupanda fuisset, tantum excursiones manserunt. Ipse Andreas tantum primae harum excursionum aderat. Quia excursiones sine ullo successu finitae sunt, duces cruciferorum decreverunt se pro Syria Aegyptum invasuros esse, cum autem ad consilium peragendum accederent, Andreas II. iam domum reversurus fuit. Ipse eo, quod particeps belli fuit, non votum viginti annos retardatum persolvere in animo habuit, sed imperium Byzantium sibi comparaturus fuit. Post mortem socii, imperatoris Petri Courtenay (anno 1217) Andreas II. sperabat socrum et propinquos suos — inter quos erat soror sua natu maior, Margarita, regina regens Thessalonicae — adiumento sibi fore, assectatores autem alias recentioribus privatis coniunctionibus factis, id est despondendo filios et filiam sibi comparaturus fuit. Etiam exercitu suo in Palaestina parcerat, ut domum reversus potestatem suam ostendere posset. Id, quod voluit, assequi nequirit, quoniam bellum sine ullo successu gestum expectationem regum destituit, cum quibus Andreas II. coniunctiones facere conatus est (Paurer II, pp. 63 sq.; Hóman, M. tört. II, pp. 23 sq. Cf. A. Waas, Geschichte der Kreuzzüge, Freiburg 1956, I, pp. 258 sq.).

caput ... prothomartyris Stephani — Reliquiae protomartyris Sancti Stephani anno 415 in Hierosolymitana ecclesia de Sion nominata depositae sunt, quarum partes singulæ inde in regiones diversas orbis terrarum, ubi Christiani habitabant, imprimis in Africam dilatae sunt (Lex. f. Theol. IX, p. 797).

caput beate ... martyris — Cultus Sanctae Margaritae Antiochiensis, ut ex ecclesiis a duce Almo conditis, constitui potest (caput (88.), sent. 420), iam prima parte saeculi XII in Hungaria inveteratus est. Reliquiae eius anno 908 in Italiam latae sunt (Künstle II, p. 422). Andreas II., dum Tripoli et Antiochiae commorabatur, cum hospitio ducis Antiochiae Bohemundi IV., qui propinquus Andreæ erat, acceptus esset (Paurer II, pp. 66 sq.; Hóman, M. tört. II, p. 26), maiore animi intentione ad eam se convertere potuit.

Thome apostoli — Reliquiae eius ex India saeculo III Edessam translatae

sunt, inde anno 1258 in Chium, mox Ortonam in ora maritima Hadriatica sitam (Lex. f. Theol. X. 110 sq.).

sancti Bartholomei — Reliquiae apostoli in Armenia, Albanopoli martyrio extincti in insulam Liparam, inde Beneventum, mox anno 983 Romam perlatae sunt, calva eius autem anno 1238 Francofurtum ad Moenum (Lex. f. Theol. II, p. 10).

divisorum sanctorum ... Bartholomei — Ut proprium ineuntis saeculi XIII extolli potest, quod cultum duorum ex illis sanctis, quorum ex reliquiis partes quasdam Andreas II. sibi comparavit, vita militaris apud populum gratiosum reddidit. Stephanus, protomartyr patronus equorum fuit. Sancta Margarita compar ex parte feminarum Sancto Georgio est culta, et proinde descripta est ut victrix draconis. Coniunctionem eorum cum vita militari inventum quoddam archaeologicum evidentem reddit, quod fibula in Kígyóspuszta inventa nominatur. In hac fibula cinguli medio saeculo XIII facta momentum proelii militaris effectum est, inscriptiones autem in quattuor bullis, quae ad fibulam pertinent, auxilium sanctorum singulorum implorant. Hi sancti sunt: Stephanus, Bartholomaeus, Margarita et Iacobus, qui secundum legendam in proelio cum Mauris conserto vexillum album tenens et equo albo vectus exercitui Christianorum praefuit (Tóth Z., A kígyóspusztai csatt jelentősége [= De momento fibulae in Kígyóspuszta inventae], Turul 47 [1933] p. 15). De reliquiis memoratis in historicis fontibus Hungaricis mentio non fit (Mályusz 1971, pp. 114 sq.).

divisorum sanctorum ... quas potuit tunc congregare — Ex oriente iam ante bella cruciferorum vis magna reliquiarum in Europam collata est. Reliquiae Sancti Marci anno 829 Venetias allatae sunt (Künstle II, p. 434), matrimonium imperatoris Othonis II. cum femina Graeca coniunctum promovit, ut cultus Sancti Nicolai in Teutonia divulgaretur et reformatores vitae monachorum Lotharingiae in reliquiis sanctorum importandis non cesserunt principibus (Hauck IV, pp. 78 sq.). Actio igitur reliquiarum importandarum extra Hungariam iam pridem incepta erat, sed actio Andreae II. in Hungaria ut mos quidam immutate vigens apparuit. At dum bona fides ad reliquias sanctorum annexa credi potest, ab “aliis multis” reliquiis, quarum exempla sunt: hydriae Cananaeae vel virga Aaron, notiones “fraus, mendacium, perfidia” (Hauck IV. p. 84), disiungi non possunt. Narrationem Th. de actione Andreae II. reliquiarum comparandum repetit Runciman, tamen mirum in modum quasi non dubitaret, an Th. fide dignus esset (op. cit. III, p. 148: “King Andrew was delighted to obtain one of the water-jugs used at the marriage feast at Cana”; p. 149, adnot. 3: “Andrew had also obtained the head of St Margaret, the right hands of St Thomas and St Bartholomew and part of Aaron’s rod”).

Reversusque ... in prospero statu — Re vera Andreas II. regnum totum in 467 statu everso invenit. Vicarius eius, archiepiscopus Strigoniensis Iohannes ordinem servare non potuit. E contrario, proceres effrenati archiepiscopum comprehenderunt, regno expulserunt, redditus autem eius sibi retinuerunt

(Pauler II, p. 69). Ut Andreas II. ipse anno 1219 dixit: "quamplurimi potentum et nobilium regni, satellites Sathane regiam non verentes offendere maiestatem nostris dispositionibus ausu presumpserunt nephario contrarie pacem perturbantes et Hungariam hostiliter afflgentes" (Mon. Strig. I, p. 222).

Erga — In cunctis variantibus Gestorum: "Ega" (SRH I, 466) legitur, atque ita vocabulum "Erga" a Th. falso scriptum esse potest. Origo nominis ignota est.

Benedictus ... cancellarius regine — Andreas II. uxorem secundam, reginam Iolantham, filiam imperatoris Constantinopolitani Petri Courtenay II. anno 1215 in matrimonium duxit (Wertner pp. 421 sq.). Id, quod regina cancellariam habuit, diplomate reginae quodam anno 1224 edito affirmatur, in quo etiam cancellarius nominatus est. Hic erat praepositus Vesprimiensis, posterius ibidem episcopus factus, nomine Bartholomaeus (Fejér III/1, p. 469; Fejérvataky pp. 50, 98; Szentpétery pp. 116 sq.). De cancellario Benedicto, qui primus cancellarius reginae nomine notus est, documentum unicum est commemoratio scriptoris Gestorum. Quia scriptor capit is, ipse magister Acus quoque cancellarius reginae fuit, documentatio sua sine dubio probari potest.

Transactis ... lanthgravio copulavit — Cum Elisabetha (nata est anno 1207) anno 1211 filio marchionis Thuringiae, Hermanni desponsa et ex Hungaria delata esset, a matre, Gertrude large dotata dimissa est (Pauler II, p. 41; Wertner pp. 438 sq.). Nuptiae post decem annos, anno 1221 factae sunt. Scriptor Gestorum novem annos ab anno 1212, qui in textu superius memoratus est, a tempore mortis reginae Gertrudis — haud recte constituto — numerat. Secundum coniecturam ex adnotatione factam magister Acus adnotationes ad exemplar annalium scriptas in manibus habuit.

Qui post ... migravit ad Christum — Marchio Thuringiae Ludovicus IV. (1216–1227) anno 1227 voluntati imperatoris Friderici II. morem gerens crucem sustulit, sed in itinere die 11 mensis Septembris in civitate Hydrunto (h. Otranto) mortuus est. Hoc loco ad tempus sepultus est et Thuringi domum revertentes inde cadaver eius secum portaverunt (E. Winkelmann, Kaiser Friedrich II. [Jahrbücher der deutschen Geschichte], Leipzig 1889, I, p. 330; M.G.H. SS XXX/1, pp. 642 sq.). Itaque scriptor Gestorum locum obitus Ludovici in Terra Sancta fuisse falso arbitratur.

cuius festum ... celebratur — Ludovicum IV. populus ut sanctum venerabatur, sed publica auctoritate non est canonisatus (Lex. f. Theol. VI, p. 699, O. Holder-Egger, M.G.H. SS XXX/1, p. 499). Intellegi non potest, scriptor Gestorum cur magni momenti putaverit affirmare id, quod Ludovicus sanctus esset, et extollere mentitum cultum eius Hierosolymis vulgatum. Nec de hac re, nec de eo, quod ipse Hierosolyma pervenit, ullum verbum in bibliographia copiosa marchionis saeculo XIII hagiographice conscripta legitur. Huius biographiae tantum duo argumenta cum opinione divulgata coniungi possint: Ludovicus moriturus sacramentum extremae unxionis e

manibus patriarchae Hierosolymitani sumpsit, columbae autem albae, quae circum lectum suum volitabant et quas praeter eum capellanus quoque vidiit, cum Ludovicus animam expiravit, ad orientem avolaverunt (H. Rückert, Das Leben des heiligen Ludwig, Landgrafen in Thüringen, Leipzig 1851, p. 60). Fieri potest, ut scriptor Gestorum ea fama sit usus, secundum quam Ludovicus IV. cum patruo identificatus est. Marchio Ludovicus III. (Pius) tempore belli cruciferorum tertii (1189–1191) vere in Terram Sanctam advenit, particeps proeliorum ibi commissorum fuit et domum revertens in insula Cypro mortuus est. Personae duorum marchionum ex identitate nominum confundi potuerunt. Quam facile hoc accidere potuerit, opus poeticum Germanicum anno 1301 in aula ducis Svidnicensis (Schweidnitz) Bolko scriptum demonstrat, in quo uxorem marchionis anno 1190 defuncti magno cum anachronismo Sanctam Elisabetham fuisse scriptum est (Die Kreuzfahrt des Landgrafen Ludwigs des Frommen von Thüringen, hrsg. v. H. Naumann, M.G.H. Dt. Chron., tom. IV pars II, Berlin 1923, p. 201). Lapsus scriptoris Gestorum ad hunc errorem comparatus minus gravis videtur. Ne in opere quidem “Kreuzfahrt” cultus marchionis in Terra Sancta ortus memoratur, tamen momentum eiusmodi invenitur in parte operis, in qua inscensio in navem enarratur, quod cum fama in hac ratione evoluta coniungi potest:

“die herren des bestiezen in,
der patriarke gap nâch den segen,
manich heilic munt, als sie den phlegen,
die bischofe in gotes êre
nach Cristenlîcher lêre
in ir gebete sie hêten in
sus fûr der edele furste hin”
(v. 8080–8086).

Mirum est scriptorem Gestorum de canonisatione Sanctae Elisabethae (anno 1235) non commemoravisse, cum cultus eius ad cultum mariti comparatus multo magis divulgatus esset et in Hungaria quoque permultae ecclesiae et nosocomia in honorem Sanctae Elisabethae sacrata essent. Scriptor quidam ordini Sancti Francisci ascriptus iam ne ideo quidem eam neglegere potuisset, quia Elisabetha ordini tertiaro Sancti Francisci ascripta erat (M. Bihl, Die hl. Elisabeth von Thüringen als Terziarin, Franziskanische Studien 18 [1931] 259 sq.). Eo, quod Elisabetha hoc loco Gestorum a scriptore silentio praetermissa est, scriptorem capitis non provincialem Franciscanum saeculi XIV, sed magistrum Acus esse affirmatur.

Migravit ... regni sui — Andreas II. die 21 mensis Septembris anno 1235 mortuus est (Pauler II, p. 128). Scriptor Gestorum errat hoc tempus anno 30 regni Andreae II. fuisse dicens. Dies obitus regis a tempore quidem coronationis (die 29 mensis Maii anno 1205) computata iam anno 31 regni fuit. In diplomatis compluribus Andreae II., anno 1235 confectis (Reg.

Arpad. I, num. 537—540) simul annus 32 regni adnotatus est. (Item anno 1234 respondet annus 31: Reg. Arpad. I, num. 528—532.) Res eo explicari potest, quod Andreas II. coronationem Ladislai III. pro irrito habens regnum suum a tempore priore computavit. Ut maxime probabile videtur, a tempore mortis Emerici. At cum tempore mortis Emerici, quod a scriptore Gestorum die 30 mensis Novembris anno 1204 fuisse dicitur, annus 32 regni Andreae II. ad annum 1235 relatus, coniungi non potest. Pauler hanc difficultatem ea conjectura solvit, ex qua Emericus ante mensem Septembrem anno 1204 obiit (II, p. 491), atque ita Andreas efficere potuit, ut diplomata ederet anno 1235, qui annus 32 regni sui computatus est. Haec explicatio cum die 30 mensis Novembris discrepat, quae dies in Gestis ut tempus obitus Emerici est adnotata. Rectius videtur rem ita complecti, ut Andreas regnum suum a tempore coronationis Ladislai (a die 26 mensis Augusti anno 1204) computaverit (Kristó 1974, 608). Non igitur a morte Emerici, ne immo quidem ab abdicatione eius. Hoc modo contradictio summovetur. Inter annos regni in Gestis adnotatos et annos diplomatum nec non id, quod usus cancellariae memoratus — secundum quem Andreas se proximum successorem regis Emerici habuit — omittitur, demonstrat magistrum Acus annum obitus regis Andreae ut aequalem adnotavisse et non indice cancellariae usum esse. Ascriptio diei datae omissa quoque affirmit scriptorem datum obitus Andreae non e textu scripto quodam sumpsisse. Simul non est dubium, quin adnotatio cancellariae argumenta Ladislai adhuc continuerit. In cancellaria cancellarius Robertus anno 1207 instituit, ut post ascriptionem dati diplomatum editorum “annus regni” constanter adnotaretur. Auctor — magister Acus — hic formulam in diplomatis conscribendis usitatam adhibet (Györffy p. 154).

monasterio de Egrus — In villa Egres — hodie Igriş (RSR) — a civitate Chanad ad orientem ad fluvium Marusium — rex Bela III. anno 1179 Cisterciensibus monasterium fundavit (K. Juhász, Die Stifte der Tschanaider Diözese im Mittelalter [Deutschum und Ausland, 8—9], Münster i.W. 1927, pp. 73 sq.; Györffy, Tört. földr. I, pp. 855 sq.). Significatio vocabuli loci Hungarice est: égererdő ‘alnetum’ (Etym. Szótár I, col. 1489).

cuius corpus ... feliciter requiescit — Secundum Chronicon Alberici: “Andreas rex Hungarie moritur et sepelitur in civitate Waradino, reclamantibus abbe et fratribus de Pelicio et super hoc causam agitantibus” (Gombos I, p. 32). Quia Albericus ipse membrum ordinis Cisterciensium fuit, sententia eius probabilis est (Mátyás F., Magyar történeti problémák [= Quaestiones in historia Hungarorum], Száz. 28 [1894] 295). Secundum explicationem Pauler (II, p. 129) cadaver Andreae II. Varadinum est latum, cum autem Cistercienses de Pilis postulaverunt, ut apud se iuxta uxorem primam, Gertrudem sepeliretur, postulatio quidem repulsa est, sepulcro tamen regis monasterium de Egres assignatum est.

⟨101.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est. Magnam partem adnotationum ad caput pertinentium prodit Mályusz (1971, pp. 118–122).

De coronatione ... per eosdem — Pars prima indicis cum indice capitinis Chronici Budensis identificari potest (“*De coronatione regis Bele quarti filii Andree secundi et de diffortunio eius*”, SRH I, 467), secunda pars ex indice operis Rogerii (“*Epistola magistri Rogerii in Miserabile Carmen super destructione regni Hungarie per Tartaros facta editum ad reverendum dominum Iohannem Pesthiensis [recte: Iacobum Penestrensis] ecclesie episcopum feliciter incipit*”, SRH II, 551) conscripta est.

feria prima ... Da pacem, domine — Dies 14 mensis Octobris anno 1235 vere dominica fuit, huius tamen introitus est: “*Omnia, quae fecisti nobis domine.*” Verba introitus in Gestis adnotati: “*Da pacem domine*” prima vocabula missae illius dominicae sunt, quae ante quindecim dies erat (SRH I, 467).

in cathedrali ... consecrari fecit — Ecclesiam, in qua Bela IV. coronatus est, ipse Albae Regiae adhuc rex iunior aedificavit, probabiliter in loco vetustioris minorisque ecclesiae vel capellae. Eadem est atque hodierna ecclesia cathedralis episcopalnis. Cum exaedificata est, ecclesia parochialis fuit, igitur scriptor Gestorum eam ecclesiam cathedralem falso dicit. Secundum descriptiones coronationum saeculi XV rex novus coronatione in basilica finita huc transivit et in solio considens causas aliquot iudicavit, sic ostendens iuris dictionem munus suum habere (Fitz J., Székesfehérvár [= Alba Regia] [Magyar Műemlékek] [= Artis Monumenta Hungarica] Bp. 1957, p. 10; Csánki III, p. 311; Bartoniek pp. 40 sq.).

ensem regalem ... honorifice tenente — Gladius coronandi saeculi XIII non est idem atque ille, qui saeculis XIX–XX quoque usitatus est, quia hic posterior stili saeculi XVI est. Gladius aetatis Arpadianae veri similiter idem est atque ille, qui ex donatione imperatoris Caroli IV., qui permultas reliquias sibi comparavit, in possessionem ecclesiae Sancti Viti Pragensis redactus est et in inventario thesauri ecclesiae anni 1386 “*Gladius sancti Stephani regis Ungariae*” nominatur (Ipolyi A., A magyar szent korona és a koronázási jelvények története és műleírása [= Historia sacrae coronae Hungariae et insignium coronationis et descriptio artis eorum], Bp. 1886 pp. 212 sq.).

Daniele ... cum reverentia ducente — Scilicet princeps Lodomeriae et Galiciae Daniil Romanovič est, ab anno 1235 rex Galiciae (obiit anno 1266). In Annalibus Russicis Daniil nominatus est Danilo (Hodinka pp. 304 sq.). Ut gener principis Novgorodiensis Mstislai, quoniam illius filiam alteram dux Andreas, qui anno 1234 est mortuus, in matrimonium duxit, propinquus Belae IV. erat. Ipsi tamen ex altera parte quoque consanguinei sunt, nam proavia Belae IV. Euphrosina et proavus principis Danilo, magnus princeps

Kioviae Izjaslaus fratres fuerunt (Hóman, M. tört. II. p. 20). Factum Danilo, id est quod partes vasalli agendas suscepit, cum Bela IV. coronatus est, demonstravit coniunctionem inter Hungariam et Galiciam penitus immutatam. Vita eius ab anno 1205, cum post mortem patris ut puer quattuor annorum armis Andreae II. adiutus in potestatem regni sui adductus esset, proelia perpetua cum rege Hungariae conserendo transacta est. Repugnatio sua eo concitata est, quod Andreas II. Galiciam directe sub regnum suum Hungariae redactus fuit. Bela IV. consilia patris, quae de regno habuit, omittens, illusionem dictionis Hungaricae in Galicia preferendae deiecit et satis habuit, ut potestatem suam non directe exerceret (Hóman, M. tört. II, pp. 33 sq.). Danilo tempore coronationis auxilium contra proceres Galiciae petivit, quo veri similiter etiam adiutus est, nam regnum suum exeunte anno 1235 certe recuperare ei contigit (Paurer II, p. 136. Commoratio Danilonis — anno 1235 — in Hungaria in Annalibus Russicis quoque memorata est, Hodinka p. 395).

Anno domini ... Mangali sive — Th. textum familiae Chronicorum Picti est secutus.

Mangali sive Tartari — In documentis Hungaricis et externis nomen populi “Tartari” usitatum est. Nomen Mongolicum in materia fontium, quae ad res Hungaricas usque ad annum 1301 peractas pertinet, ut ea in voluminibus I—III Gombos continetur, locis fontium ex indice Csapodi inquisitis tantum apud Iohannem de Plano Carpini invenimus. Praeter Gesta etiam in Gestis Simonis de Kéza nomen “Mongli sive Tartari” (SRH I, 184) memoratur, item apud Thomam Ebendorfer saeculi XV in forma “Mangli qui et Tartari vocabantur” (Gombos III, p. 2209), tamen ambo, ut demonstrari potest, textum Gestorum iterant.

Anno domini ... Hungarie invaserunt — Tartari contrarii consuetudinibus militum, bella hieme gesta magis factitabant, quia temporibus hibernis fluvii gelu constricti sibi haud magno impedimento fuerunt, silvae autem et paludes fugientibus auxilio esse non potuerunt (Olchváry Ö., A muhi csata [= De pugna ad Muhi commissa], Száz. 36 [1902] 315 sq.). Celeritas eorum insigne proprium est, scilicet incursionem in Hungariam facturi primum Kioviam die 6 mensis Decembri anno 1240 ceperunt et fines regni Hungariae iam die 12 mensis Martii anno 1241 per iugum Verecke nominatum transierunt, die 17 autem mensis Martii iam Vaciam everterunt. Numerum eorum Paurer (II, p. 151) 100—120 000 fuisse arbitratur.

⁴⁶⁹ *Contra quos ... Hungarie universa* — Certamen supremum die 11 mensis Aprilis anno 1241 ad oppidum medii aevi Muhi in comitatu Borsodiensi, iuxta flumen Sajum certatum est. Numerus exercitus Hungarorum adaequavit numerum Tartarorum, tamen exercitus ipse haud unificate exstructus erat. Robur milites gravis armaturae fecerunt, qui strenue rem suam gesserunt, pars maior autem milites levis armaturae et quidem eiusmodi fuerunt, qui artem egregie sagittandi iam dediscerunt et deverticulorum flexionumque equitum nomadum orientalium expertes fuerunt. Supremum

stragis cumulum attulit, quod Bela IV. ingenio belli gerendi duci Tartarorum, chano Batho impar erat. Victoria Tartarorum "magna fuit, una ex maximis", sed tam detrimentosa funestaque ipsis quoque, ut chanus Bathus dubitaret, utrum perseveraret, an retro verteret iter et tantum duce Tartarorum Subotai suadente, qui quondam socius chani Dsingis fuit, insectationi institit (Pawler II, pp. 159 sq., 164).

Ipsa vero ... crudeliter insequuntur — Bela IV. in valle fluvii Sajii, deinde ad occasum versus praeter confinium regni in Slavoniam, inde autem, cum — hieme annorum 1241/2 — flumen constrictum iam impedimento non esset et Tartari Danubium transirent, in civitatem Tragurium Dalmatiae (hodie Trogir, Iugoslavia) confugit (Pawler II, pp. 173 sq., 184).

Manserunt ... tribus annis — Descriptio temporis in Gestis falsa est. Chanus Bathus comperiens chanum Ogotai in Karakorum die 11 mensis Decembris anno 1241 mortuum esse, causam suam defensurus, quia series successionis regni districte ordinata non erat, domum reverti decrevit. Exercitus Tartarorum mense Martio anno 1242 ex Hungaria excessit (Pawler II, pp. 184 sq.). Sententiam scriptoris Gestorum ex informatione falsa factam habere possumus, tamen fieri potest, ut scriptor enuntiationem sequentem operis archidiaconi Spalatensis Thomae (obiit anno 1268) "Historia Salonitanorum" haud recte intellexerit: "Tribus ergo cladibus antedictis, videlicet ferro, fame, fera, totum regnum Hungarie continuato triennio flagellatum ex divino iudicio penam suorum expendit non mediocriter peccatorum" (39. cap. Gombos III, p. 2244). Quo modo Gesta cum opere archidiaconi Spalatensis cohaereant, adhuc non explicatum est.

Et, quia ... gladio ceciderunt — Enuntiatio, quod ad sententiam pertinet, non discrepat cum narratione archidiaconi Spalatensis Thomae: "Licet autem barbarica rabies totum regnum Hungaricum immoderato gladio attrivisset, e vestigio tamen famis subsecuta pernicies miserabilem plebem tabe iniedie devastavit. Instante namque furore Tartarico non licuit colonis miseri arvis semina tradere, non valuere preterite messionis recoligere fruges" (Gombos III, p. 2244). De inopia et fame etiam ceteri fontes aetatis incursionis Tartarorum commemorant, sic Rogerius (SRH II, 587). "Plancus destructionis regni Ungariae per Tartaros" (SRH II, 597; cf. adhuc Curschmann p. 175).

ducem Austrie ... bellicosum — Scilicet dux Austriae Fridericus Bellicosus, ultimus vir familiae de Babenberg (Huber I, pp. 343 sq.; Uhlirz I, pp. 68 sq.).

Novam Civitatem — Id est hodierna civitas Wiener Neustadt in Austria Inferiore ad fluvium Fisca sita.

ducem Austrie ... in prelio Hungarorum — Causa mira notandaque mortis Friderici Bellicosus suspicionem aequalibus iniecit, ut dux a popularibus suis necaretur, posterius autem nec id ignorare putabant, quod nex ultione facta est. Ulricus de Lichtenstein, qui ipse particeps pugnae erat, in carmine vitam suam recordanti non nisi id mirum putavit, quod causa mortis ducis

vulnus quoddam non grave erat, quod ipse consentiens cum scriptore Gestorum indicat: "er het niht wunden niwan ein / in sîn wange." Frauendienst, hrsg. v. R. Bechstein, II. Teil (K. Bartsch, Deutsche Dichtungen des Mittelalters, VII/2, Leipzig 1888, p. 257). Postquam scriptor operis "Continuatio Garstensis" mortem ducis "fraude vel malitia comite" factam esse dixit (Gombos I, p. 769), scriptor operis "Chronicon Salisburgense" iam suspicionem extulit verbis ("vel a suis vel ab hostibus, sicut dubitatur, fuit interemtus", Gombos I, p. 678), ut postea in adnotacione quadam Salisburgensi certe affirmaretur: *fraus mortem ducis effecit*, et in opere "Continuatio Chronicae Magni presbyteri Reichersbergensis" (1279) etiam nomen interfectoris adnotatum est (Gombos I, p. 758. Cf. A. Ficker, Herzog Friedrich II. der letzte Babenberger, Innsbruck 1884, pp. 174 sq.; A. Lhotsky, Studien zur Ausgabe der Österreichischen Chronik des Thomas Ebendorfer, MIÖG 57 [1949] 226 sq.). Magister Acus, ut constitui potest, opinionem aequalium expressit, primum forte magis firmiter quidem, quam id hodie in Gestis legimus. In codicibus vetustioribus (*A S*) Chronicci Budensis, item in Chronicco Picto atque in variantibus huius *V₂* *V₃* *V₅* congruentibus cum textu Th. sic est scriptum: "ducem ... gens occidit in prelio Hungarorum", id est, "ut videtur, *nex ducis populo suo ascribitur*" (Paurer II, p. 524), sed secundum *B D R* "gens occidit Hungarorum in prelio", postremum in *V₄* possilitas suspicionis omnino omittitur: "in prelio gens Hungarorum occidit" (SRH I, 468). Textus magistri Acus, in quo suspicio exprimitur, haud semel transcriptus obscurari potuit et posteriores scriptores verborum ordinem commutando plus sententiae textui addere conati sunt.

Post hec autem ... cum Hungaris perdidit — Dux Fridericus matrimoniis iunctis affinitate coniunctus est cum Bela IV., quae matrimonia tamen non eiusmodi effecta sunt, ut amicitia inter regem et ducem contrahi posset. Nam Fridericus cum uxore prima, Sophia Lascaride, quae soror uxoris Belae IV. fuit, divortium fecit (anno 1229), uxorem secundam, Agnetem Meranensem, quae soror amitina regis Hungariae fuit, e matrimonio dimisit (anno 1243), anno 1241, cum Bela IV. Tartaros fugiens ad confinium Austriae pervenit, iure hospitio rupto stipendum anno 1235 solutum reposcebat cogens eum invitum, ut opes secum allatas ipsi traderet et pro summa, quae adhuc superfuit, tres comitatus occidentales Hungariae pignori concederet (Paurer II, pp. 173 sq., 213). Comitatus iam regi remissi sunt, atque ita veri simile est anno 1246 satorem discordiarum ducem fuisse. Pugna ante Novam Civitatem die 15 mensis Iunii anno 1246 commissa est. Diu ancipiti Marte pugnatum est et postremo victoriam Austriaci reportaverunt.

〈102.〉

Caput a magistro Acus conscriptum est.

De bello ... Bohemorum — Index ex indice capitinis *V₅* conscriptum est: 470
“Pugnat rex cum Othocario rege” (SRH I, 468).

Othocarum — In *V₃*, *V₄*, *V₅* forma: “Othocarium” scriptum est; in variantibus ceteris formae: “Othocarum”, “Othacarum” (SRH I, 469) inveniuntur.

Post hec ... regem Bohemorum — Et marchio Moraviae Otacarus II. Přemysl ab anno 1253 rex Bohemiae factus et Bela IV. hereditatem Friderici Babenberg sibi postulabant. Otacarus ius hereditarium suum confirmatus anno 1252 sororem natu maiorem ducis Friderici, Margaritam in matrimonium duxit, quamquam haec duplo maior natu erat, quam ipse Otacarus. Anno 1254 duo pettores regni rationes suaee ita disiunxerunt, ut pars Stiriae a Semmering ad meridiem sita tota Belae contigit, pars autem altera Stiriae — praeter regionem Pütten nominatam — a Semmering ad septemtrionem porrecta atque Austria Otacaro contigerunt. Sed rex Bohemiae invidiam procerum Stiriensium in dicionem Hungaricam convertens in suam rem hereditatem totam Babenbergensem in potestatem suam redegit. Bela IV. cum Otacaro in regno eius congressurus fuit, atque ideo in diem 24 mensis Iunii anno 1260 exercitum suum in confinium, ad fluvium Moravam convenire iussit (Pauler II, pp. 215, 218 sq., 234 sq.).

filio suo Stephano — Filius Belae IV. et Mariae Lascaris, qui posterior rex Stephanus V. factus est, anno 1239 est natus. Pater eum ante mensem Ianuarium anno 1246 regem coronavit, ducem Slavoniae, posterius ducem Transylvaniae fecit, mox Stiriam gubernandam ei tradidit. Ab anno 1262 ut “iunior rex Hungarie” regni socius Belae IV. factus est. Stephanus usque ad id tempus in diplomatis ducem et “primogenitum illustris regis Hungarie” se nominavit (Wertner pp. 498 sq.; Pauler II, pp. 205, 246 sq., 529; Szentpétery I., V. István ifjabb királysága [= De titulo iunioris regis Stephani V.], Száz. 55—56 [1921—1922] 87).

Alpra duce Cumanorum — Idem est atque ille “magnificus vir Albret”, ad quem rex Neapolis Carolus Andegavensis anno 1273 epistolam scripsit (Dipl. Eml. Anjou I, p. 34), et quem scriptor operis “Continuatio Vindobonensis”, cum de morte filio huius anno 1298 eventa commemorat, “regem Comanorum” appellavit (Gombos I, p. 790). Eo, quod honorem ducatus per longum tempus idem dux gessit, significatur Cumanos in Hungaria secunda parte saeculi XIII ampliorem statum habuisse, quam societas in genera distributa (Györffy Gy., A kunok feudalizálódása [= De feudalisatione Cumanorum], in Székely, Tanulm. p. 255). Significatio nominis est: Alp-Är ‘der heldenmütige mann’ (Gombocz op. cit. MNy 11 [1915] 345 sq.).

victus fugit circa Haymburg — Hodiernus locus Hainburg in Austria, in

ripa dextera Danubii est inter Viennam et Posonium. Pugna in historia Germanica nomine “pugna ad Kroissenbrunn” memoratur.

III Idus Iulii — Scilicet die 13 mensis Iulii. Contra scriptorem Gestorum fontes externi pugnam die 12 mensis Iulii fuisse tradunt. Discrepantia eo explicari potest, quod festum Margaritae, qua die pugna commissa est, in Hungaria “propemodum semper” die 13 celebratum est, at peregre in diem 12 incidit (Pauler II, pp. 529 sq.; Knauz p. 213). Data dies secundum calendarium Romanum composita hoc modo a scriptore huius partis Gestorum, a magistro Acus ascripta esse potest. Proelium ad modum certaminis militaris cuiusdam ortum est: utrique convenerunt, ut Hungari fluvium Moravam transirent et dum ordines amborum ad proelium componerentur, invicem impetum non facerent. Pacto stare non potuerunt, et posterius utrique alter alteri culpam pacti rupti attribuit. Discidium pace die 31 mensis Martii anno 1261 Viennae coniuncta finitum est, ex qua Bela IV. de possessione Stiriae decessit (Pauler II, pp. 238 sq.).

⟨103.⟩

Caput a provinciale Franciscano saeculi XIV conscriptum est.

471 *Quomodo ... flagellabat* — Index ex indice capitinis Chronici Picti conscriptum est: “Flagellat se populus” (SRH I, 469).

Ipsius ... universaliter discurrebat — Actio flagellantum, quae in Italia anno 1260 summa vi exorta est, praeter sociales causas generales collegiis monachorum mendicantium persuadentibus evoluta est. Ex hac in conscientia multorum praevaluerunt sensus et expectatio, ut ratio cum Antichristo facienda, quam Joachim de Floris (Fiore) vaticinatus est, emendatio et renovatio ecclesiae et una cum his regnum Sancti Spiritus ab anno 1260 initium ducerent (Hauck V/1, pp. 380 sq.; Hauck, Realenc. VI, pp. 435 sq.). Actio adhuc anno 1260 in Teutoniam traiecit, mox anno 1261 in Poloniam perlata est. De adventu flagellantum in Hungariam documentum unicum est adnotatio scriptoris Gestorum. Pauler (II, pp. 244, 531) commemorationem in Gestis saeculo XIII ortam esse putavit, annum autem 1263 falso scriptum pro anno 1261 percipiens actionem tam celeriter se diffundentem in Hungariam posterius — id est duobus annis peractis — pervenire non potuisse, quam in Poloniam. Sed quoniam totum caput a provinciale Franciscano saeculi XIV conscriptum est, annus falso adnotatus non e textu corrupto scriptus est, sed ipsum annum posterius insertum esse demonstrat. Hoc modo tamen etiam adventus in Hungariam flagellantum aliquantum ad incertum revocatus est.

Obiit ... sancte crucis — Festum Inventionis sanctae crucis (die 3 mensis Maii) scriptor Gestorum recte computat secundum calendarium Romanum, tamen errat id feria sexta fuisse adnotans, quia festum anno 1270 in

sabbatum incidit. Error in scriptura non potest scriptori culpae dari, scilicet quasi "feria VI" falso scriptum esset pro "feria VII", nam nominatio sabbati in Hungaria semper "sabbatum", nunquam autem "feria septima" erat (Knauz pp. 160, 187).

insula Budensi — Scilicet hodierna insula Margaritae (Hungarice Margitsziget), quae in parte septemtrionali Budapestini sita est. Medio aevo vulgo "Insula leporum" est nominata. Insula ab exeunte saeculo XII sedes complurium institutorum ecclesiasticorum erat. Primum hic sedes preepositurae Praemonstratensium exaedificata est, mox monasterium monacharum ordinis Praedicatorum (circa annum 1252) et monasterium Franciscanum (circa annum 1270), sed erant hic fortalicia non ita magna et archiepiscopi Strigoniensis et ordinis militaris Iohannitarum (Feuerné Tóth R., Margitsziget [= De insula Margaritae], Bp. 1957, p. 6; Györffy, Budapest pp. 319 sq.).

sepultum est ... fecerat inchoari — E duobus collegiis monachorum mendicantium saeculo XIII fundatis familia regia Hungarica primum ad ordinem Praedicatorum se vertit, huic ascripta est etiam filia natu minima Belae IV., Sancta Margarita. Sed anno 1253 rex sacerdotem a confessionibus ordini Sancti Francisci ascriptum habuit, ipse autem rex et ipsa regina membra tertii ordinis Sancti Francisci facti sunt. Auctoritatem Franciscanorum demonstrant mandata legatorum eis a rege saepe commissa, aestimatio autem regis per largas donationes apparuit (Pawler II, pp. 245 sq.). Monasterium Franciscanum Strigoniense, quod unum ex primis in Hungaria fundatis erat (anno 1229), Bela IV. circa annum 1260 restituere incepit, iuxta quod autem ecclesiam magnae amplitudinis in honorem Beatae Mariae sacratam aedicari iussit, quam etiam locum sepulturae sua designavit. Monasterium quam magni momenti fuerit, eo demonstratur, quod unica congregatio generalis ordinis, cuius locus Hungaria fuit, hic habitus est (Karácsonyi, Ferenc rend I, pp. 13 sq., 45, 161 sq.; Dercsényi D.—Zolnay L., Esztergom [= Strigonium] [Magyar műemlékek] [= Artis monumenta Hungarica], Bp. 1956, pp. 22 sq.).

regina ... imperatoris Grecorum — Theodorus Lascaris imperator Nicaeae fuit et contra imperium Latinum Constantinopolitanum traditiones Byzantias coluit. Theodorus cum Andrea II. affinitate coniunctus erat, nam ambo generi imperatoris Constantinopolitani Petri Courtenay facti sunt. Affinitatem rex Hungariae artiorem contraxit anno 1218, cum e bello pro Sancta Terra gesto domum revertens filiam Theodori Lascaris, Mariam filio suo vix duodecim annorum Belae, heredi regni despondit et sponsam simul secum in Hungariam duxit. Mors reginae paullo post obitum Belae IV. accidit (Wertner pp. 460 sq.; Pawler II, p. 69.).

duce Bela ... feliciter requiescit — Dux Bela circa annum 1245 est natus. Pater eum anno 1260 ducem Slavoniae fecit. Obiit anno 1269 (Wertner pp. 493 sq.; Pawler II, pp. 247, 529). Bela IV. in diplomate die 3 mensis Octobris anno 1269 scripto eum "filium carissimum" appellat, quae appellatio in

Gestis quoque sic adnotata est (Fejér IV/3, p. 495; Budapest okl. I, p. 103). Haec ideo non est tantum flosculus verborum, quia dux Bela patri adiumento fuit in certaminibus, quae regi contra heredem, ducem Stephanum cum armis pugnanda erant.

vir virtutibus ... nationum suavescit — Grati animi sensus erga benevolentem largitorem ordinis sui scriptorem Franciscanum saeculi XIV ad laudes dicendas adduxerunt. (Signum gratiarum Franciscanorum putari potest, quod in sigillo provincialis Hungarici res expressa est, cum Bela IV. coronam ducalem capiti filii sui natu minoris ducis Belae imponeret. Karácsonyi, Ferenc rend I, pp. 22 sq.) Scriptor Annalium Austriae aequalis Belam IV. maxima cum invidia memorat, eum “virum sanguinum” appellat et incusat, quod in Austria, in Stiria et in Moravia “nunquam fecit tot horribilia rex christianus” (Gombos II, p. 1167).

472 *Philippus archiepiscopus Strigoniensis* — Scilicet idem est ac Philippus de genere Türje natus. Ut praepositus Demesiensis et cancellarius reginae anno 1248 episcopatum Zagrabensem, anno 1262 archiepiscopatum Strigoniensem est adeptus. Obiit anno 1272 (Karácsonyi III/1, pp. 122 sq.; Mon. Strig. I, pp. 465 sq.).

Cuius corpus ... indebite tumulari — Mentionem discordiae inter Franciscanos et archiepiscopum ortae, item aggressionis violentis huius posterioris scriptor aequalis Annalium Austriae quoque fecit hoc modo affirmans narrationem scriptoris Gestorum. Simul, quoniam etiam singula eiusmodi persequitur, quae scriptor Gestorum silentio praeterit (“Fratribus namque Minoribus et archiepiscopo pro regis cadavere concertantibus in ecclesia, loco contemplationis fit pugna contentionis et plures utrobique vulnerantur ecclesieque pavimenta avaritie sanguine maculantur” Gombos II, p. 1167), comprobat auctorem Gestorum actionem archiepiscopi clementer descripsisse. Discordia quidem tantum una manifestatio dissensionum erat, quae inter clericos saeculares et collegia monachorum mendicantium exstiterunt. Parochi monachos ordinum novorum aemulos sibi esse putaverunt, quoniam hi animos incolarum civitatum ad se traxerunt, eo autem, quod sacerdotes de confessione fidelium fiebant, circa templa autem monasteriorum coemeteria instituebant, haud directe redditus clericorum saecularium minuerunt. Discordia toto orbe terrarum orta papas coegit, ut saeculo XIII iterum ac saepius se dissensionibus placandis immiscerent (Karácsonyi, Ferenc rend I, pp. 18 sq., 29, 51 sq.; Holzapfel pp. 235 sq.).

summo pontifice — Diploma, in quo lis archiepiscopi cum Franciscanis orta tractatur, non est notum, atque ita ne nomen quidem papae constitui potest.

coram virginis ara gloriiosius condiderunt — Sepulcra saeculo XVIII, ut traditum est, inventa et eversa sunt (Dercsényi—Zolnay op. cit. p. 23).

Aspice rem ... regnavit honestas — Pauler versus recte ita interpretatur, ut qui mentem et voluntatem membrorum ordinis Sancti Francisci exprimant (II, p. 539), tamen modum excedit arbitrans monachos Franciscanos sensus

populares verbis extulisse. De hac re ideo ne agi quidem potest, quoniam versus non sunt elogium verum sepulcri. Tales versus saxis, marmoribus saeculo XIII incisi ne iis quidem locis noti sunt, ubi monumenta tumulorum non eversa sunt, itaque elogium sepulcri Strigoniensis unicum esset. Versus funebres in cella monasterii conscripti sunt, at non eo consilio, ut monumento tumuli inciderentur. Scriptor idem provincialis Franciscanus esse potuit, a quo caput totum insertum est. Non est veri simile personam regis in memoria populari vivam fuisse plus quam quinquaginta annis post mortem Belae IV. peractis. Mentionem de versibus Walther non facit.

Ipsius etiam tempore ... regnavit honestas — Explicatio scribendi generis a 471—472 Horváth (pp. 256, 266) facta persuadet nobis caput totum a monacho fratrum minorum aetatis Andegavensium conscriptum esse.

⟨104.⟩

Caput a magistro Acus conscriptum est interpolatione provincialis Franciscani saeculi XIV parti extremae capitis addita. Magnam partem adnotationum ad caput pertinentium prodit Mályusz (1971, pp. 50, 122 sq.).

De coronatione ... Bele quarti — Index congruit cum indice capitinis Chronici Budensis: “De coronatione regis Stephani quinti filii regis Bele quarti” (SRH I, 470).

anno domini ... totam Hungariam — Stephanus V., postquam regni adeptus est, in diplomatis primis titulo “dei gratia rex totius Hungarie” est usus, hoc modo affirmans se nunc iam non solum principem orientalis partis Hungariae esse (Szentpétery op. cit. Száz. 55—56 [1921—1922] 79). Auctor Gestorum peritissimus rerum politicarum certiores factus est de illo usus cancellariae quoque, qui non diutius, quam unam septimanam — inter dies 13—20 mensis Maii anno 1270 — valuit. Coronationem, quae medio mense Maio Albae Regiae celebrata est (Pauler II, p. 279), Stephanus V. anno 1270 commemorans item dixit eam sibi “in integrum” regnum impertivisse (Fejér VII/2, p. 14).

Branburgensibus — Marchio Brandenburgensis Otho sororem natu maiorem Otacari II. uxorem duxit (Krones p. 289), socius regis Bohemiae erat, qui in diplomate de pace composita post bellum nomen Othonis quoque inscribi iussit (Fejér V/1, p. 115), atque ita iure existimari potest hunc participem belli fuisse. Nec Otho, nec Brandenburgenses in fontibus occidentalibus, qui res tractant, memorati sunt, quamquam in opere “Continuatio Claustroneoburgensis” socii satis accurate enumerantur (“Otakarus rex collecta armatorum ex Austria, Styria, Bohemia et Karinthia, Saxonia, Polonia et ex aliis terris immensa multitudine Ungariam violenter ingrediens”, Gombos I, p. 766). Tantum scriptor Gestorum necesse habuit Brandenburgenses appellare, item scriptor “Chronici Patavi-

ni" (Gombos I, p. 594), sed hic notitiam e Gestis sumpsit. Scriptor Gestorum certe ideo ad eos animum convertit, quia filia marchionis Othonis, Kunigunda secundum pacem Vindobonensem anno 1261 constitutam filio natu minori Belae IV., duci Belae desponsa est et matrimonium anno 1264 magnis caerimoniis habitis iunctum est (Wertner pp. 486 sq.; Pauler II, pp. 240, 259 sq.). Coniunctio haud magni momenti non nisi scriptori eiusdem temporis, qui coniunctiones affinitatis familiae regiae Hungaricae notas habuit, tam gravis videri potuit, ut eius memor Brandenburgenses nominaret.

qui Ottocarum... viriliter ac fugavit — Otacarus II., postquam Austriam, Stiriam, Carinthiam et Carniolam sibi comparavit, fines in regnum Hungariae prolatus fuit. Bellum anni 1271 iam eo proposito Hungariae intulit, ut in regionibus confinibus occidentalibus Hungariae assidue consisteret. Sed Posonio, Nitria, Tyrnavia, Owar (hodie Mosonmagyaróvár), Mosonio captis ad fluvium Rapcham (hodie Rábca) die 21 mensis Maii (SRH I, 470, in adnot. 3. falso dies 22 mensis Maii adnotata est) exercitum reducere coactus est et pace die 2 mensis Iulii facta, cum status, qui aetate Belae IV. erat, restitutus esset, etiam de omnibus postulatis regionum possidendarum destitut. Quoniam Otacarus peritus famam ingeniose divulgandi in relatione comprehensiva de bello gesto conscripta tantum res sibi prosperas memoravit (Emler II, p. 292; Fejér V/1, pp. 108 sq.) et quia in fontibus Austriacis quoque repulsa consilio regis temperata est (Continuatio Claustroneoburgensis: "rex Otakarus ... ex estu et labore nimium fatigatus ... feliciter remeavit"; Continuatio Vindobonensis: "rex Bochemie videns, quod pre nimia fame ... diu cum tanta multitudine stare non posset, secessit"; Annales Praedicatorum Vindobonensium: "rex Bohemie ... usque in Rab valida manu pervenit. Sed circa pentecosten dum expense deficerent, regressus Austriam", Gombos I, pp. 766, 783, 182) vel ipsa victoria adnotata est (Continuatio Annalium Mellicensium: "rex Boemie ... cum victoria Austriam revertitur", Gombos I, p. 756), apud historicos Germanicos scriptor Gestorum fidem diu non habuit. Cum autem diplomata Hungarica, in quibus partes quaedam belli conservatae sunt, historiographi Germanici cognovissent, ipsis intellegendum erat textum Gestorum, non autem epistolam Otacari vel fontes Austriacos memoratos fide dignos esse. Huber (I, p. 182) res iam in hac sententia tractat (cf. Pauler II, pp. 541 sq.). Palacky (II/1, pp. 216 sq.) res narrans sententiam veterem est secutus.

Budun civitatem Bulgarorum — Scilicet hodierna civitas Vidin (in Bulgaria) est in ripa Histri. Iam tempore occupationis patriae Hungarorum locus notabilis fuit, et hanc proprietatem saeculis posterioribus quoque servavit. Nomen Hungaricum loci Bodon e nomine Budin in lingua Hungarica formatum est, ipsa forma nominis Budin in linguam Hungaricam intercessione Slavica translata est, tamen origine non est Slavica, quoniam iam tempore, ante quam Slavi hic concenterunt, est orta (Melich pp. 195 sq.).

Budun ... compulit deservire — De bello Bulgarico scriptor Gestorum

ordine temporum mutato commemorat, quoniam id adhuc aetate Stephani V., cum hic "rex iunior" esset, anno 1266 gestum est. Stephanus exercitum contra Iacobum Sventslau (Jakov Svetoslav) duxit, qui in regione montuosa occidentali Bulgariae a Histro in ambabus ripis fluvii Timok ad montem Haemum (hodie Stara Planina), usque ad Sophiam porrecta titulo "despotes" nominatus regnavit. Ipse origine Russus erat, primum praesidio Hungariae nitebatur et anno 1263 auxilio Hungarorum impetum imperatoris Bulgariae, quod regnum nemini parebat, Constantini Asen (1257—1277) atque imperatoris Byzantii Michaelis Palaeologi VIII. (1261—1282) reppulit, cum autem in gratiam cum adversariis redisset, et filiam Theodori II. Lascaris uxorem sibi adiunxisset, tutelam Hungarorum excutere conatus est. Stephanus exeunte mense Iunio anno 1266 Bidinum occupavit, exercitum longe in Bulgaria medium, usque ad caput Bulgariae, Tirnobum (h. Veliko Tirnovo) induxit, interim exercitus quinque proelia cum Bulgaris conseruit et quidem ad unum omnia prospere. De eventu, de deditione Iacobi Sventslai solus scriptor Gestorum mentionem facit (Pauler II, pp. 253, 264 sq.). Res alio ordine componit Slatarski, qui per vestigationes Pauler et diplomata Hungarica, quibus Pauler ipse usus est, haud nota habuit itaque occupationem Bidini anno 1261 factam esse putat (pp. 140, 145 sq. De temporibus publicis generalibus v. Ostrogorsky pp. 362 sq.). Stephanus V. titulum "rex Bulgariae" tantum anno 1271 assumpsit (v. caput (51.), sent. 240).

in anno ... regni sui — In cancellaria anno 1207 cancellarius Robertus post tempus datum in diplomatis perscriptis vocabulum "annus regni" constanter ascribere induxit. Scriptor — magister Acus — formula in diplomatis perscribendis usitata hic usus est (Györffy pp. 154 sq.).

mortuus est ... Magna insula — Scilicet insula a Budapestino ad meridiem longe porrecta Chepel (hodie Csepel) est. Toto medio aevo possessio regia erat, cui comes praeerat (Györffy, Budapest I, p. 319). Nomen "Magna insula" a medio saeculo XIII constanter usitatum erat (Csánki III, pp. 296 sq.). Tempus obitus Stephani V. dies 6 mensis Augusti anno 1272 est (Knauz p. 529; Pauler II, p. 303).

sepultus est ... insula Budensi — Narrationem scriptoris Gestorum legenda Beatae Margaritae affirmat, secundum cuius variantem Hungaricam ineunte saeculo XVI ortam Stephanus V. in ecclesia monasterii monacharum in cornu euangelico altaris maioris in capulo marmoreo rubro sepultus est (Nyelvemléktár. Régi magyar codexek és nyomtatványok [= Archivum monumentorum linguae. Codices et exemplaria typis excussa linguae veteris Hungaricae], VIII, Bp. 1879, p. 75).

in loco beginarum — Actio beginarum se in territorio hodierni Belgii, ut observari potest, evolvens sibi proposuit, ut feminis, quae solae remanescunt, domicilium commune, victimum et laborem compararet, simul possibile eis faceret, ut sine voto concepto more monacharum virtutem paupertatis colentes vitam agere possent (J. Greven, Die Anfänge der Beginen.

[Vorreformationsgeschichtliche Forschungen, Bd. VIII.] Münster i. W. 1912, pp. 197 sq., 218 sq.]. Feminae, quae in Hungaria huic actioni se dederunt, eodem nomine sunt nominatae atque in Batavia. Aedificium, quod in insula Leporum exstructum est, non domicilium beginarum, sed monasterium monacharum ordini Praedicatorum adscriptarum erat. L. Mezey (Irodalmi anyanyelvűségünk kezdetei az Árpád-kor végén [= Primordia sermonis patrii Hungarici litterarii exeunte aetate Arpadiana], Bp. 1955, p. 25) possibile putat scriptorem Gestorum, qui primam periodum fundationis haud explanatam in animo habuit, monasterium ex memoria locum beginarum nominavisse. Hoc haud veri simile est. Magister Acus anno 1257 ut praepositus Budensis “procurator et patronus” huius monasterii fuit, itaque accurate notum habere debuit, quam magnum honorem eodem anno papa monasterio tribueret eo, quod id ipsum e iurisdictione archiepiscopi Strigoniensis exceptit et “in ius et proprietatem ecclesie Romane” ipsius recepit (Budapest okl. I, pp. 61, 63). Monasterio tam inclito, cuius incolae “moniales”, “sanctimoniales” erant, tantum despiciencia quadam nominatio “locus beginarum” tribui potuit. Magister Acus nullam causam habuit, cur ita faceret. Nominatio a provinciali Franciscano saeculi XIV interpolata esse potest, in qua mens et voluntas inimicæ Fransicanorum adversus alterum collegium monachorum mendicantium sibi aemulum, adversus ordinem Praedicatorum expressae sunt.

〈105.〉

Caput fortasse a continuatore aetatis Ladislai IV. conscriptum est.

474 *De coronatione ... dictus est* — Prima pars indicis eadem est atque index capitinis Chronici Budensis (“De coronatione regis Ladizlai quarti filii Stephani quinti”, SRH I, 471), secunda pars ex *V₄* conscripta est (“Coronatio Ladislai Kwn dicti filii eiusdem Stephani”, SRH I, 471).

Kwn Laczlo — Cognomen iocularare “Kun” ‘Cumanus’ e variantibus Gestorum solum in *V₄* invenitur in forma “Ladislaus Kwn dictus”, quae forma in Latinitate Hungarica usitata erat. Forma nominis “Kun László” (Kwnlaczlo) ‘Ladislaus Cumanus’, quae in sermone Hungarico solita erat, descripta in exemplari Gestorum a Thoma Ebendorfer usitato (Gombos III, p. 2217: “Cunslao”) et apud Th. servata est. Ladislaus IV. nomen Kun de matre sua accepit. Stephanum V. anno 1254 Bela IV. cum femina Cumanica, cum filia “ducis vel regis” Cumanorum, Elisabetha matrimonio coniunxit. (Elisabetha regina vidua facta sigillo suo vocabula “regina Ungarie et filia imperatoris Cumanorum” incidi iussit. Marczali op. cit., in Szilágyi, II, pp. 558, 696.) Cum sollemnia nuptiarum celebrarentur, decem ex proceribus Cumanorum canem in duas partes ceciderunt et iure iurando se obligaverunt, ut Hungariam contra Tartaros defenserent (Marczali H.,

Árpádkori emlékek külföldi könyvtárakban [= *Monumenta aetatis Arpadiana*, quae supersunt in bibliothecis externis], TT 1 [1878] 376; Pauler II, p. 205). Et matrimonium et ius iurandum rem regis Hungariae cum Cumanis communem significaverunt. Rex speravit in populo Cumanico, qui post incursionem Tartarorum in Hungariam immigraverunt, milites sibi tali modo subiectos oboedientesque et quo cumque tempore ad arma vocabiles esse, qui vim militarem, id est nobilitatem explere possent, quae nobilitas feudali statu sociali conformato magis magisque proprii iuris facta est. (Etiam satellites Ladislai IV., qui neugerii [nyögér] sunt nominati, ex Cumanis electi sunt, Németh Gy., Kun László király nyögérei [= Satellites nyögér nominati regis Ladislai dicti Kun], MNy 49 [1953] pp. 304 sq.) Liberi autem Cumani sperabant fore, ut in regno feudali modice conformato tuti a hostibus externis suum statum socialem servare et praeda in bellis comparata feudalisationem a se aliquamdiu differre possent.

Cui successit ... M CC LXXVI — Ladislaus IV. anno 1262 natus est. De coronatione sua civitatem Tragurium die 3 mensis Septembris anno 1272 certiorem fecit (Fejér V/2, p. 37), atque ita coronatio fortasse hac ipsa die vel paullo prius celebrata esse potuit (Szabó K., Kun László [= Ladislaus dictus Kun], Bp. 1886, pp. 3 sq.). Annus 1276 non solum apud Th., sed etiam in cunctis variantibus Chronicorum Picti inveniri potest (SRH I, 471), et hic error sine dubio transcriptionibus factis ortus est. Erratum e textu haud ambiguo capitinis superioris corrigere potest, et id, quod in textu servatum est, neglegentia Th. explicare possumus. Simul eo, quod annus 1276 in variantibus Chronicorum Picti quoque descriptus est, conjectura Domanovszky affirmatur, qui scriptorem saeculi XIV adnotationes vetustiores annalium modo conscriptas in manibus habuisse putat. Nam annus 1276 in codicibus S et A ut tempus proelii in campo Mari conserti iterum appareat et quamquam in R B D pro anno 1276 annus 1273 scriptus est, valde probabile videtur in his quoque numerus III variatio corrupta numeri VI esse. In adnotatione annus coronationis Ladislai IV. probabiliter non inerat, quoniam is ex capite superiore datus erat, at tempus proelii in campo Mari conserti adnotatum erat. Hoc posterius tempus Gestis redactis et transcriptis superius descriptum est et sic tempus coronationis factum est, simul in variantibus Chronicorum Picti — et apud Th., qui textum familiae Chronicorum Picti est secutus — descriptio proelii denique sine anno adnotata est.

Qui imperatore ... in prelio — Scriptor Gestorum falso ostendit Ladislaum IV. auctorem controversiae cum Otacaro disceptandae fuisse, atque magis errat praedicans regem Bohemiae a Ladislao necatum esse. Re vera Rudolphus I. Habsburgensis, rex Teutoniae anno 1273 creatus — qui in Gestis imperator est dictus — et Otacarus adversarii fuerunt, et in Hungaria ab eo tempore, quo congregatio imperii Teutonici edixit, ut Otacarus de omnibus possessionibus, quas armis sibi pepererat, decederet, diu dubitatum est, cui e duabus adversariis rex Hungariae se adiungeret. Postquam Rudolphus et Ladislaus IV. die 11 mensis Novembris anno 1277 in castro

Hainburg congressi sunt, Hungaria definite se consociavit cum iis regnis, quae Otacaro adversaria fuerunt (Pauler II, pp. 318 sq., 334). Proelium, quod potestatem Rudolphi et simul potestatem familiae Habsburg stabilivit, die 26 mensis Augusti anno 1278 ad Dürnkrut et Stillfried (in Austria) consertum est et nomine proelium in campo Mari est notum. Momentum ad victoriam Rudolphi exercitus Hungaricus attulit eo, quod vires Bohemicas—Moravas—Polonicas reiecit, ut castra retro moverent, exercitum autem Otacari, qui contra Rudolphum astitit, a latere aggrediens in fluvium Marum pressit. Rex Bohemiae cum Austriacis pugnans cecidit. (Bibliographiam de proelio Delbrück [III, p. 439] sufficientem non esse putat. Partes proelii argumentis fontium accurate explicatis et enodatis Pauler [II, pp. 343 sq., 555 sq.] reconstruct.) Scriptor capitinis falso dicens Ladislau IV. manibus suis Otacarum necavisse, glorium regis Hungariae in maius ferre voluit.

anno domini M CC LXXXII — Tempus rei Szabó (op. cit. pp. 99 sq.) et Pauler (II, pp. 370 sq., 561 sq.) anno 1280 fuisse dicunt, at contra eos Karácsonyi demonstrans diploma, quod momentum sumnum putatum est, falsum esse (Reg. Arpad. II/2–3, num. 3070), annum in Gestis adnotatum verum esse affirmavit (A Hód-tavi csata éve [= Annus pugnae ad lacum Hod nominatum commissae], Száz. 35 [1901] 626 sq.).

Oldamur — Sic in *B* et *D* est; in ceteris variantibus: “Oldamir”, “Oldamyr” (SRH I, 471) legitur.

lacum Hood vocatum — In descriptione loci proelii Gesta et diplomata inter se differunt. Ladislaus IV. in diplomatibus suis iterum ac saepius vocabulo “in Houd”, immo semel in diplomate quodam nomine substantivo in suffixum exeundi utens locum proelii vocabulis “in Houdon” constituit (Györffy, Tört. földr. I, pp. 858 sq.). Conatus, ut hic locus cum loco Hód (hodie Hodoni, RSR) nominato, qui a civitate Arad ad meridiem situs est, identificaretur (Czimer K., Az 1282. évi hódi csata helye és lefolyása [= De loco et exitu proelii ad Hod anno 1282 conserto], HK 30 [1929] 391 sq.) frustra captus est. Pro loco, ubi proelium consertum est, villa ipsa in diplomatibus adnotari non potuit. Descriptio in diplomatibus non locum quendam ab incolis habitatum significat, et in Gestis quoque regio quaedam descripta est in ea forma, quae a lecturis facilius intellegi posset. Itaque duae significationes inter se haud contrariae sunt, atque ita “lacus Hood” intellegendus est lacus, qui ad hodiernam civitatem Hódmezővásárhely extensus est. Ipsum vocabulum loci e vocabulo communi Hungarico “hód” ‘Castor fiber’ est derivatum.

Postea cum ... dominio subiugaret — Diplomata Ladislai IV., in quibus proelium memoratum est, nullum dubium faciunt, quin de seditione compressa Cumani illorum agatur, qui in regione inter Danubium et Tisciam porrecta et in regione trans Tisciam sita habitabant, et Cumani, qui in terra Moldaviae vitam agebant, tantum horum socii fuerint. Vitae consuetudo Cumani, qui in Hungariam immigraverunt, cum vita

Hungarorum post aetatem unius hominis peractam adhuc tam valde discrepans remansit, rationes autem procerum praevalentium et rationes ecclesiae tantopere poscebant, ut Cumani consortes in vita feudali fieri urgerentur, ut rex ipse, patronus Cumanorum consulta in eos lata (Gyárfás II, pp. 332 sq., 432 sq.; Reg. Arpad. II/2—3, num. 2962, 3000) perficienda polliceri cogeretur. Seditio autem quasi repugnatio his institutis regis anno 1279 paratis fuit. Quae ante pugnam ad lacum Hood acta sunt, in diplomate Ladislai IV. anno 1282 confecto proferuntur: “cum Oldomerus cum universa generatione gentis Cumunice [!] contra nos inflammatus spiritu infidelitatis et superbie consurrexisset, volens nos de regno nostro profugas se et regnum Hungarie ditioni sue subiugasse, cum prefata multitudine sue generationis venit in Houdon et nobiscum personalem conflictum habuit ... nosque deo propitio de eodem Oldomerio obtinuimus triumphum gloriosum quamplures de suis captivantes et occidentes et ipsum Oldomerum de regno nostro expellentes” (Hazai Okmt. VIII. 450 sq. In Reg. Arpad. II/2—3, num. 3179 diploma “haud vacuum a suspicione” dicitur). Verba “Cumania” et “gens Cumanica” non sunt vocabula eiusdem sententiae, et a cancellaria “dux Cumanie” tantum ideo seditiosus dici potuit, quia Ladislaus IV. in titulis suis se “regem Cumanie” nominavit. Id, quod Oldamur vere ducatum habuit, a cunctis historiographis Hungaricis accipitur (Gyárfás II, p. 351; Szabó op. cit. p. 101; Hóman, M. tört. II, p. 226; Györffy op. cit. in Székely, Tanulm. p. 259). Scriptor Gestorum igitur rem veram rectius reddit, quam cancellaria. Nomen Oldamur cum vocabulo composito El-timür identificari potest; huius significatio est: ‘imperium-ferrum’ (Mladenoff I., Oldamur és Eltimir [= Oldamur et Eltimir], MNy 21 [1925] 38 sq.; adnotatio L. Rásónyi Nagy: MNy 26 [1930] 325. — De rebus ceteris seditionis et proelii v. Paurer II, pp. 370 sq.). Diploma falsum anni 1282 Ladislai IV., secundum quod Cumani “non solum regnum nostrum sibi subiugare, verum etiam coronam nostram regiam subripere conabantur”, ut Paurer animadvertisit (II, pp. 561 sq.), ex Gestis conscriptum esse potuit (A. Húščava, Archiv zemianskeho rodu z Okoličného [Archivum generis nobilis de Okolicsányi], Bratislava 1943, p. 10; Fejér V/3, p. 124; Reg. Arpad. II/2—3, num. 3200). Quoniam tempus falsationis ultimis decenniis saeculi XIV fuit, e congruentia stili Gesta divulgata esse concludi potest.

In cuius exercitu ... plurimos et prostravit — Rolandus, filius Thomae 475
 membrum generis Barsa, possidentis in regione Transtibiscina est, quod genus Ladislao IV. regnante e modicis condicionibus brevi eminuit. Id, quod Rolandus particeps proelii ad lacum Hood conserti fuit, Ladislaus IV. in diplomate anni 1284 cum laude protulit et haec commemoratio regis fidem Gestorum auget (Fejér V/3, p. 259): “cum Rolandum et Stephanum filios Thome ... miseramus, ... cum perfidia gentis Cumunice contra nos in perniciem nostri honoris et regni nostri armaverant, ad quorum perfidiam reprimendam Rolandum woyvodam Transiluanum et magistrum Stephanum predictos ... in prima acie nostri exercitus duxeramus transmitten-

dum". Mentio nominis Rolandi insigne proprium est aetatis, in qua caput conscriptum est. Scriptor Gestorum tantum ad id tempus necesse habere potuit mentionem de nomine Rolandi facere, dum ille et familia magnas opes habebant. Anno 1284 iam inter barones numerabantur, nam Rolandus voivoda Transylvaniae, a fratribus autem Stephanus magister pincernarum, Kopoz (id est Kopasz 'Calvus' alio nomine Iacobus) magister agasonum facti sunt. Fratres Ladislao IV. anno 1286 adversati sunt, ad partes Andegavensium transierunt, at Rolandus dignitatem voivodae habuit etiam tunc, postquam Andreas III. regnum obtinuit et eam tantum anno 1294 amisit. Anno 1301 in proelio pro Carolo Roberto conserto cecidit. Membrum familiae maxime notum erat Kopoz, qui anno 1304 banus, anno 1306 palatinus est factus et dignitate palatini decem annos fungebatur. Anno 1316 seditionem fecit contra regem, sed ad Debrecinum devictus est et quamquam Carolus Robertus vitae eius pepercit, Kopoz ipse una cum familia tota certe e vita publica ablatus est (Bunyitay V., Kopasz nádor [= Palatinus Kopoz], Száz. 22 [1888] 22 sq., 150 sq.; Karácsonyi I, pp. 204, 207 sq.; Hóman M. tört. II, p. 199). Sumere non possumus, provincialem Franciscanum, si quidem ipse scriptor capitinis esset, annis 1330 mentionem de membro quodam familiae fecisse, quae regi obstitit, in certamine devicta est et opes suas amisit. Simul id quoque veri simile est, quod scriptor personam palatini Kopoz eximit, si hic tempore operis scribendi iam persona omnibus nota fuerit. Mentio Rolandi nominatim facta ad id tempus non sine causa fuit, dum memoriam eius persona palatini Kopoz obscuravit. Ex eo igitur, quod Rolandus productus est, concludi potest auctorem capitinis illum scriptorem aetatis Ladislai IV. fuisse, qui laudator regis fuit, sed cuius opus e Gestis posterius rescriptis et correctis omissum est, ut locum daret opinioni, quae Ladislaum improbavit. Quod descriptio, in qua Ladislaus laudibus ornatus est, exstitisset, comparationem "ut fortis Iosue" afferens Hóman (p. 64) protulit. Secundum Kristó (1967, p. 471, adnot. 77) ex hac comparatione opinionis erga Ladislaum benignae hanc descriptionem exstitisse non est putandum. Hoc capite incipit et usque ad caput (124.) chronici Th. — usque ad finem descriptionis rei, quae annis 1332 aut 1333 accedit — extenditur ea pars chronographiae Hungaricae, quam Marczali (p. 49) a loco ortus eius et quia scriptor membrum ordinis Sancti Francisci fuit, Chronicon Budense Minoritarum nominavit. In bibliographia vetustiore (R. F. Kaindl, Studien zu den ungarischen Geschichtsquellen, AÖG 88 [1900] 426; Domanovszky S., A magyar királykrónika XVI. [recte: XIV.] századi folytatása (= Continuatio Chronicorum regalis Hungarici saeculi XVI [recte XIV]), Berzeviczy-Emlékkönyv [= Liber memorialis Berzeviczy], Bp. 1934, pp. 27 sq.) pars Gestorum, in qua res annis 1272—1330 gestae tractantur, a compluribus auctoribus conscripta esse putatur. In bibliographia recentiore, quae vestigia Horváth (pp. 257 sq.) sequitur, scriptor harum partium unus solus auctor Franciscanus fuisse sumitur (Mályusz 1966, pp. 725 sq., 733). Kristó (1967, pp. 467 sq.) Chronicon Budense

Minoritarum a quattuor auctoribus conscriptum esse constituit. Constitutio-
nes Kristó rectas esse Horváth (Die ungarischen Chronisten der Angiovi-
nenzeit, Acta Linguistica Acad. Scient. Hung. 21 [1971] 324 sq.) negavit, et
denuo pro sententia contendit, ex qua auctor Chronicus scriptor unus
Franciscanus fuisset. (Sententia Czimer, ex qua Rolandus dux exercitus
Hungarici fuerit [op. cit. HK 30 (1929) 412], conjectura minime conveniens
videtur.)

facti sunt ut stercus terre — Ps. 82, 11.

divino fretus auxilio — Vocabulum repetitum est, quod iam etiam in
partibus Gestorum invenitur, in quibus res prius gestae tractantur (v. capita
⟨64.⟩ et ⟨91.⟩).

⟨106.⟩

Caput provincialis Franciscanus saeculi XIV conscripsit, qui fortasse
opere continuatoris aetatis Ladislai IV. usus est.

De secundario introitu Tartarorum — Index ex indice capitum Chronicorum 476
Picti conscriptum est: “Secunda vice intrant Tartari” (SRH I, 472); recte
post verba „fretus auxilio” sequeretur.

Tandem postea ... intraverunt in Hungariam — Fugam partis cuiusdam 475—476
Cumanorum devictorum et Gestorum Simonis de Kéza et diploma regium
aeque affirmant. Secundum Gestum Simoni de Kéza ex Cumanis “plurimi
interempti, quidam vero ex ipsis relictis uxoribus, pueris et rebus omnibus
ad populos barbaros fugierunt” (SRH I, 187), in diplomate autem Ladislai
IV. anni 1284 de comite Rofoyn id adnotatum est, quod ipse coram rege
vulneratus est “ipsos Cumanos hostes regni nostri ad partes remotas
efugando” (Fejér V/3, p. 259). Fingendo Tartaros iis impulsoribus in
Hungariam invasisse res gestas veras scriptor Gestorum occultat. Nam
secundum archiepiscopum Strigoniensem hi Tartari, e contrario, a rege
vocati advenerunt, ut regem adiuverant, qui vim procerum sibi adversario-
rum frangere voluit (Karácsonyi J., A mérges viperá és az antimoniális
[= Vipera venenosa et antimonalis], Száz. 44 [1910] 3, 13; Hóman, M. tört.
II, p. 227). Aequales, imprimis clericos in aula viventes accusatio-
scopi latere non potuit, nec multa momenta, quae accusationi suberant, si
ergo scriptor partes Ladislai IV. in adventu Tartarorum silentio praeterit,
sumere debemus auctorem ipsum regi indulgere voluisse. Itaque enuntiatio-
nem non a provinciali Franciscano saeculi XIV, sed ab auctore, qui
Ladislaum Cumanum laudavit, conscriptum esse putare debemus, quam
rem etiam annus certus affirmat. Id, quod tempus rectum est, fontes externi
testantur, in adnotatione autem anni 1285 “Annalium Augustanorum
minorum” descriptio accuratior quoque legi potest: “Tartari Ungariam
invaserunt circa purificationem et terram per totam quadragesimam poten-

ter occupantes infinitos populos occidunt” (Gombos I, p. 106. Cf. Pauler II, p. 565). Invasores erant Tartari, qui inter fluvios Borysthenem (hodie Dneper) et Hypanim (Bug) habitabant, duces eorum autem erant Nogaj, chanus Borysthensis, nepos fratris natu minoris chani Bathi et Telebuga, chanus Kipchakensis (Pauler II, pp. 385 sq.; Hóman, M. tört. II, p. 227).

476 *usque Pesth* — Sententiam scriptoris Gestorum affirmat, quod “naute de Pest et de Yeneu” ex eo, quod eos, qui Tartaros fugierunt, transvehebant, re vera divitias fecerunt (“multe divitiae in presenti persecutione Tartarorum acquisite”), dicit archiepiscopus Lodomerius in litteris iudicialibus die 14 mensis Iunii anno 1285 confectis (Mon. Strig. II, p. 197; Budapest okl. I, p. 218).

usque Pesth ... combusserunt — Scriptor Gestorum silentio praeterit Tartaros per Transylvaniam non sine magnis cladibus acceptis egressos esse, quae tamen in fontibus occidentalibus cunctis adnotatae sunt, atque ita vulgo notae esse potuerunt. Continuatio Vindobonensis: “fere omnes perierunt; pauci ex eis evaserunt” (Gombos I, p. 787). Continuatio Zwetlensis: “vi expelluntur” (ibid. I, p. 793). Annales Augustani minores: “quasi totus eorum exercitus interimitur” (ibid. I, p. 106). Annales Colmarienses maiores: “ex eis plurimos occiderunt” (ibid. I, p. 118). Continuatio Altahensis: “non humano auxilio, set divino iudicio perierunt” (ibid. I, p. 753).

Iste enim ... in coniugium habebat — Anno 1269 duplex coniunctio familiaris facta est inter liberos regis Hungariae Stephani V. et regis Neapolis Caroli Andegavensis I. Ladislao octo annorum Isabella Andegavensis desponsa est, Carolo II, autem, qui posterius rex Neapolis est factus, ducissa Maria. De hac posteriore, de futura proavia Andegavensium saeculi XIV in Gestis inferius (caput (110.) sent. 483) mentio fit. Hae coniunctio-nes emolumento familiae Andegavensium fuerunt. Carolus I. consiliis dicionis in paeninsulam Balcanicam prolatandi motus imperium Byzantium occupaturus potentiam socii Hungarici, quam legatus in Hungariam missus abbas Montecasinensis anno 1269 laudibus praedicare non cessavit (“domus Hungarie incredibilem habet potentiam, indicibilem quidem armatorum gentem, ita quod in partibus orientis et aquilonis nullus sit pedem ausus movere, ubi triumphator, rex scilicet gloriosus potentem exercitum suum movit”, Wenzel VIII, p. 316), ut momentum grave aestimavit (Patek F., Az Árpádok és Anjouk családi összeköttetése [= Coniunctio stirpis Arpadianae et familiae Andegavensium], Száz. 52 [1918] 466 sq., 493 sq.; Mályusz 1971, p. 27; Szűcs 841 sq.).

spreto thoro ... adhesit Cumanorum — Papa Honorius IV. in mandato ad archiepiscopum Strigoniensem die 12 mensis Martii anno 1287 misso scribit, quod Ladislaus IV. ab uxore sua “non sine coniugalis thori feda violatione divertens ... infidelibus proh pudor se copulavit mulieribus impudenter” (Theiner I, p. 355). De indigna in uxorem contumelia regis accuratius disserit Pauler (II, pp. 370, 393 sq., 397 sq.).

Ayduam — In V_3 forma: “Aydulam”, in $V_1 V_2 V_5$: “Cyduam”, in V_4 : “Cydwam”, in variantibus Chronicus Budensis: “Eduam” legitur (SRH I, 473). Nomen praeter Gesta etiam in relatione archiepiscopi Lodomerii servatum est, et quidem in eadem forma, quae in Chronicis Budensis invenitur.

Cupchek — In A forma: “Eupchech”, in V_3 : “Cupehech”, in V_2 : “Cuplech”, in variantibus ceteris: “Cupchech” legitur (SRH I, 473). Apud Th. littera ultima vocabuli k mendum scriptoris esse potest.

Mandulam — In $D V_3$ forma: “Madulam”, in V_4 : “Madulan”, in variantibus ceteris: “Mandulam” est.

quarum amore ... merito depravatum — Explicatio scriptoris Gestorum magis vera est, quam vocabula archiepiscopi Lodomerii, qui in memorata relatione peccata Ladislai IV. enumerans dicit: “incontinenti illi venenose vipere, habenti non parum magicarum artium magistratum, adultere scilicet Edua vulgariter nuncupate, captivi patris et captive matris filie, in conspectu omnium cohabitare cepit carnaliter, ut uxori proventibus reginalibus ... assignatis eidem adultere impudice” (Karácsonyi op. cit. Száz. 44 [1910] p. 5).

suis baronibus et regni nobilibus — Vocabulum exeunte saeculo XIII nominatio usitata participum potentiae est. Sic nominat etiam archiepiscopus Lodomerius proceres, qui regem adierunt, hic autem ab illis obsides exegit (“baronibus et nobilibus regni sui”. Karácsonyi l. cit.).

⟨107.⟩

Pars prima capitinis fortasse a continuatore aetatis Ladislai IV. conscriptum est, scriptor reliqua partis capitinis provincialis Franciscanus saeculi XIV est.

De adventu ... apostolice legati — Index ex indice capitinis Chronicus Picti est 477 conscriptus: “Firmanus legatus intrat” (SRH I, 473).

Hinc insuper ... legatus advenit — Partes legatorum pontificalium in Hungaria a secunda parte saeculi XII initia ceperunt et sicut ubique in Europa, apud nos quoque res magni momenti apparuerunt (G. Bónis, Die Entwicklung der geistlichen Gerichtsbarkeit in Ungarn vor 1526, Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte, Kan. Abt. 49 [1963] 189 sq.). Episcopus Firmanus (Italia) Philippus (1273–1300) a papa Nicolao III. die 22 mensis Septembris anno 1278 magna cum auctoritate rerum agendarum in Hungariam et in Polonię missus est. Munus legati erat inquirere res non solum ecclesiasticas, sed cunctas, quas constituere pro auctoritate regis et pro pace necesse est visum. Ex apostolica auctoritate legatus quodlibet facere potuit, quod sibi utile salutareque est visum, ipse autem papa rationem suam in res agendas interponendi talia argumenta afferens comprobavit: consilium divinum est, ut omnes homines pace fruantur, ipsi

ergo papae, ut Christi in terra vicario officium est hanc pacem tutam praestare (Theiner I, pp. 327 sq.; Eubel I, p. 259; Pauler II, pp. 350 sq.). Legatus ineunte anno 1279 in Hungariam advenit, atque ita scriptor Gestorum actionem illius post annum 1285 fuisse falso adnotat.

pileos Cumanicos — Pars propria vestitus Cumanorum pileus fuit. Cumanii nomen, quod in Annalibus Russicis servatum est, id est Černii Klobuky de hoc alto pileo nigro acceperunt. Cum pileo eos miniator Chronici Picti parte secunda saeculi XIV depinxit, atque usus horum pileorum in monumentis ethnographicis et archaeologicis a saeculo XIV usque ad medium saeculum XIX ostenditur. Vocabula Hungarica “kun süveg” ‘pileus Cumanicus’ vel “túri süveg” ‘pileus Turensis’ (in regione hodierne civitatis Mezőtúr usitatus) significant, quod hic pileus saeculo XIX quoque plerumque in Magna Planicie Hungarica pars vestitus erat (Boncz Ö., A kun és magyar viselet az utolsó Árpádok és az Anjouk alatt [= Vestitus Cumanorum et Hungarorum ultima aetate Arpadiana et tempore Andegavensium], AÉ N.S. 7 [1887] 200 sq.; Zichy I., A Képes Krónika miniatűrjei viseletről szempontból [= Picturae minores Chronici Picti in historia vestituum], Petrovics Elek Emlékkönyv [= Liber memorialis Alexii Petrovics] Bp. 1934, pp. 67 sq.; Györffy I., Néhány adat a régi magyar népviselet ismeretéhez [= Documenta aliquot ad vestitum popularem Hungarorum cognoscendum], A Magyar Nemzeti Múzeum néprajzi osztályának értesítője [= Acta sectionis ethnographicae Hungarici Musei Nationalis] 10 [1909] 178 sq.; A magyarság néprajza [= Ethnographia Hungarorum], Bp. 1941², I, p. 337; Mályusz 1966, 733).

qui barbas ... abicere demandabat — Scriptor Gestorum contraria quidem institutionibus ipsius legati pontificalis adnotavit. Legatus vere in animo habuit, ut Cumanos mores suos a moribus Hungarorum differentes relinquere cogeret. Proinde die 23 mensis Iunii anno 1279 Ladislauum IV. iure iurando promittere iussit, ut in generali congregatione regni, quae tribus hebdomadibus peractis conventura fuit, decretum de hac re constitui atque hoc perfici iuberet. Quoniam Cumani, ut e disceptationibus prius habitis patet factum est, in ipsis moribus suis extraneis intacte manendis perseverati sunt, legatus rege rogante postulationem abiecit. Permissum legati rex in diplomate die 10 mensis Augusti edito etiam litteris mandavit: “Preter abrasionem barbarum et abbreviationem capillorum et habitum vestium eorundem [Cumanorum], super quibus eosdem preter ipsorum voluntatem venerabilis pater dominus legatus ad nostram devotam instantiam lenitate paterne pietatis descendens invitum non coegit” (Gyárfás II, p. 439; Marczali, Enchiridion p. 179; Reg. Arpad. II/2–3, num. 3000. Cf. Pauler II, p. 355). Anno 1288 archiepiscopus Strigoniensis reconciliatus regi, hunc obligavit, ut more Christianorum viveret, tamen iterum concessit, ut “in victu, vestitu, barbis, crinibus seu capillis” mores suos servare posset (Karácsonyi op. cit. Száz. 44 [1910] p. 4). Id, quod veritatis contrarium in Gestis est conservatum, significat scriptorem aequalem rerum esse non

potuisse. Ex aliis documentis quibusdam quoque constitui potest scriptorem postea quinquaginta annis peractis vixisse. Adnotatio eius quam falsa esset, tunc iam nullius admirationem movit, sententia autem, ex qua legatus Cumanos in moribus exterioribus suis perseverari vetuit, hos mores longius usitatos esse demonstrat, quod quidem etiam in picturis minoribus Chronicorum Picti ostenditur. Scriptor, provincialis Franciscanus nomine Iohannes narratione id ipsum demonstraturus fuit, quod mores exteriores aetate sua permanenter usitati re vera vetiti erant. (Contrarie opinatur Kristó [1967, p. 469 adnot. 65], secundum quem e descriptione vestitus coniectura de aetate descriptionis constituenda capi non potest.) Mirum dici potest id quoque, quod scriptor ex institutionibus “legis dictae cumanae” anni 1279 — quae statum socialem Cumanorum lectoris aperiunt et explicant, quo modo Cumani vitae regni Hungariae se accommodaverint nec non quae et qualis sit illorum cum ecclesia consuetudo — non nisi, mores exteriores memoratu dignos putavit, qui describerentur, ne id quidem adnotandum censuit, quod legatus Cumanos vi cogere voluit, ut domicilia in villis et casis assiduis locarent, simul interdicens, ne in tentoriis habitarent.

regem etiam ... proficiens repatriavit — Maximum impedimentum legato erat, quod munere suo fungens a rege non est adiutus, immo quidem illo repugnante ecclesiae rationibus prospicere debuit. Legatus Ladislaus IV. autumno anni 1279 excommunicavit, at mense Ianuario anno 1280 rex legatum comprehendendi iussit et Cumanis tradidit. Quantum res in discrimen vocatum sit, eo demonstratur, quod nonnulli procerum deinde regem ipsum in custodiam dederunt. Brevi ambo liberi facti sunt (exeunte mense Februario anno 1280), id tamen, ut Ladislaus IV. ne tantum in speciem, sed re vera quoque cederet, legatus assequi non potuit. Episcopus Firmanus mense Iunio anno 1281 Hungariam reliquit, tamen non Romam, sed in Poloniam profectus est, quae territorium alterum muneric sui destinata erat (Pauler II, pp. 365 sq., 376).

⟨108.⟩

Caput provincialis Franciscanus saeculi XIV conscripsit.

De subita ... Cumanos facta — Index ex indice capitinis V₂ conscriptus est: 478
“Ladislaus rex interficitur per Cumanos” (SRH I, 473).

Post hec in brevi — Scilicet re vera paene decennio post abitum legati. Series temporum incerta quoque caput superius aetate posteriore scriptum esse affirmat.

anno domini ... virginis et martyris — Scilicet die 10 mensis Iulii anno 1290 (cf. Knauz p. 532).

prope castrum Kereszeg — In comitatu Bihorensi a Varadino ad occasum inter ramos Crisii Rapidi post incursionem Tartarorum aedificatum castrum

palustre est (Jakó p. 285 sq.). Genus Barsa possidebat castrum et fieri potest, ut Ladislau IV. id oppugnaturus huc advenerit.

Post hec ... miserabiliter interfectus — De rebus, quae causae necis Ladislai IV. fuerint, documenta alia quoque fide digna in *B* et *D*, atque in *R* inveniuntur et in iisdem accurate descriptum est, quo modo caedes regis vindicata sit (SRH I, 474). Quae causa necis fuerit, tantum coniectari potest. Sententiam satis divulgatam, ex qua Cumani a proceribus conducti sunt, Pauer haud acceptabilem habuit, tamen coniectura eius, secundum quam Cumani “odisse coeperant naturam vehementem, libidinosam, contumacem nec non multa bella” Ladislai IV., (Pauer II, pp. 413, 572 sq.), ad persuadendum parum accommodata est. Posteriore tempore (anno 1325) rumor eiusmodi dissipatus est, ex quo Kopoz de genere Barsa, dominus castri, unus ex proceribus comitatus Bihoriensis necem Ladislao IV. efficiendam notam habuisset et fortasse particeps quoque eius fuisse (Anjou II, p. 217). Hunc rumorem verum fuisse eo affirmatur, quod membra generis Barsa inter annos 1285—1290 adversabantur regi (v. caput (105.)), Rolandus de genere Barsa et fratres — inter quos probabiliter Kopoz quoque aderat — anno 1287 in regione fluvii Sytiae (Slovace Žitava, Hungarice Zsitva) contra Ladislaum IV. pugnaverunt (Kubinyi II, pp. 30 sq., Reg Arpad. II/2—3, num. 3444), anno 1288 rex causam decimae Ugochiensis contra Kopoz iudicavit (Urkb. Siebenb. I, p. 159, Reg. Arpad. II/2—3, num. 3509). At contra sententiam Pauer cogitari potest caedem politicam a Cumanis factam esse, quam illis barones Hungarici regi adversantes suggeraverunt. Inest probabilitas quaedam sententiae, quae rem ex paupertate apud Cumanos post annum 1279 orta, e discrimine, quod fundamenta oeconomica conformatioonis generum apud eos labefactavit, natam esse explicat (Györffy op. cit. in Székely, Tanulm. pp. 261 sq.), utile tamen esset latius pervestigare, id est casus similes quoque observare, quoniam documenta fontium, quae ad Cumanos pertinent, ad quaestionem inquirendam parum fundamenti firmi in se habent.

divites deficere ... pre inopia paupertatis — Processus rerum, ex quo nobilis, qui opes suas perdidit, rusticorum mores et habitus sensim induit, per se intellegi potest, cuius rei adnotatio documento sagacitatis acutae scriptoris videtur. Si tamen respicitur, quo modo notio “nobilis” secunda parte saeculi XIII mutata sit, constitutio scriptoris opinio parum diligens fit, quae non nisi universe valet. Nomen “nobilis” Bela IV. regnante in locum vocabuli “serviens regis” ideo successit, quia hoc modo exprimi potuit, quod “nobilis” miles gravis armaturae, peritus militaris generis pugnandi, armaturam huiusmodi acquirere potens et dominus satis dives est, qui iobagiones habet. Non solum conatus Belae IV., sed evolutio omnis societatis Hungaricae consilium habuit, ut nobiles cum militibus identificari possent et privilegiis nobilium tantum ii fruerentur, qui armis ad illud tempus maxime opportunis praediti militiae satisfacere possunt. Commendum regni poposcit, ut impensis tributorum pendendorum ne eximerentur

ii, qui propter egestatem opum arma capere non potuerunt. Processus mutationis, ut e documentis concludi potest, id esse potuisse, quod tantum membra vere militantia singularum familiarum nobilium privilegiis nobilium fruuntur, ceteri autem, qui domi rei rusticae operam dantes victum militantibus comparant, horum tanquam servi, rustici fiunt et a regno vectigalibus pendendis onerari possunt. Soli igitur milites numero exiguo privilegiis nobilium fructi essent. In vicem huius rei quisque, qui ex patre nobili est natus, exeunte saeculo XIII in numerum nobilium est ascriptus sine respectu opum. Nobiles Hungarici sic iam temporibus secundae vel tertiae aetatis hominum post tempus consiliorum Belae IV. conformacionem quasi vulgus effecerunt, quae proprietas temporibus insequentibus non solum permansit, sed gradatim convalescebat. Ut magna multitudo nobilium rustici facti essent, res internae confusae dubiaeque, ut conici potest, accelerabant, hic tamen processus ne tranquillis temporibus quidem desist. Processus separationis nobilium probabiliter ideo interruptus est, quoniam conformatio generum, familiarum magnarum in structura feudalismi huic ipsi accomodata reconvaluit. Conformatio perantiqua societatis dilapsura in feudalismum Hungaricum se transtulit et huic singularem proprietatem dedit. Pars processus, quae in descriptione Gestorum redditum est, minus aetatis Ladislai IV., quam posterioris temporis, iam regni Caroli Roberti proprium est (Mályusz 1966, 734 sq.).

biga — Plastrum duarum rotarum in Asia Meridionali, sed in Europa quoque in regione mediterranea ab aetate antiquissima maxime pervulgatum instrumentum onerarium erat. In Hungaria a pauperibus et a pastoribus etiam saeculo XX usitatum est (A magyarság néprajza [= Ethnographia Hungarorum], tom. II², p. 214).

Tempore enim ... vices animalium impendebant — Anarchia feudalismi post mortem Stephani V. increvit et quinquaginta annos aestuabat, dum Carolo Roberto eam coercere contigit. Res innumerabiles anarchiae documentis diplomatum eiusdem aetatis proferuntur, quibus comparata descriptio brevis illius aetatis in Gestis modum minime excedere videtur. Descriptio ipsa in res explicandas non penetrat, nam nec conatus possessorum latifundiorum, quibus hi liberam potentiam dominorum regionum assecuturi erant, nec resistantiam potentiae regiae pro unitate regni adhibitam repraesentat. Quoniam in diplomatis cancellariae regiae quoque, quae primis decenniis saeculi XIV editae sunt, omissum est, ut constitutiones vel indicationes de statu regni fierent, genus scribendi scriptoris Gestorum, ex quo ipse sat esse putavit res adnotare, rationi atque voluntati hominum illius aetatis convenit. Evidem descriptio vivacitate quadam perfusa est, compositione autem apte est collocata, nam extollendo pacem regni Caroli Roberti, id est aetatis scriptoris anarchiae illius alterius aetatis tamquam opponitur.

⟨109.⟩

Caput provincialis Franciscanus saeculi XIV conscripsit, qui in conscribendo etiam adnotazione chronologica eiusdem temporis usus est.

479 *De coronatione ... sequitur* — Pars prima indicis identificari potest cum indice capitinis Chronicorum Budensium (“De coronatione regis Andree tertii, qui fuit nepos regis Andree secundi”, SRH I, 475), secunda pars indice capitinis Chronicorum Picti diligenter observato composita est (“Dux Andreas de Veneciis in Hungariam inducitur”, SRH I, 475).

Post cuius ... de Veneciis coronatur — Tempus coronationis Andreae III. Albae Regiae habitae itaque — ab obitu Ladislai IV., id est a die 10 mensis Iulii computatum — dies 28 mensis Iulii esset. At cancellaria Andreae III. in adnotazione dierum datarum diplomatum regiorum diem priorem quandam initium annorum regni Andreae III. indicat. Hoc tempus, ut videtur, dies 23 mensis Iulii est. Hoc eo probatur, quod in opere Reimchronik Ottocari Steier (Ottokar von Steier) coronatio die dominica fuisse adnotata est (Gombos III, p. 1868), et dies 23 mensis Iulii vere dies dominica est, dum dies 28 mensis Iulii feria sexta est, in Chronico autem Varadiensi et in R non dies 18, sed dies 13 ab obitu Ladislai IV. computantur (Knauz pp. 532 sq.; Pauler II, p. 573; SRH I, 213). Coronatio in opere Reimchronik accuratius descripta est.

qui vivente ... Hungariam fuerat — Andreas III. ab assecutoribus suis duce eorum Iohanne Kőszegi in Hungaria bis productus est. Primum ut puer 12—13 annorum anno 1278, mox ineunte anno 1290. Tunc modico cum exercitu ad Iaderam in terram egressus per Croatiam in comitatum Zaladiensem venit, sed quamquam archiepiscopus Lodomerius quoque cum eo sentiebat, successum memoria dignum assequi non potuit. E contrario, Arnoldus, qui de genere Buzad est ortus, eum cepit et tradidit duci Austriae Alberto. Hic Andream Ladislao IV. non tradidit, sed hospitio magis magisque frigido Vindobonae retinuit. Andreas hic comperit Ladislauum IV. mortuum esse (Pauler II, pp. 337 sq., 349, 395, 410 sq.). Quia posterius scriptor Gestorum partim iisdem vocabulis (“vivente adhuc rege Ladislao in Hungariam subintravit”) textum iterat, ex hoc descriptionem infra sequentem insertam esse, partim autem primam enuntiationem capitinis ad modum adnotationis chronologicae factam esse coniectare possumus.

Cum enim rex ... feliciter cum honore — Scriptor Gestorum hic res in capitibus ⟨99.⟩ et ⟨100.⟩ probatas repetit partim illis vocabulis, quae ibi legi possunt.

480 *marchionem Estensem* — Marchio Estensis Azzo VII. (1212—1264) frater consobrinus primi gradus Andreae II. fuit, quoniam mater sua et mater regis Hungariae — Alice et Anna de familia Châtillon — sorores erant (Wertner p. 425).

Ille vero marchio ... secum duxit — Andreas II. non filiam marchionis

Azzo, sed filiam fratris eius — scilicet filiam marchionis Anconitani, Aldobrandini I. — nomine Beatricem uxorem duxit (Wertner p. 426). Narratio Gestorum tam commenticia est, ut “res absurda amplius quidem refutanda non sit” (Pawler II, p. 509). Matrimonium Albae Regiae, die 14 mensis Maii anno 1234 iunctum est. Beatrix uxor tertia Andreae II. fuit et rex Hungariae in Italia nunquam erat (Pawler II, p. 125. Textum Annalium S. Iustinae Patavinorum profert Gombos I, p. 143).

Esth — Hodierna civitas Este in Italia, a Ferrara ad meridiem-occidentem est.

Mortuo vero rege ... Stephanum vocaverunt — Familia regia moleste tulit, quod Andreas II. tertiam quoque uxorem duxit, cum autem patefactum est, viduam regis gravidam esse, invidia Belae IV. atque uxor eius in Beatricem tam magna facta est, ut haec de vita sua timens legatis imperatoris Friderici II. adiuvantibus ineunte anno 1236 ex Hungaria effugisset. Natum, quem Stephanum baptizavit, in Teutonia peperit. Stephanum Bela IV. et dux Colomanus fratrem suum non agnoverunt. Beatrix sex mensibus in Teutonia peractis in Italiam reversa est. Ius suum contra familiam regiam Hungariae exequi auxilio Venetiarum innisa conabatur, sed res publica anno 1244 eam destituit. Obiit anno 1245 (Pawler II, pp. 131, 209, 285).

Tandem ad etatem ... remotius effugavit — Stephanus a pueritia, cum iam 481 septem annorum erat, in aula avunculi educabatur. Is fuit, qui aliis legitimis successoribus deficientibus hereditati marchionis Azzo succedere debebat, tamen avunculus eo, quod nothum filii legitime natum pronuntiavit et huic e familia papae Innocentii IV. uxorem attulit, omnem spem Stephani extinxit. Duci melius est visum Ferraram relinquere (Wertner pp. 547 sq.).

abiit in Ispaniam ... Andree regis Hungarie — Filiam Andreae II., Iolantham nominatam (obiit anno 1251) rex Aragoniae Iacobus I. (Jaime el Conquistador, 1213—1276) anno 1235 uxorem duxit. Consilium matrimonii iungendi ex aula regia Hungarica ordiri potuit. Antequam id iunctum est, episcopus Quinqueecclesiensis Bartholomaeus ter legatus in Aragoniam missus est, in dotem autem rex Hungariae 12 000 marcarum argenti dare promisit Iacobo I. redditus regales “tricesimas” nominatos obligans. Inter duas familias regias iam pridem coniunctio familiaris connexa est, cum uxor regis Emerici, Constantia cognata Iacobi I. fuit (Wertner pp. 444 sq.; Pawler II, p. 128). De commoratione ducis Stephani in Hispania adnotatio Gestorum est commemorationis unica, tempus commorationis constitui non potest.

iterum in Italiā ... in Rauenna — Ravennae, quo dux Stephanus probabiliter Ferrara sedem transtulit, ipse nepotem podestae civitatis Pauli Traversari uxorem duxit (Pawler II, p. 285; Wertner pp. 560 sq.; Gombos [Salimbene] III, pp. 2107 sq.) Scriptor Annalium S. Iustinae Patavini, qui de sorte ducis Stephani argumenta fide maxime digna posteritati tradidit, ad annum 1262 magna cum commiseratione memorat: “compulsus est tanti

regis filius feminam longe se minorem, licet ditissimam ducere in uxorem" (Gombos I, p. 144). Quod dux, ut dicitur, podesta electus sit, tantum in Gestis memoratur.

Ibi autem vir ... filiam suam in uxorem — Dux Stephanus Venetiis, quo Ravenna post mortem uxoris primae devectus est, e familia Morosini, quae una ex familiis nobilissimis erat, uxorem sibi duxit. Avus uxoris, Thomasi nae, Marinus Morosini annis 1249—1253 dux Venetiarum erat (Kretschmayr I, pp. 71 sq., 571). Statum rerum familiae ducis Stephani testamentum eius anno 1271 conscriptum exponit. Heredem filium, ducem Andream fecit, tutores huic praeter uxorem soceros suos, comitem Iaderensem Albertinum Morosini et Marinum Gradenigo instituit, opes tamen filio non reliquit (Hazai Okmt. VIII, pp. 431 sq.; Pauler II, p. 286; Wertner pp. 559, 563 sq.). Thomasina anno 1293 in Hungariam venit et hic manu firma filium in gubernando adiuvans titulo "ducissa totius Sclavonie et gubernatrix citradanubialium partium usque mare" praedita fuit. Obiit anno 1300 (Pauler II, pp. 439, 471; Wenzel X, p. 186).

omnium bonorum ... eum constituit — Summam circuitus verborum rem occultantium Pauler acute exprimit: "Familia uxoris eum alebat sustentabatque" (II, p. 286). Studium, quod scriptor capit, provincialis Franciscanus in ortum regis Andreae III. confert, intellegibile fit eo, quod Franciscani sortem viduae Andreae II. et ducis Stephani assidue acri et attento animo observabant. Franciscanus Salimbene (obiit anno 1287) in chronicō suo non solum momenta complura vitae ducis Stephani servavit, sed id quoque adnotavit, quod socii ordinis Franciscani ex Hungaria advenientes eum adierunt et nuntiaverunt, quam similis Stephanus patri esset ("Et multi fratres minores de Hungaria, qui transibant per Ferariam, volebant ipsum videre et dicebant, quod regi Hungarie patri suo in habitudine corporis optime similis videbatur". Gombos III, p. 2107, editio manca est). In Gestis sermo, qui in ore Franciscanorum erat, est litteris mandatus. Simul auctor Gestorum commutavit famam de vita ducis Venetiis acta — quamquam eam quoque omnes noverunt —, quia id, quod ea continebat, Andreae, regnum adepto non decori erat: "Stephanus ... in altissima paupertate et summa miseria ultimam diem clausit" (Mályusz 1966, 742).

482 *Ex illa ... nomine patris sui* — Andreas III. circa annum 1265 est natus (Wertner p. 567).

Qui Andreas ... infinitarum divitiarum — Divitiae Albertini Morosini in Hungaria omnibus notae fuerunt. Rex, cum ducatum Slavoniae patruo dedit et "generalis congregatio regni" cum eum "tanquam virum ab antiquo generosum nostre vniuersitatis coetui" aggregavit (anno 1299), mentionem fecerunt divitiarum Albertini Morosini, extollentur et "innumera pecunie quantitas" et "expense innumere", quas hic pro fratre patrueli solvit (Fejér VII/5, pp. 503, 546. Quod ad annum pertinet, v. Pauler II, pp. 466 sq.). In documentis historicis, contra narrationem scriptoris Gestorum, nil adnotatum est, scilicet quod Andreas III. plures patruos quoque habuisset.

eo, quod esset ... titulo avi sui — Ducatum Slavoniae Andreas II. a fratre natu maiore, a rege Emerico, qui prius pariter dux erat, accepit (Pawler II, p. 13), ipse Andreas II. ducatum filio, futuro Belae IV., mox filio alteri, Colomano, Bela IV. autem filio minori, Belae dedit (Pawler II, pp. 76, 94, 247; Karácsonyi J., Szent László meghódítja a régi Szlavóniát [= Sanctus Ladislaus Slavoniam veterem occupat], Ért. tört. tud. XXIV/2, Bp. 1916, pp. 24 sq.), Ladislaus IV. autem fratri suo natu minori, duci Andreeae impertivit. Nullo modo igitur dici potest ducatum iure hereditario suboli increscenti tradi. Dux Stephanus, pater Andreeae III. morem iudiciorum solitum appellare non potuit, cum se ducem Slavoniae appellaret, sed quia illi postulationem regnandi et se e familia regia ortum esse aliquo modo argumentis probandum fuit, ius hereditarium suum praedicare coactus erat. Ipse Andreas III. ut rex tenaciter in fictione perseveravit. Ducatum Slavoniae ut iustum possessionem heredis regni, id est successoris habuit et "primam dignitatem regie proliis" nominavit (Fejér VII/5, p. 547. Cf. Pesty II, p. 196). In Gestis sententia aulicorum aetatis Andreeae III. redditur, simul etiam obscurantur partes aemuli regni, quas Andreas contra regem legitimam, contra Ladislaum IV. agebat, cum scriptor ostenderit Andream III. legitimam partem regni sibi comparaturum fuisse. Duci Stephano id ne in mentem quidem incidit, quod filius suus regnum Hungariae occupare posset. Etiam in testamento praeter iura Estensia tantum vindiciae ducatus Slavoniae memoratae sunt (Hazai Okmt. VIII, p. 571). Testamentum ergo narrationem scriptoris Gestorum affirmat.

baronibus regni — Vocabula "baro" et "baro regni" inter se differunt. Vocabulum posterius significat eos, qui primores regni sunt et simul summis dignitatibus re vera fungebantur atque eos, qui dignitates huiusmodi quondam habuerunt. Hi posteriores tunc quoque voivodae, bani sunt nominati, cum in locum suum iam alii succedebant, ipsi autem potestatem pristinam ita demonstrant, ut unam ex figuris armorum Hungariae, crucem duplicem in insigne suum assumant. Appetentes sunt auctoritatis, qua re vera fruuntur. Simul hi sunt, quos dignitates vacuefactae manent. Commutatio harum dignitatum inde fit, quod primores regni potestatem inter se iterum atque iterum partiuntur, inter ipsos competitores autem barones regni sunt primi.

Qui anno ... Austriam debellavit — Dux Austriae Albertus, filius regis Rudolphi ultimis annis regni Ladislai IV. in regionibus occidentalibus confinii Hungariae loca extensa occupavit. Inter alia in potestatem suam redigit Sopronium, Ginsium, Posonium, Tyrnaviam (Pawler II, pp. 395 sq., 425). Andreas III., qui cum coronatus esset, iure iurando se obstrinxit, ut omnem terram recuperaturus sit, quae e regno Hungariae in potestatem Teutonicam venit (Bartoniek E., A koronázási eskü fejlődése 1526-ig [= De conformando iuramento usque ad annum 1526 in coronatione regis], Száz. 51 [1917] 12), mense Iulio anno 1291 in Austriam ingressus est. Exercitus, cuius numerus in Continuatione Vindobonensi sine dubio in

maius auctus 80 000 militum fuisse dicitur, ut scriptor Gestorum quoque adnotavit, solito maior esse potuit. Hoc etiam compositio exercitus probat. Praeter Hungaros enim Siculi, Cumani, Russi, Vlachi, Serbi, Bosnenses, Croati quoque aderant. Devastationibus ab iis inclementer factis, nullo bello graviore gesto dux Albertus adductus est, ut in pace Hainburgensi (die 26 mensis Augusti anno 1291) de omnibus terris Hungaricis, quae armis partae sunt, desisteret (Pauler II, pp. 427 sq.; Wertner M., Az 1291. évi magyar—osztrák hadjárat [= Bellum Hungariano—Austriacum anno 1291 gestum], HK 17 [1916] p. 384).

Johannes ... filii Herrici — Scilicet membra sunt familiae Kőszegi de genere Hedrich (Hungarice: Héder) ortae. Henricus II. (obiit anno 1274) Bela IV. regnante primum iudex curiae, mox palatinus, postremo banus Slavoniae factus est. E quattuor filiis Nicolaus, qui in Gestis non est memoratus, inter annos 1275—1290 dignitate palatini quater functus est, Petrus episcopus Vesprimiensis fuit, Iohannes, qui nomine “Ivan” magis notus erat, ab anno 1275 alternatim banus Slavoniae, magister tavernicorum, palatinus factus est. Filius quartus, Henricus III. aetate Ladislai IV. adhuc muneribus non fungebatur. Initium regni Andreae III. magnum spatium se proferendi eis dedit: Nicolaus palatinus, Ivan magister tavernicorum, Henricus III. banus Slavoniae factus est (Hóman, M. tört. II, p. 240, tabula). Anno 1291, quia in pace Hainburgensi praescriptum est, ut castra eorum destruerentur, regi obstiterunt et in Andegavensium partes transierunt. Post mortem Andreae III. fratres — quod eos omnia ad suam potestatem referre indicat — Andegavenses deseruerunt. Henricus III. dignitate bani ab anno 1301 usque ad mortem anno 1309 eventum fungebatur (Karácsonyi II, pp. 145 sq.; Kristó Gy., A Kőszegiek kiskirálysága [= Dominatus familie Kőszegi], Vasi Szemle [=Acta comitatus Castri Ferrei] [1975] 251 sq.).

Vgemus filius Poch de Wylak — Nomen in variantibus quibusdam Gestorum recte: “Vgrinus” est scriptum. Nomen “Vgemus” solum in V_3 invenitur. At forma “Wylak” in V_2 V_4 V_5 est, in V_3 autem forma: “Uylak” legitur (SRH I, 477). Ugrinus membrum est illius rami generis Chak, qui possessor civitatis Újlak in comitatu Sirmensi erat (hodie Ilok, Iugoslavia). Ugrinus tunc quoque, cum dignitatibus summis fungebatur, nomini suo nomen patris sui — sicut in Gestis quoque legitur — adiunxit (“Magister Ugrinus filius magistri Pous de genere Chak”, 1274: Wenzel IX, p. 107; 1284: Hazai Okmt. IV, p. 65; 1307: Fejér VIII/1, p. 221). Magister Pous cum rex Bela IV. adhuc rex iunior esset muneribus fungebatur (annis 1227—1233), Ugrinus ab anno 1268 alternatim banus, magister agazonum, iudex curiae, voivoda Transylvaniae, magister tavernicorum erat, prout in contentionibus factionum, quarum ipse particeps vehemens fuit, ex dignitatibus divisis una aut altera ipsi contigit (Karácsonyi I, pp. 338 sq.; Hóman, M. tört. II, p. 176, tabula). Sententia scriptoris Gestorum, ex qua Ugrinus Andream III. deseruerit, nullo arguento fide digno affirmari potest (cf.

Pauler II, p. 468). Karácsonyi (I, pp. 340 sq.) contra dubitationem Pauler (II, p. 577) hunc Ugrinum identificat cum illo "magistro Ugrino", quem anno 1292 Andreas III. in oram maritimam ad matrem, Thomasinam excipiendam misit, et qui ab assetoribus Andegavensium comprehensus est. Ugrinus anno 1298 ab Andrea III. "baro fidelissimus" est nominatus (Wenzel XII, p. 617). Post mortem Andreae III. Ugrinus in Andegavensium partes transiit. Auctoritas eius eo demonstratur, quod tutor aemulo regni, Carolo I. datus est. Annis 1307—1309 magister tavernicorum fuit. Obiit anno 1311 (Karácsonyi I, p. 341). Forma nominis familiae proprium non saeculi XIII, sed saeculi XIV est. Ipse magister Ugrinus cognomine Újlaki (de Ujlak) non est usus, at filius, iudex curiae Nicolaus, anno 1350 ad Aversam vulneratus cognomine Újlaki nominatus est a Iohanne de Keth (Hungarice Kétyi) (Font. dom. III, p. 158).

aliisque quamplures — Membra familiae Kőszegi nominatim enumerata et Ugrinus Újlaki inter eos relati sunt, qui a scriptore in ipsis antecedentibus "barones regni" nominati sunt. Vocabula "nobiles regni" et "barones regni" identificare et his ut synonymis uti proprium est et aetatis scriptoris et sententiae temporis rerum gestarum. Rex Andreas III. anno 1299 magnates nominavit eos, qui avunculum inter se asciverunt ("ab omnibus magnatibus ... susceptus est ... in suum consortium, ius atque privilegium", Fejér VII/5, p. 546), in illo tamen diplomate, quod praelati et barones nominatim enumerati atque "universitas nobilium Hungarorum, Siculorum, Saxonum et Cumanorum" de indigenatione Albertini Morosini ediderunt, id est ex quo ille in numero Hungarorum relatus est, idem possessor "privilegii nobilitatis" eiusmodi dicitur, quod privilegium "universi barones et nobiles regni Hungarie" habent (Fejér VII/5, pp. 502 sq.). Contradiccio tantum per speciem existit. Potestatem summam barones habent, arbitrium penes eos est, sed familiae baronum a ceteris ramis generis se non seiunixerunt, et hi "nobiles" in eodem gradu nobilitatis cum cognatis proximis videri volunt. Hoc postulatum saeculo XIV quoque valere pergit, quo saeculo — conjectura e nomine familiae Újlaki facta — textus ortus est.

papa Bonifacio VIII. — Bonifatius VIII. (1294—1303) antequam papa creatus est, cardinalis Benedictus Cajetanus Anagninus (Eubel I, p. 11) propugnator pervicax conatum papatui dominationem in orbe terrarum conciliandi erat.

In cuius imperio ... regem petierunt — Scriptor Gestorum secundum mentem et voluntatem monachorum mendicantium potestatem papae in maius fert, rem ita describens, ut proceres Hungariae cum prece eum adirent. Papae quidem, ut Nicolaus IV. anno 1290, assidue praedicabant Hungariam ad "ecclesiam Romanam pertinere", tamen Andrea III. vivente Bonifatius VIII. quoque cavebat, ne regi se opponeret et palam postulatis Andegavensium faveret. Quin etiam ita se gessit una cum cardinalibus, qui coram legato Romano Andreae III. anno 1300 declarationes eiusmodi fecerunt, ut legatus neutralitatem curiae Romanae omnino certam esse

videret (Fraknói I, pp. 98 sq.; Pauler II, p. 471). Primus impulsus ex aula Andegavensium Neapolitana orsus est, ubi regina Maria, filia Stephani V. nuntio de morte Ladislai IV. allato titulum “regina Hungarie” sumpsit, mox ius suum filio, Carolo Martello mandavit (Dipl. Eml. Anjou I, pp. 84 sq.), at praeparatio sua per legatos nimis tarde progrediebatur. Tantum ineunte anno 1300 frater bani Slavoniae Pauli Šubić, Georgius Neapolim venit, ut regem Carolum II. impelleret ad nepotem in Hungariam quam primum mittendum (Pauler II, p. 468; Hóman, M. tört. II, p. 246; Mályusz 1966, 736 sq.).

⟨110.⟩

Caput provincialis Franciscanus saeculi XIV conscripsit.

483 *Quomodo ... destinavit* — Index respectu indicis Chronici Picti conscriptus est: “Rex Karolus adhuc [puer] existens in Hungariam de Neapoli per quosdam barones regni Hungarie introducitur” (SRH I, 477).

Quorum instantiam ... in Hungariam destinavit — Rex posterior Carolus I. (Carolus Robertus, 1308—1342) anno 1288 natus est, atque ita scriptor Gestorum aetatem eius recte constituit, at falsum est adnotatum tempus, quo in Hungariam profectus est, item falsa est sententia, ex qua res papa Bonifatio impulsore et suasore facta esset. In Neapolitanis registris Andegavensium singulæ res praeparationis et profectionis Caroli Roberti servatae sunt (Dipl. Eml. Anjou I, pp. 148 sq.), et sic certum est eum mense Augusto anno 1300 in Dalmatiam advenisse (Pauler II, pp. 469 sq.). Bonifatius VIII. quidem Andegavenses legitimos possessores regni Hungariae habuit et secundum declarationem suam anni 1303 Carolus Martellus “habitus est quasi communiter et precipue per Romanam ecclesiam pro Ungarie rege” (Theiner I, p. 398), tamen cavebat, ne quid tale diceret, quod pro sententia contra Andream III. pronuntiata haberi posset. Ne legatum quidem Carolo Roberto in Hungariam profecturo attribuit, immo ne bullis quidem adiumento ei fuit (Fraknói I, pp. 102, 106). Tantum post mortem Andreæ III. palam in Andegavensium partes transiit, ex quo in Continuacione Zwetlensi quoque iam papae partes impulsoris attribuuntur, tamen non nisi ad annum 1301 (Gombos I, p. 794).

Rex Stephanus ... in uxorem — Filia Stephani V. et Elisabethae origine Cumanae circa annum 1257/8 nata est, atque ita puella adhuc non adulta fuit, cum (anno 1269) Neapolim est adducta (obiit anno 1323). Scriptor Gestorum recte profert, quod praeter Mariam Stephanus V. plures filias habuit. Hae sunt: Catharina, uxor regis Serbiae, Stephanus Dragutin, Anna, quam Andronicus Palaeologus, posterior imperator Byzantii in matrimonium duxit, et Elisabetha, quae ad quoddam tempus monacha in monasterio, in Insula leporum vitam agebat, mox uxor principis Bohemicz Záviš de

Falkenstejn facta est (Wertner pp. 499 sq.). In Chronico Posoniensi nominatim duae filiae memoratae sunt: Catharina et Maria (SRH II, 46). Scriptor Gestorum e sermone adnotationem conscribere potuit, quae id demonstrat, quod scriptor coniunctiones familiares stirpis Arpadiana bene notas habuit.

Karolo Claudio ... rex Sicilie — Filius regis Francogalliae Ludovici VIII., Carolus I. Andegavensis (obiit anno 1285) Neapolim et Siciliam anno 1265 velut feuda accepit a papa Clemente IV., qui per Carolum Andegavensem finem dominationi familiae Hohenstaufen fecit. Carolus II. (Claudus), maritus Mariae e stirpe Arpadiana ortae anno 1309 mortuus est.

Karolum Martellum — Carolus Martellus, qui anno 1272 natus est, patre vivente obiit (anno 1295).

Karolus vero Martellus ... Karolum Robertum — Filia regis Teutoniae ⁴⁸⁴ Rudolphi (1273—1291), Clementia anno 1291 uxor Caroli Martelli facta est. Prius sponsa ducis Andreae, fratris natu minoris Ladislai IV. fuit, et ad matrimonium iungendum impedimento tantum mors immatura ducis fuit (O. Redlich, Rudolf von Habsburg, Innsbruck 1903, pp. 237, 332, 401 sq.). Consilium huius matrimonii in aula regis Hungariae ortum est, at ipsum matrimonium successu suo contentionem finium prolatandorum familiae Habsburg adiuvit, quod quidem nimirum provideri non potuit. Et sponsus et maritus Clementiae sperare potuerunt fore, ut regnum Hungariae adipiscerentur, et quod Clementia delectu suo secundo non deerravit: in persona Caroli Roberti vere nepos Rudolphi factus est rex Hungariae (Wertner pp. 541 sq.; Fraknói V., A Habsburg-ház első érintkezései Magyarországgal, 1269—1274 [= De primis coniunctionibus familiae Habsburg cum Hungaria, 1269—1274], Ért. tört. tud. XXIV/8, Bp. 1917, pp. 12 sq., 21 sq.).

in Hungaria autem ... Karolum vocaverunt — In diplomatibus ipse rex quoque tantum Carolum se appellavit.

ut autem iste ... ad propria redierunt — Papa Bonifatius VIII. Andrea III. vivente legatum in Hungariam non misit. Scriptor Gestorum personam legati, Iohannis (Giovanni Ugoccione) episcopi Aesii (h. Iesi) in animo habere potuit, qui a papa Nicolao IV. missus exeunte anno 1291 in Hungariam advenit atque pro praecepto habuit, ut sententia papae a Hungaris acciperetur, ex qua Hungaria “ad Romanam ecclesiam ab antiquo etiam pertinere noscatur” (Theiner I, p. 373; Fraknói I, pp. 99 sq.; Paurer II, pp. 424, 435). Legato ergo non erat praeceptum palam pro rationibus Andegavensibus agere. Ceterum ne apud episcopos quidem adiumentum assecutus est, atque ita sex mensibus peractis sine effectu Romam reversus est (Fraknói I, p. 101).

anno domini ... requievit in domino — Th. ascriptionem diei mutilatam adnotavit, in quo vocabula “in Pincis” omisit (SRH I, 478), quae locum gloriosae mortis martyris Felicis (“Rome ... loco, qui in Pincis dicitur”) significant (Knauz p. 186). Hoc festum ut diem ascriptionis (die 14 mensis

Ianuarii) appellare in diplomatibus Hungaricis usitatum non erat, fortasse Th. ideo quoque mentionem eius facere supervacaneum esse putavit. Tamen id quoque possibile est, quod vocabulum in fonte Th. similiter atque in *V₃*, in quo vocabula “in principis” sunt scripta (SRH I, 478), depravatum est, atque ideo peropportunum est visum vocabula, quae intellegi non possunt, omittere. (In *A*: forma “in picis”, sed in ceteris variantibus cunctis recte forma “in Pincis” legitur.) Ascriptio diei 14 mensis Ianuarii ut dies obitus Andreae III. in diplomate anni 1324 viduae, reginae Agnetis affirmatur, in quo fundationem statuens diem sic assignat: “unsers lieben Herren seligen Jartag, Chuniges Andren von Ungern Felicis in Princis” (Knauz p. 534).

castro Budensi — Principio Buda est nominatus locus, qui centrum regionis III. hodierni Budapestini est, quae civitas ineunte saeculo XIII duo aedificia prominentia habuit: templum capituli et domum regiam. Capitulum in nominatione (“capitulum ecclesie Budensis”) plane et omnino vocabulum primum loci conservabat, tunc quoque, cum civitas ipsa iam Buda Vetus est nominata. Post incursionem Tartarorum in parte meridionali clivi, in quo hodierna arx sita est, castrum regium aedificatum est, in parte autem septemtrionali clivi civitas conformabatur. Cives in diplomatibus civitatem “castrum novi montis Pestiensis” nominabant, sed nomen generatim usitatum Buda, “Budensis civitas” erat (Györffy, Budapest I, p. 305). Nomen “castrum Budense” etiamsi haud tam saepe, tamen iterum ac iterum in diplomatibus saeculi XIII invenitur. Exempli causa rex Andreas III. anno 1296 monasterium ordinis Sancti Francisci in Gestis ipsis memoratum sic describit: “monasterium beati Iohannis ewangeliste de ordine fratrum Minorum de castro Budensi” (Budapest okl. I, p. 301; cf. pp. 71, 282, 321, 326).

sepultus est ... apud fratres minores — Monachi ordinis Sancti Francisci medio saeculo XIII Budae considerunt. Ecclesia eorum in platea hodierna Sancti Georgii eo loco aedificata erat, ubi posterius theatrum Castri fuit, monasterium autem ordinis iuxta ecclesiam stetit in vico, qui medio aevo vicus Sancti Iohannis erat, hodie autem Színház utca (vicus theatri) nominatur. Monasterium unum ex domiciliis ordinis huius in Hungaria maxime notis erat. Provincia Hungarica ordinis Sancti Francisci hic iterum ac saepius capitula generalia habebat, ecclesiam autem, ut in Gestis inferius enarratur, praelati ecclesiastici animo libenti locum sepulturae sibi elegerunt (Karácsonyi, Ferenc rend I, pp. 152 sq.; Budapest műemlékei [= Monumenta artis Budapestini], Bp. 1955, I, pp. 479 sq.; Györffy, Budapest I, p. 303).

INDEX NOMINUM

COMPOSUERUNT

PAULUS PELLE, MONICA JÁNOSI ET ARPADUS DELI

Index noster continet nomina propria et ex eis derivata adiectiva,
quae in commentariis reperiuntur.

A

- Aachen v. Aquisgranum
 Aaron propheta 485
 Aba genus Hung. 132, 137, 138, 167, 286, 298,
 310, 311, 378
 — (Apa) nomen Turcicum 286
 — (Aba Samuel, Obo) rex Hung. (1041–1044)
 137, 167, 285–289, 291–293, 295–300,
 304, 311, 333
 — Samuel v. — rex Hung.
 Abae membra generis Abae 137
 Abah castrum citra Danubium 224
 Abasár v. Saar
 Abaúj com. Hung. 359
 Abaújvár v. Novum Castrum
 Abderrahman III. caliphus Cordobae 103
